



SERIES
SANCTORVM
ET BEATORVM
AC
ILLVSTRIVM VIRORVM
SACRI
ORDINIS CISTERCIENSIS.

Authore R. P. D. CLAVDIO CHALEMOT Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore Theologo, nec-non Monasterii Beatæ MARIÆ de Columba strictioris Observantiæ dicti Ordinis Abbate.

Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Ecclesiast. 44.





PARISIIS.
Apud Viduam GERVASII ALLIOT & ÆGIDIVM ALLIOT, Bibliopolam Iuratum, viâ Iacobæâ, juxta S. Yvonem, sub signo S. Nortberti.

M. DC. LXVI.

Cum Approbatione & Licentia.







SANCTISSIMIS PATRIBVS ORDINIS

CISTERCIENSIS

PRÆSVLIBVS, ABBATIBVS,

MONACHIS, ABBATISSIS,

& Monialibus ejusdem Ordinis.



DVENERE *tandem fausta tempora, quibus Ordo Cisterciensis in pluribus orbis plagis visus est reflorescere, tum in Hispaniis, tum in Italiæ partibus, & nunc in Galliis, quamvis multo cum labore, Viri Beatissimi, Patres piissimi, & Parentes colendissimi. Advenit & tempus quo tanti Ordinis alumni ac vestri Discipuli, pios vestros mores pressis vestigiis imitari debuerunt. Æquum enim fuit, ut vos, qui per vitam spreto mundi schemate, calcatis divitiis, & numerosa famulorum sive Parentum caterva relicta, in Monasteriis sive Cellis Ordinis tanquam in angulis & sacris speluncis delituistis,*

hominibus incogniti, & soli Deo & paucis fratribus noti; ibique vitam solitariam & privatam, imò & Anachoreticam omni virtutum genere perornatam duxistis. Æquum, inquam, est ut hæc vita vestra adhuc vestris spiritualibus filiis minimè nota, omnibus hominibus innotescat: Sed præcipuè fidelibus & illis qui cum habitu professionem vestram induere, quales sunt quivis vestræ Regularis observantiæ æmulatores. Qua de causa vestrarum virtutum & piorum actuum reconditus multis annis thesaurus effodiendus, & e latebris mihi visus est eruendus, ut tantorum illustrium operum memoria & notitia excitati, morum suorum reformationi omnes sedulò invigilent. Et sic hos omnes insignes actus in lucem dare convenit, ad omnium Ordinis Professorum utilitatem & profectum, ad vestræ sanctitatis commendationem, & omnium fidelium ædificationem. Quod opus pro tantis vestris meritis exiguum, sed pro authoris viribus impar & arduum, gratum velitis habere precatur

Vester humillimus Cliens
Fr. Clavdivs Abbas
de Columba.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

HOC Opusculum nostris Annalibus prævium in lucem edimus, Amice Lector, non ut Menologio Cisterciensi à R. P. Henriqueo evulgato detrahamus, utpote qui tanto cum labore & diligentia ac Ordinis zelo opus illud elucubravit, sed ut passim errores, quibus scatet, sive authoris inadvertentia, sive incerta rerum notitia annotarem: Atque etiam ut plurimos adhuc Sanctos Ordinis omissos ab Henriqueo, de quibus nulla ferè apud antiquos extitit cognitio, communi Sanctorum Catalogo adderem: tum denique ut eosdem Sanctos propriis diebus, quibus obiisse censentur, insererem. Quos quidem dies Henriqueus non videtur ita strictè observasse, sive quòd eos nesciret, sive ne aliqui dies Menologii sui vacui quorumdam memoria existerent; tum demùm ut quod ipse egisset Henriqueus, si diu superstes fuisset, perficerem. Majorem enim rerum notitiam habens, multa, quæ non ita veritati consona sunt, retractasset; Cùm nonnullos in suo Menologio inseruerit, qui inter Sanctos nullo modo sunt an-

numerandi, uti ſunt ſequentes. *Nicolaus* Claræyallenſis Monachus, qui malè plerumque uſus ſigillo S. P. Bernardi, cujus à ſecretis erat, tria eidem ſigilla falſa ſuppoſuit: ac tandem detectus, à Religione & profeſſione defecit, & vilis Apoſtata factus, in Angliam aufugit. Item *Godefridus* Claræyallis Abbas facilè inter Ordinis Beatos non eſt cenſendus, qui ab Abbatiali dignitate depoſitus, propter inordinatum regimen, ab Abbate Ciſtercii beato Alexandro & à Capitulo generali, vix cedere voluit. Item *Ioannes* Ioiaci Abbas, etſi fortè aliundè bene meritus, in eum tamen plures ſententiæ datæ leguntur à Capitulo generali, quòd per ſocordiam Cœnobia ſua, putà triſagium, non viſitaſſet, inter Ordinis Beatos non eſt aſcribendus. Verùm ut cæteros hujuſmodi prætermittam, quis vellet eum Claræyallis Monachum ut Sanctum habere, ex eo ſolùm quod ſepultus fuerit in Claravalle juxta virum pium, uti refert Henriqueus? Scio quidem ipſum in multis alios authores, putà Seguinum, ſequutum fuiſſe: ſed parcat, quæſo, Lector, ſi Henriqueum aſſeram non ſatis ſedulò Seguini ſcripta diſcuſſiſſe, ut in pluribus advertere eſt, cùm ipſum *Ioannem* Abbatem Ioiaci Epiſcopum Meldenſem fuiſſe dicit. Nequidem enim illum legere potuit Epiſcopum alibi Henriqueus, quàm apud Seguinum: Nec inter Ioiaci Abbates legitur alius Meldenſis Epiſcopus, quàm *Raymundus* II. Abbas. Idem etiam patet in *Adamo* Silvanectenſi Præſule, quem Seguinus leviter, ne dicam falsò, aſſeruit prius fuiſſe Caroliloci Abbatem: quod nullo modo valet ſuſtineri, uti alibi in Annalibus noſtris fusè dicetur. In his namque & ſimilibus errarunt Seguinus & Henriqueus. Sed præter ipſos ſupradictos quos Menologium tanquam Sanctos celebrat, de quorum quidem ſanctitate ſeu pietate ambigere non li-

cet, sunt qui nullo modo fuere Cistercienses, ut *Galterus* Pontisaræ Abbas. Nullus enim ignorat Pontisaræ andrium sub Instituto Benedictino militare. Atque ita idem possumus referre de Bonavallensi Abbate; etsi enim Bonavallis Viennensis sit Cisterciensis Instituti, non tamen Carnotensis Bonavallis, ubi *Arnoldus* extitit Abbas. Nec etiam inserendus fuit eidem Menologio *Gaufridus* Carnotensis Episcopus, nec *Guillelmus* Catalaunensis, nec *Guillelmus* Antissiodorensis seu Parisiensis. Hi enim omnes nunquam vestem Cisterciensem suscepêre. Imò verò ibi nominati sunt qui non solùm non fuêre Cistercienses, sed qui nunquam extiterunt in rerum natura, ut *Bucardus* quem vocat Henriqueus Abbatem Caroliloci & Archiepiscopum Bituricensem. In serie enim Archipræsulum Bituricensium & Abbatum Caroliloci nullus reperitur ejusdem nominis.

Ignoscet itaque Henriqueus, si veritatis amator scripta ejus nimis rigidè discusserim; nec enim inimicum facere intendo, quem aliundè omni laude dignissimum prædico, quòd primus ex Ordine res Ordinis indagaverit, amplamque dicendi materiam posteris subministrarit. Quòd alios verò Sanctos seu Beatos huic opusculo inseruerim, de quibus nondum ulla extitit memoria apud authores, perspicuum est; cùm nullus adhuc egerit de *Bernardo* Igniaci Abbate, sicuti nec de *Clara* Dominæ nostræ juxta Romorentinum in Solonio, nec de *Ida* Argensolii Abbatissa, nec de *Arnulpho* Frigidimontis Eremita, nec de *Iuliana* Perusiana Priorissa in Italia & Monasterio sui nominis, & de pluribus aliis quos pius Lector advertet si præsens opus revolvat. Faxit autem Deus Optimus Maximus, ut prudens Lector quidpiam saluti propriæ conveniens in hoc opere colligat, nec tam attentè in elegantem orationis

ſtilum perpendat, quàm Sanctorum virorum actus & mores. Cæterùm ſciat Lector, nos ibi nullos aſcripſiſſe viros ut Sanctos ſeu Beatos, quin priùs conſtet vel de eorum miraculis, vel de corporum eorumdem elevatione, ſeu de illuſtribus operibus ex multorum fide dignorum relatione, *ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.*

APPROBATIO DOCTORVM.

NOS infraſcripti ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctores, teſtamur legiſſe librum qui inſcribitur, *Series Sanctorum, Beatorum ac Illuſtrium Virorum Ordinis Ciſtercienſis*, Authore R. P. DOMINO CLAVDIO CHALEMOT eiuſdem Facultatis Doctore, ac Monaſterii Beatæ MARIÆ *de Columba* ſtrictioris Obſervantiæ ejuſdem Ordinis Abbate: quem orthodoxum & juxta probatos mores offendimus. Quamobrem dignus eſt noſtro judicio qui publicæ utilitati & prælo mandetur. Datum Pariſiis die 25. Octobris anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto.

F. IOANNES LE CONTE Monaſterii de Charitate Abbas.

F. NICOLAVS LOVVET.

SERIES



SERIES SANCTORVM BEATORVM AC ILLVSTRIVM VIRORVM ORDINIS CISTERCIENSIS.

CALENDIS IANVARII.

Primo Ianuarii.



ISTERCII in Burgundia obdormitio Beati BERNARDI Abbatis hujus loci XII. qui à teneris annis in Ordine piè educatus, succeſſu temporis ob præclarum vitæ meritum & inſignes animi dotes, primùm Fonteneto in Æduis præfectus eſt Abbas : ac paulò poſt per Ordinem, vitæ ſanctimoniâ notus, Petro Ciſtercii Archimandrita in Attrebatenſium Epiſcopum ſublimato, in Ciſtercienſem Abbatem electus eſt, anno reparatæ ſalutis milleſimo centeſimo octogeſimo tertio, non ſine omnium applauſu, quòd in totius ſanctitatis exemplum jam cunctis præfuiſſet; ſicq; tanquam vir ſanctus habitus, nonniſi fauſtum regimen toti Ordini exhibuit : Nec enim ejus virtus in ſolis Galliæ noſtræ partibus præfulſit, ſed & in remotioribus Eccleſiæ Provinciis & Regnis, & præcipuè in Italicis dum Ioachimi de Curatio Abbatis errorum curſum authoritate & doctrinâ per Adamum Perſigniæ Abbatem Romam

Tabulæ Ciſtercii. Ioannes Abbas Ciſtercii *in Catalogo Sanctorum Ordinis.* Manrique *in ſuo Calendario.*

transmissum, apud Summum Pontificem compescuit, penitúsque forsan eorum semina extinxisset, si diutiùs vivens ad plures annos regimen protraxisset: sed in brevi consummatus, & post sex menses aut circiter cum omnium suorum mœrore extinctus, explevit tempora multa, & innocentissimam exhalavit animam, multorum meritorum copiâ cumulatus, anno restitutæ salutis millesimo centesimo octogesimo quarto, juxta Romanæ Ecclesiæ computum, quod ab antiquo suos annos à Ianuarii mense connumerat. Iure autem post obitum apud Cistercium cum sanctis suis Prædecessoribus, Alberico, Stephano & aliis melioris notæ Abbatibus, in majori claustro sub honorifica testudine intra murum sepultus, meritò inter Viros Illustres Ordinis numeratur; tum ex antiquâ Cisterciì traditione & ejusdem Bernardi sanctitatis opinione, tum ab ejusdem corporis effossione & è priori tumulo in alium decentiorem ac insigniorem elevatione; tum denique ex variis tam Divione in Sequanicis partibus, quàm Matriti in Hispanicis editis Calendariis, in quibus idem Bernardus tanquàm cæterorum omnium piorum Abbatum Coriphæus & Antesignanus reponitur.

Chronicon *Villariense.* Ioannes Episcopus Cameracensis; *Vlricus (inquit) quondam Abbas in Villari fuit homo plenus dierum & opinionis suaveolentis.* Ioannes Abbas Valcellensis ad Lotaringiæ Ducem Henricũ hæc habet. *Habemus Monachum apud nos octuagesimum annum & eo amplius agentem quondam Villarii Abbatem, quotidie se pro Christo crucifigentem.*

Eodem die Villarii in Brabantia, memoria pii patris Vlrici Abbatis, qui ob præclara virtutis indicia, ex Valcellensi Cœnobio, ubi Ordinis habitum susceperat, assumptus in Villariensem Abbatem, sanctè & piè ibidem præfuit, vir potens in opere & sermone; qui cùm per plures annos suæ virtutis exemplis plurimos discipulos informasset, tandem ætate grandævus & corporis austeritate fractus cessit, Liaque relictâ ad pios Rachelis amplexus transiit; Valcellenses enim unde exierat repetens, ibidem in arrepto virtutis itinere perseveravit, & ad superos multa cum pietatis opinione pia morte animam transmisit; ascriptus post mortem inter Viros Ordinis sanctitate Illustres, & in Menologio Henriquei ad hanc diem Ianuarii annotatus.

Sacrarium Ecclesiæ Leodiensis

Apud Leodienses, commemoratio Ioannis Prioris Corneliensis viri Illustris; qui suscepto Ordinis habitu, in disciplina regulari instructus ac Sacerdotii gradum adeptus, ob animi pietatem & prudentiam, ad Sanctimoniales Cornelienses quæ noviter Ordini Cisterciensi associatæ fuerant,

est directus, ut ibidem iisdem præesset tanquam Prior & à confessionibus existeret, ac earum multis, sed præsertim pientissimæ Virgini Iulianæ pluribus Cæli coruscationibus illustri profuit; cujus sincera dilectio, quâ Ioannem ipsum eadem prosequebatur, illius virtutis indicium non minimum fuit, & cujus quidem Virginis suasu, ipse vir insignis officium quoddam in honorem augustissimi Sacramenti composuit, omnium posteà Theologorum calculo receptum; cumque plura probra cum ipsis Virginibus à Leodiensibus pro justitia & Christo pertulisset, & cum Iuliana & aliis è Monasterio pulsus fuisset, reliquo vitæ suæ cursu in multa sanctitate vixit, visitatisque suis paulò ante mortem & auditis illarum confessionibus, Iuliana ejus obitum illis indicante, feliciter expiravit; ascriptus post mortem in Ordinis Calendariis inter Beatos, & recenter in Menologio Henriquei ad primam Ianuarii.

hæc habet. *Beatus Ioannes Prior Corneliensis Ordinis Cisterciensis.* Miræus *in fastis Belgicis & Burgundicis.* Ioãnes Distemius *in relatione de Institutione festi S. Sacramenti.* Franciscus Vivarius *in vita sanctæ Iulianæ.*

In Gallecia commemoratio pii Patris Petri Abbatis de Armentera, qui ibidem aliis præfectus, innocentissimam vitam duxit, erectaque Basilicâ in honorem Deiparæ Virginis, quam singulari cultu prosequebatur, diem extremum clausit in senectute bona, ascriptus in Menologio ad hanc diem.

Montalbus *in Chronicis, lib. 2. cap. 39.* hęc habet. *Hic Abbas sanctus fuit & ut talis ibidem colitur.*

QVARTO NONAS IANVARII.

Secundo Ianuarii.

IN Saxonia & Cœnobio Beatæ Mariæ de Luka depositio Beati Alardi Monachi, qui à juventute militiæ sæcularis cingulum assumens, armis insignis & strenuus extitit; curarum tamē sæculi pertæsus, mundo valedixit, ac sacratiori Christi militiæ jam vir factus nomen dedit, & in supradicto Monasterio vitam Monasticam professus, in sancta & pura vitæ conversatione indefesso virtutis studio perseveravit. Non minus autem patientiâ quàm humilitate & animi demissione existens insignis, diuturnum & gravem morbum tanta cum animi serenitate & tranquillitate est perpessus, ut

Cæsarius *lib. 11. cap. 19.* ubi ejus gesta describit.

facilè omnium animos in sui admirationem attraxerit : vermes enim ex ejus corpore ob vulnerum & carnis putredinem continuò scaturientes, etsi aliis astantibus fœtorem insolitum & perpetuum emitterent, illi tamen quasi in delicias & in suavem odorem erant; Nec enim Christi Domini Passionis immemor existebat, sicque post multos perpessos dolores & cruciatus, horâ mortis suæ per Oraculum ei revelatâ & aliis ab ipso prænuntiatâ, inter Christi Domini & Cœlicolarum aliorum piæ animæ occurrentium brachia, (ut ex variis revelationibus de cœlo habitis suspicari licuit) purissimam suam animam omni jam peccati labe & rubigine depurgatam, exhalavit; corpus verò ejus non amplius fœtorem exhibens, sed suavissimos odores emittens, astantium naribus animæ beatitudinis indicia præbuit; quod in causa fuit ut jure Alardus Calendario olim Divione excuso jussu Abbatis Cistercii hac die ascriptus fuerit: nec Cæsarius Heisterbacensis Ordinis Historiographus eundem omisit, dum libro 2. suorum dialogorum & cap. 19. acta ipsius pluribus verbis describit; unde nullus de illius sanctitate venit ambigendi locus.

TERTIO NONAS IANVARII.

Tertio Ianuarii.

Carolus à sancta Maria Fulliensis *in Catalogo Illustrium Fulliensium.*

BVrdigalæ in Vasconia depositio pii Patris Gaudefridi à sancto Mauro Fulliensis Congregationis ascetæ, qui natione Gallus & in Cœnobio Fulliensi Ordinis Cisterciensis & Ripensis Diœcesis sub ipsis primis annis rigidissimi Instituti Fulliensis & Reverendi Patris Ioannis Barerii hujus loci Abbatis ex Commendatario Regularis, disciplinâ & magisterio Monachus factus, ita in seipsum extitit severus austeritatis amator, ut corpus suum, etsi tenerum, sæpe sæpiùs duris verberibus dilacerans, ipsa flagella usque ad sanguinis effusionem protraheret. Nec minus in Deum extitit pius, cùm ad aram sacrificaturus nunquam accederet, quin priùs Christi Domini probra, tormenta & cru-

ciatus per integræ horæ intervallum & amplius attentâ mente revolvisset, totusque in lachrymas effusus, pium illud Sacrificium Missæ libabat: Ægrotos quoque & moribundos mira cum charitate juvans, illis æternæ vitæ sitim altiùs quàm posset suis monitis imprimebat. Cursum autem vitæ suæ perficiens, austeritate fractus animam Creatori reddidit ipsâ tertiâ Ianuarii die, anno à reparata salute millesimo sexcentesimo undecimo; ac post mortem præcipuorum suorum actuum Scribam & Præconem habuit Carolum à sancta Maria his temporibus Parisiensis Cœnobii ejusdem Congregationis Fulliensis in suburbiis sancti Honorati Præpositum.

In Gallia Hostradus Abbas vir mirandæ virtutis & variis è Cælo coruscationibus illustratus, qui per vitæ suæ decursum cujusvis sanctitatis exempla præbuit: cúmque suum gregem sibi commissum opere & verbo pavisset, ad cælestes nuptias invitatus familiari visione quievit in pace. Ejusque nomen scriptum reperitur in Ordinis Dipticis seu Tabulis.

Bernardus de Britto *tomo 1. lib. 4. cap. 19.*
Montalbus in chronicis *tomo 1. lib. 1. cap. 41.*
Flores Cistercii citati à Montalbo.

Namurci in Belgio venerabilis Soror Ozilia, quæ facta Monialis à juvenilibus annis, in Cœnobio de Monte-Cornelio apud Leodienses cum magna vitæ probitate degit sub Beata Iuliana hujus loci Priorissa, cum qua multas perpessa est ærumnas pro justitia; pulsaque ab impiis & ejecta è Cœnobio, pluribus annis facta est exul, tùm Namurci, tùm Salsiniæ, ubi tandem mortua, sepulturam accepit, ascripta inter Ordinis Beatas ad hanc diem.

Sacrarium Namurcense hęc habet. *Beata Ozilia socia Beatæ Iulianæ Cornelienſis pretiosam Sanctorum mortem Salsiniæ obiit.*

PRIDIE IDVS IANVARII.

Quarto Ianuarii.

COmpluti in Hispania obiit piæ memoriæ venerabilis Pater Guillelmus Valchæus in Hiberniæ partibus olim Midensis Episcopus, qui ab Ephebe sub Cisterciensium Monachorum Instituto instructus & educatus, ac piis operibus informatus, post debitam vitæ probationem ac solennem votorum emissionem, ad Midensis civitatis Episcopalem

Martyriale Hibernicum.
Fasciculus Sanctorum Ordinis, *lib. 2. dist. 38.*

Sedem Clericorum suffragio & authoritate Apostolicâ promoveri meruit: In qua quidem dignitate, magnâ cum animi constantiâ fidei orthodoxæ adhærens, hæreticis & Novatoribus pullulantibus fortiter restitit, fidelibusque sinceræ vitæ exemplum præbuit. Factus autem successu temporis hæreticis infensus, & hac de causa ipsis in odium habitus, perversis eorundem suasionibus & jussu nefandæ Anglorum Reginæ Elizabethæ, & pessimæ eorundem Novatorum Coriphææ captus est, ac in tetrum & obscurum carcerem crudeliter detrusus, ubi per tredecim annos duris vinculis mancipatus, plura vitæ incommoda patienter tulit, ac tandem pro justâ religionis defensione seu justitiâ Christianâ, publicâ sententiâ damnatus est. Porrò in exilium actus ac in Hispaniam relegatus, ibidem viribus corporis deficientibus, ob præcedentes ærumnas & contractum ex carcere morbum perpetuò languidus, paulatim est consumptus, ac tandem mortuus in Collegio nostro Complutensi: Vbi cum magna charitate à Nostris susceptus fuerat, jure post mortem Martyr existimatus ac tandem Sanctus habitus, utpotè vir in quo nullum per totius vitæ decursum lethale scelus seu crimen Petrus de Lorca vir illustris (qui ultimam & generalem ejusdem delictorum exomologesim excepit) in morte deprehendit, sicut ipse posteà pluribus fassus est. Corpus autem tanti Præsulis Compluti in Ecclesia supradicti Collegii est tumulatum, anno ab incarnato Verbo quingentesimo septuagesimo septimo supra millesimum hac quarta Ianuarii die.

Calendarium Sanctorum Belgii hac die. Arnoldus de Raisse *in auctuario ad Molanum.*

In Belgio & Cœnobio Vallis-Rosarum obitus piæ matris Elizabethæ ibidem Sanctimonialis, quæ ab humilitate seu animi demissione & patientiâ celebris, scommata ac dicteria multâ cum animi lenitate mentisque tranquillitate pro Christo sponso pertulit. Vilibus verò exercitiis dedita, pro majori sæculi contemptu, noctu Sororum Conversarum munia obibat: domusque supellectilia ac vasa mundans, per diem choro astricta, Divinis Officiis continuò intererat; assiduæ etiam meditationi rerum cælestium insistens, plura à Christo gratiarum charismata consequuta est: sicque bonorum operum lampade perornata, quasi prudens virgo &

gratiæ oleo repleta, ſponſo cæleſti occurrere meruit, felici morte conſummata & agnum cæleſtem quocumque iturum ſequutura. Poſt mortem autem ejus Sanctimonialibus ad tumulum de more Ordinis pſallentibus, Angelorum voces ſuavi modulamine reſonantes auditæ ſunt in ſignum gloriæ & beatitudinis ejuſdem virginis; quæ quidem mors hac die quarta Ianuarii notata apud Arnoldum de Raiſſe Duacenum in auctuario ad Molanum eveniſſe creditur, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo.

In Luſitania Cœnobio ſancti Ioannis de Tarouca obitus Ciſinandi Monachi, qui ab adoleſcentia contemptis ſæculi delitiis, ſanctæ religioni nomen dedit apud Claramvallem in Galliis; emiſſiſque votis, tantæ ſanctimoniæ odorem ſparſit inter ſancti Bernardi diſcipulos, ut pro merito virtutis dilectus ab ipſo, ab eodem poſteà tranſmiſſus fuerit in exteras regiones, vineam Ciſtercienſem propagandi gratiâ. Quod quidem ita feliciter ſucceſſit, ut cæleſti oraculo per viſionem edoctus, permagnificum Cœnobium ſancto Ioanni Baptiſtæ ſacrum cum aliis ſociis extruxerit in Portugallia; cumquè pluribus annis multis virtutibus effulſiſſet, ad æterna tabernacula aſpirans, corporis tabernaculum poſuit, piaque morte finiit ſanctis operibus clarus. Poſt mortem verò inter Ordinis Viros Illuſtres annumeratus, memoratus eſt inter illos à Britto authore Luſitano in Chronicis Ordinis, & ab Henriqueo Hiſpano ad quartam Ianuarii in Menologio.

Brittus in Annal. libus, lib. 2. cap. 5.

NONIS IANVARII.

Quinto Ianuarii.

IN Anglia & Cœnobio Rievallis ſanctus Ailredus Abbas, qui nobili proſapiâ natus, à juvenilibus annis Regis Scotorum Davidis Curiam frequentavit, literiſque humanioribus, Philoſophicis & Theologicis imbutus, pluribus extitit gratus, ſed præſertim Regi; ſucceſſu temporis curarum ſæculi pertæſus, ex Aulico Monachus in Rievalle factus eſt:

Cap. Gen. Ordinis 1172. permittit feſtū celebrari. Miſſale vetus Ordinis *in Catalogo Sanctorum Ordinis.*

Molanus ad Vſuardum.

ſuo verò exemplo plures alios ex Curia Regia ad Monaſterium attraxit; ibique pro deliciis jejunia, pro divitiis pauperiem, pro ſæculi vanis & caducis cæleſtia & æterna coluit. Emiſſis autem ſolennibus votis, tanta emicuit ſanctitate vitæ, ut poſt aliquos annos exigentibus meritis, communi Monachorum ſuffragio ad Abbatialem dignitatem invitus eſt promotus; in qua quidem dignitate factus omnia omnibus, multis probis clariſque operibus refulſit. Vndè tantæ virtutis currente famâ plures, ſi voluiſſet, hujus ſæculi Eccleſiaſticas dignitates & præſulatus obtinuiſſet: ſed alienus ab illis factus, Epiſcopatus ſibi à Rege oblatos humiliter reſpuit, vitæ ſuæ annos ſolitudini tradens ſoli Deo placere ſtuduit, labiliaque tempora in conſcribendis pluribus librorum voluminibus (ut peritus erat) inſumens, divini amoris flammas in tepidorum animis eorundem lectione ſeu in capitulo pronuntiatione ſuccendit & excitavit; ipſiſque voluminibus ſuavi ac forti eloquentiâ plenis, multos adhuc ſæculi viventibus irretitos, ad novum vitæ genus amplectendum provocavit. Nec ſolùm ſuos tanquam Pater ſolidis cibis quaſi fortiores, ſed tanquam mater læta, tenerioribus alumnis ubera præbebat, totus in amore ſacro poſitus. Tandem verò multis piis operibus cumulatus pluribuſque ſanctitatis ſignis coruſcans, migravit ad Dominum hac præſente die Ianuarii quinta, anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſeptimo, & dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto. Aſcriptus eſt autem poſt mortem in Sanctorum Dipticis, etſi non ab Eccleſiæ Capite & Summo Pontifice ſolenni ritu, ſaltem populi votis & acclamationibus; hujuſque Sancti feſtivitas ſpeciali decreto Capituli generalis Ordinis anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi ſexti permiſſa eſt celebrari; non quidem hac die mortis ſuæ ob Epiphaniæ vigiliam, ſed in octavis ejuſdem feſti Apparitionis domini: Nec eſt ullus author tùm ex antiquioribus tùm ex recentioribus qui de ejuſdem ſanctitate ambigat, cùm quondam ejus memoria celebris apud Anglos omninò extiterit. Nomina autem & Catalogus librorum à tanto viro conſcriptorum reperiuntur apud Manriqueum in annalibus Ordinis.

In

In Italia floruit Alochrinus Episcopus qui à tenera ætate in Casemariensi Cœnobio monasticæ disciplinæ rudimentis imbutus, scientiâ & pietate claruit, Priorque hujus loci pro virtutis merito electus tantâ famâ refulsit, ut à Summo Pontifice è Monasterio Romam vocatus pro Ecclesiæ negotiis, quibusdam hæreticis verbo & doctrinâ restiterit, eorumque audaciam orthodoxo dogmate represserit. Factus autem ob eximias dotes & religionis zelum, cujusdam Italiæ urbis Episcopus, fulgentioribus adhuc virtutibus emicuit, populum sibi commissum verbo & opere pascens, ac tandem vitæ sanctissimæ cursum complens, annotatus fuit post obitum inter Ordinis Sanctos in Menologio Henriquei ad quintam Ianuarii, eumque floruisse testatur Seguinus in suo Catalogo Sanctorum Ordinis ad annum Domini millesimum ducentesimum decimum sextum.

OCTAVO IDVS IANVARII.

Sexto Ianuarii.

TRina Christi Domini Apparitio; In Iordanis flumine, in Cana Galileæ, in stabulo Beetlemitico. In Iordane quidem, baptismum à Ioanne Baptista suscipiendo, apparente Spiritu sancto sub Columbæ specie; In Cana verò, aquam in vinum immutando, rogante matre: cujus adhuc convivii hydria una in Purificationem Iudæorum posita, asservatur in Cœnobio Sanctimonialium de Portu-Regio agri Parisiensis; In stabulo tandem Beetlemitico, cùm à tribus Magis Gaspare, Melchiore & Baltasare stellâ duce adoratus est Christus. Qui quidem tres Magi speciali cultu venerantur in Monasterio Loci-Crescentis, nunc Trium Regum nomine insignito, in Comitatu Burgundiæ Bisuntinensis Diœcesis ob repositum ibi articulum pollicis unius ex illis, relictum ab ipsis qui lipsanam trium Magorum Regum Mediolano ex Italia Coloniam in Germania detulerunt anno Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio.

Sacrarium Portus-Regii Parisiis.

Cartæ Loci-crescẽtis seu Trium Regum Cœnobii.

Sacrarium Ioiaci.

In Cœnobio quoque Ioiacensi in Briena alius adhuc digitus trium illorum religiosè asservatur, & in Caduinio Petragoricensi seu Sarlatensi Baltasaris creditur repositum caput.

Vita S. Dominici. Vincentius Bellovacensis *In speculo Historiali*, & alii.

In Hispania Beatus Didacus Oxomensis Episcopus, qui postquàm Episcopatum suum ritè & piè pluribus annis administrasset, ac proprium Clerum sanctis moribus informasset, purioris & secretioris vitæ ducendæ desiderio æstuans, relicto solo proprio cum Beato Dominico tunc Ecclesiæ Oxomensis Canonico & futuro Prædicatorum fratrum Institutore Romam petiit; transiensque per Cistercium, Monachorum modestiâ ac exemplo compunctus, inter fratres diutiùs ibidem, si licuisset, vivere peroptasset: cùmque hac de causa Episcopatùs onera apud Summum Pontificem deponere tentasset, Summusque Pontifex cessionem approbare renuisset ob præclarum viri meritum & Ecclesiæ Oxomensis utilitatem, habitum tandem Monachorum Ordinis seu Familiarium suscepit. Quo quidem habitu suscepto antequàm Hispaniam repeteret, duodecim illius Ordinis Cisterciensis Abbatibus qui Albigenses hæreticos insequebantur junctus, plures ex illis Novatoribus tùm concionibus, tùm vitæ suę exemplis ad fidem orthodoxam & salutis semitam reduxit: discalceatis enim pedibus more Apostolico incedens per vicos, urbes & castra peragrabat, ubique verbi Divini semina dispergens, non sine multo animarum lucro. Reversus autem posteà in proprium solum & suam Ecclesiam, ritus Cistercienses, quos præcedentibus annis didicerat, ad mortem usque observavit, mortuus in senectute bona anno Domini millesimo ducentesimo septimo, non sine sanctitatis nota & sepultus in Ecclesia suburbiorum Oxomensis civitatis juxta crucifixi Domini sacellum non longè ab ara, ut in suis annalibus Byzovius sui temporis Historiographus annotavit. Eundem Episcopum sanctum nominavit & sanctæ vitæ suæ opera quamplura referens; de ejusdem quoque sanctitate & suscepto habitu Cisterciensi agit Theodoricus de Aspadia in historia B. Dominici: Calendarium verò Ordinis Cisterciensis Divione excusum ejusdem mortem ad præsentem diem refert, etsi

Henriqueus de eodem agat ſextâ Februarii die.

Lindisfarniæ in Anglia depoſitio ſancti Ediluvaldi Epiſcopi, qui à teneris annis factus Melroſæ olim Benedictinorum, poſteà Ciſtercienſium, Cœnobii Monachus, ibidem multa virtutis ſpecimina dedit, Abbaſque ejuſdem loci pro merito ſucceſſu temporis electus, opere & ſermone profuit & præluxit. Hinc autem ad inſulam Lindisfarnienſem evocatus, populum ſibi commiſſum tanquàm verus Epiſcopus & Paſtor operibus piis, exemplo & doctrinâ pavit; clarioraque adhuc præbuit ſigna ſanctitatis, ac tandem felici morte conſumptus, meruit ut poſt mortem communi ſanctorum Catalogo aſcriberetur ſolenni ritu ſeu tacito Summi Pontificis conſenſu. Martyrologium Romanum.

Apud Leodienſes Beatus Iacobus Vallis ſancti Lamberti Monachus, qui ab adoleſcentia Monaſticis diſciplinis inſtructus, intra Clauſtri latebras puriſſimam egit vitam, diemque extremum feliciſſimâ morte clauſit, aſcriptus poſt mortem Leodienſi ſacrario & calendario Henriquei ad hanc ſextam diem Ianuarii. De eo ſacrarium Leodienſe.

SEPTIMO IDVS IANVARII.

Septimo Ianuarii.

SAvigniaci in Normania Beatus Vitalis Abbas, qui ex Capellano Comitis Maritonii in Neuſtria & Canonico, egregius verbi Dei præco factus, & ſocius beatorum Bernardi Abbatis Tironenſis & Roberti de Arbruſcellis Sanctimonialium Fontis-Evraldi Fundatoris, multos per abrupta vitiorum deviantes, tùm in Normania, tùm in cæteris aliis Galliarum regionibus, ſuis concionibus & exemplis ad meliorem frugem & perfectiorem vitam revocavit; pluribuſque congregatis diſcipulis, pias leges & Cœnobium Savigniacenſe in ſilva de Fulgeriis eiſdem conſtruxit in Diœceſi Abrincenſi. Quibus præfectus Abbas, ſuæ novæ Congregationi initium dedit ſub ſancti Benedicti Regula & habitu cæruleo; quæ poſteá per Galliam & Angliam Cartæ Savigniaci & Calendarium Ordinis.

in pluribus Monasteriis propagata, tandem Ordini Cistercienſi eſt aggregata. Vitalis verò vitam Angelicam ducens, plures diſcipulos ſanctitate illuſtres habuit, Godefridum Abbatem, Aymonem & Petrum Monachos, ac Guillelmum novitium: pluribuſque ſignis & miraculis clarus, militem quemdam mortuum ad vitam ſuis precibus ſuſcitaſſe dicitur. Cùm autem pluribus virtutibus coruſcaſſet, dum aliquando de more divinis aſtaret officiis in Choro, & benedictionem lectionum lectori daret in vigiliis Beatæ Virginis Mariæ: vitam hanc mortalem cum cæleſti & æterna commutavit, non ſine ſanctitatis opinione. Ejus corpus ſanctiſſimum primò in ſacello iuxta Clauſtrum ſanctæ Catharinæ poſitum, poſteà in Baſilicam translatum eſt, non ſine miraculis ſub Stephano de Langtonio Abbate, poſteà de Clara-valle. Memoria autem Beati Vitalis hac die recolitur in Calendariis Ordinis.

Cantipratanus, *lib.* 2. Arnoldus de Raiſſe ad Molanum.

Aquiriæ in Brabantia Sanctimonialium Cœnobio Beata Elizabetha de Vuans quæ primò nupta viro nobili ac paulò poſt mortuo, relicta intacta & impolluta, ſuam pudicitiam, per habitûs ſuſceptionem Chriſto ſponſo vovit & conſecravit. Facta autem Monialis in Aquiria tantæ virtutis extitit æmulatrix, ut omnibus in ſanctitatis & perfectionis exemplum cederet; totaque in Deum abſorpta, continuâ mentis attentione, per tres integros annos ſponſum ſuum cæleſtem quaſi ſibi proximè aſtantem & peſſimos cogitatus à mente repellentem, conſpexit: plerumque per ecſtaſim rapta, ad æternam vitam prædeſtinatos ſibi quaſi exhibitos ex vultu cognoſcens, ſpiritu Propheticæ inſignita viſa eſt. Tandem verò meritorum quamplurimorum cumulo ditata ac multarum virtutum ornamentis decorata, ad cæleſtes nuptias à Chriſto ſponſo vocata, meruit introire: aſcripta poſt mortem à variis Belgii authorum Martyrologiis, ſed præſertim in Ciſtercienſi Calendario Divione excuſo hac die.



SEXTO IDVS IANVARII.

Octavo Ianuarii.

Caroli-Loci in Gallia & Diœcesi Silvanectensi dedicatio Sacelli ad primam Monasterii portam in honorem Dei, Beatæ Virginis, & sancti Edmundi Cantuariensis Archipræsulis facta; quâ quidem die ibidem ex more antiquo solennes habentur vesperę cum sacro à Conventu decantatæ.

Martyrologium hujus loci.

Eodem die in territorio Brugensi & Cœnobio Thosano obiit piæ memorię Torphimus Episcopus natione Danus, qui à juventute piis operibus deditus & clericatui in adolescentia mancipatus, post pręclara vitę opera, tandem Hamariensis Ecclesię apud Hibernos regimini destinatus est. In qua quidem dignitate cùm labores quamplurimos pro libertatis Ecclesiasticę defensione subiisset, pluresque hereticos congressibus & disputationibus tùm publicis tùm privatis refutasset, ac fideles titubantes seu vacillantes in orthodoxa fide confirmasset: Novatoribus ipsis exosus & infensus factus, à propria sede & Ecclesia pulsus est, ac demùm maris fluctibus & tempestati expositus, in Cœnobium Thosanum apud Belgas, ubi olim Ordinis habitum suscepisse fertur, se se recepit; ibique pauper & itineris labore fessus æger mansit, consumptusque gravi morbo, & Ecclesiasticis Sacramentis munitus, sancto fine quievit anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto hac pręsenti die Ianuarii. Fertur autem post mortem ejus Monachos Thosanos divinitùs & magno miraculo impeditos fuisse, cùm tumulum tanti viri aperire tentarent anno Domini trecentesimo quadragesimo quarto supra millesimum, suavissimo odore è sepulcbro emanante: extat veró ejus vita manuscripta Brugis in Dunensi Cœnobio.

Vita ejus Dunis scripta.
Fasciculus sanctorum Ord. *lib.* 2. *distinct.* 19 *c.* 5.

In Gallia Bernardus Monachus, qui post solennem votorum emissionem & satis laudabilem in Monasterio vitam transactam, à Dæmone communi hominum hoste delusus

Britus *tom.* 2. *lib.* 4. *cap* 19.

clàm egressus plura vitæ liberioris & morum dissolutionis signa dedit in sæculo; successu tamen temporis à Christo Domino per visionem monitus & corde compunctus, ad Claustrum rediit: qui benignè susceptus ad pœnitentiam, insignia vitæ pœnitentis opera edidit apud posteros commendanda, pluribusque hac de re sanctitatis signis coruscus, vitam finiit, purissimam animam suam ad superos transmittens. Agit autem de eo Britus, non sine præclaræ virtutis nota, tomo primo Chronicorum libro 4. cap. 19. & Henriquez in Menologio ad octavam Ianuarii, Monasterii nomine suppresso & omisso.

Chronicon Villarii *lib.* 2. Cæsarius *lib.* 9. *cap* 31.

In Belgio Vda Ordinis Sanctimonialis reclusa, quæ suscepto habitu non in Monasterio, sed in Cella quadam sub Abbatum Villariensium, juxta ritus Cistercienses, directione vixit, multisque coruscationibus illustrata, plura dedit virtutis suæ & sanctitatis operum suorum exemplis testimonia; ac tandem moriens in senectute bona, suavem vitæ suæ odorem reliquit, meruitque ut in Menologio Ordinis simul cum aliis Sanctis ac Beatis insereretur.

QVINTO IDVS IANVARII.

Nono Ianuarii.

Missale vetus Ordinis. Ioannes Abbas Cist. *in suo catalogo* Ss. Seguinus & alii.

IN Petragorio Aquitanica regione ac Sarlatensi Diœcesi olim Petragoricensi, Beatus Petrus Caduinii Monachus, qui cælestis gratiæ rore irrigatus, à primis vitæ suæ annis in tantum profuit intra Monasterium, ut ab omnibus ob raras animi dotes in magna veneratione habitus fuerit; austerus enim in vita sua, erga cæteros mirâ lenitate mentis præditus erat, piusque in Choro, in Refectorio sobrius, in Claustro taciturnus & humilis in omnibus extitit: sicque sanctis operibus ditatus, tandem soluto corporis ergastulo ad optatam cælestis vitæ patriam felici morte transivit. Habet autem hic vir insignis in eodem Cœnobio tumulum perillustrem in suæ sanctitatis signum & monumentum, inscriptus post mortem veteri sanctorum Ordinis Catalogo ad Missalis antiqui calcem reposito.

Fuit & ibidem in Caduinio Monachus alius, ſanctitate quoque inſignis, quem Petrum nominat Henriqueus, etſi alii Radulphum ſeu Gerardum vocent; cujus ope allatum fuit olim huc ſacrum Chriſti ſudarium è Civitate Antiochena, quod quidem poſteà religioſè aſſervavit, Monachus Caduinii factus, & paulò poſt primus Gondonii Abbas electus: ubi virtute & ſanctitate celebris extitit jure ac merito hic inter Ordinis Beatos memorandus. *Ex traditione Caduinii.*

In Belgio Ioannes Grandi-Prati Abbas illuc tranſmiſſus à Guillelmo Villarienſi Abbate, ut ibidem primus omnium ritus Ciſtercienſes multo cum zelo inſtrueret anno Domini 1231. poſteà verò zelo fidei ſuccenſus, in hæreticos Albigenſes, qui tunc pravo ſuo dogmate Eccleſiam infeſtabant, cruce ſe ſignavit: at morte præventus in itinere, aſcribi in Menologio Sanctorum Ordinis hac die meruit. *Cartæ huius loci.*

In Hiſpania & Cœnobio de Barris Palantinæ Diœceſis Vrraca virgo Fundatrix & Abbatiſſa hujus loci ex Regio ſanguine nata & virtute illuſtris, quæ plurimis vitæ ſuæ exemplis, plures alias virgines ſacris Inſtitutis informavit, cæterarumque aliarum humillima extitit: ac tandem pluribus cumulata virtutibus, ad cęleſtem ſponſum Chriſtum felici obitu properavit: memorata inter Ordinis viros illuſtres à Seguino, & poſt eum ab Henriqueo in Menologio ad nonam Ianuarii. *Seguinus lib. 3. tit. de Sancta Vrraca moniali. Henriquecus 9. Ianuarii.*

In Germania depoſitio Beati Salomonis pœnitentis, qui primò in Ordinem ſancti Benedicti ingreſſus, poſt ſufficientem morum probationem, Prioratûs officio pro merito functus eſt. At liberioris vitæ cupidus, Dęmonis ſuggeſtu, vilis Apoſtata factus & per ſæculum vagus, tandem reſipuit, ac Præmonſtratenſem Ordinem profeſſus, aliquandiu in regulari diſciplina perſtitit. Hinc autem fugitivus adhuc factus, inſtigante Satanâ, iterùm poſteà urgente conſcientiæ ſtimulo, Ciſtercienſem habitum induit in Hemmerodenſi Cœnobio, ubi in brevi conſummatus, explevit tempora multa; Nam per ſex menſes nihil rigoris, nihil auſteritatis, nihil pœnitentis vitæ omiſit, imò gravi morbo & ægritudine ex pœnitentia contractis, tantum præbuit miniſtrantibus Monachis & fratribus patientiæ exemplum, ut paulò poſt relictâ corporis mole à quibuſdam probis viris glorioſus *Cæſarius lib. 11. cap. 15. & alii.*

visus fuerit, meruitque ut inter Ordinis Sanctos ascriberetur post mortem ab authoribus Ordinis ad 9. Ianuarii.

QVARTO IDVS IANVARII.

Decimo Ianuarii.

Maryrologium Romanum. Baronius & alii.

BIturicæ Aquitaniæ Metropolis depositio sancti Patris Guillelmi, qui in Gastinio Franciæ Provincia natus ex nobili Comitum Nivernensium genere quoad Patrem, & stirpe Regia Courtenea quoad matrem, eorundem parentum curâ præcipuè Avunculi sui Petri Eremitæ ipsis temporibus celebris, optimis disciplinis & moribus imbutus, Suessione primùm, tùm Parisiis Canonicus, has sibi dignitates diù non retinuit; sæculi enim currarum pertęsus invitis parentibus relicto sęculo, ad Grandimontensem eremum convolavit, ubi verè pauper pro Christo factus, post solitum in discenda religionis disciplina tyrocinium expletum, solennia emisit vota; ibique tantâ vitæ sanctimoniâ refulsit, ut vix ulli cederet in virtute. Verùm subortâ aliquando quadam dissensione inter Clericos Grandimontenses & Fratres Conversos, ac turbatâ Monachorum pace, Guillelmus mentis requiem quærens, nec ibi ampliùs inveniens, secretioris vitę & arctioris etiam Instituti desiderio ductus, ad Cisterciensem Ordinem apud Pontigniacum consultis Superioribus amator pacis transiit cum pluribus aliis, ubi adhuc datis multis virtutis speciminibus, non multò post ad Prioris officium est evectus. Famâ quoque religionis suę magis ac magis per vicinas regiones crescente, ad Abbatialem dignitatem apud Fontis-Ioannis Gastinii Monasterium est sublimatus: subindè verò Fonti-Ioannis substractus, Caroli-loci ejusdem Instituti Cœnobio propè Silvanectum effectus est Abbas septimus, ubi per aliquos annos in multa sanctitate Monachis pręfuit. Initâ autem familiari quadam amicitiâ cum Odone de Soliaco Parisiensi Præsule & viro illustri, ab eodem Parisios vocatus est, ut quasdam pœnitentes filias jam Deo sacratas in loco sancti Antonii à Campis in Suburbiis

biis ejusdem civitatis commorantes, ad Cistercienses ritus & normam reduceret. Quo facto reversus ad Cœnobium, non diù post ibidem substitit: ab hac enim sibi dilecta solitudine abstractus & avulsus, tanquam à Rachelis amplexibus ad Liæ opus est assumptus; nam cùm post obitum Henrici de' Soliaco viri clarissimi & Archiepiscopi Bituricensis, de alio Antistite eligendo deliberaretur cum Provincialibus seu vicinis Episcopis & Clericis congregatis, & commissâ curâ electionis supradicto Episcopo Parisiensi Odoni, tandem post multas effusas preces & missarum solennia, schedulis quorundam virorum illustrium nomina exprimentibus in urnam injectis, Guillelmi nostri nomen primò extractum est ex ea, petentibusque illicò Canonicis Bituricensibus Guillelmum in Archiepiscopum, etsi nondum adhuc ipsis inventum nomen cognitum esset, remitiatus est ipse. Cui quidem electioni seu designationi cùm initio totis viribus remiteretur, tandem Abbatis Cisterciensis & Legati Apostolici accedente mandato, onus suscipere compulsus est; sicque gregis à Deo sibi commissi curam gerens, ita vixit ut nec à consuetis regularis observantiæ exercitiis abstinuerit, nec vitæ pristinæ ordinem mutaverit: imo nec Ordinis habitum deposuerit, sed simul Monachus & Episcopus existens, corpus suum, etsi tenerum, asperrimo cilicio afflixit, nec carnibus etiam cùm æger esset, usquam vesci voluit, quin potius lautiores cibos & Archiepiscopales delitias omninò respuit. Expensis parcebat, ut pauperibus largior esset. Porrò circa misericordiæ opera intentissimus non solùm inopibus subveniebat, sed & delinquentibus; erga quos ita se gerebat, ut pœnitentibus lenem se & benignum, duris verò corde & in culpa tenacibus se se admodùm severum ostenderet: priùs tamen expertus lenitatem, quâ obduratiores aliquando solebat flectere. Cùm enim aliàs à Clericis urgeretur, ut quosdam vicinos nobiles jura & terras Ecclesiæ occupantes, ad secularia tribunalia per lites traheret, noluit benignissimus Antistes. Quo factum est ut posteà ipsi sancti viri patientia compuncti potiusquàm justitia coacti, ablata Ecclesiæ bona restituerint. Nec defuerunt miracula sancto Antistiti; cùm enim aliquando pedes propriam Diœcesim vir humilis visi-

taret, cuidam mulieri à multis annis ſterili fœcunditatem ſuis precibus obtinuit: cuidam etiam Sacerdoti Giraudo nomine manibus arido, ſanitatem reſtituit ſolâ manuum impoſitione, & celebrandi facultatem fecit cùm anteà non valeret. Quorundam autem iniquorum invidia ad Regem delatus tanquàm Regii juris Vſurpator, & ad Curiam hac de re vocatus, à calumniis ſibi impoſitis facilè ſe ſe purgavit, & Rex eum poſteà chariorem habuit. Cæterùm, cum tanta ſanctimoniæ laude in Epiſcopatu ſe ſe gereret, hortante Innocentio III. ſummo Pontifice contra hæreticos Albigenſes proficiſci paratus, acutiſſima febre correptus eſt, concioneque habitâ ad populum die ipſa Epiphaniæ Domini, dicto themate ex ipſis Apoſtoli verbis, *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*, qua ſuos ad Dei timorem & piæ mortis ſtudium adhortabatur, advertens mortis ſuæ tempus & horam imminere, totum ſe ad ſupera convertit & Chriſtianæ pietatis ſubſidia ſeu Eccleſiæ ſacramenta humiliter popoſcit. Sacro itaque oleo unctus & cæleſti viatico roboratus, multa ſalutis monita aſtantibus Clericis & Monachis dedit, corpuſque ſuum poſt obitum in ſuum Caroliloci Monaſterium aſportari, præſente hujus loci Abbate & fratribus, à Canonicis obnixè petiit; cui quidem petitioni non niſi ægrè conſenſerunt. Depoſitus autem Guillelmus in cinere poſt benedictionem datam, cilicio adhuc indutus, inter medias preces immaculatum ſpiritum Creatori ſuo reddidit: cùmque poſt mortem Abbas prædictus cum fratribus in procinctu eſſet ut ſacrum cadaver Carolilocum deferret, populus ſimul cum Canonicis obſtitêre, propter frequentia quæ ibi ſancti Præſulis meritis miracula fiebant. Globus quoque igneus ea die qua migravit ſanctus Antiſtes, inſtar ſideris coruſcantis ſupra ſancti Stephani martyris baſilicam in ſignum ſuæ beatitudinis à multis viſus eſt, defunctique vultus etſi priùs jejuniis & auſteritate vitæ deformatus, tanquàm Angeli facies reſplenduit poſt mortem. Sepultum tandem corpus in ſupra dicta Cathedrali Eccleſia, ibidem variis claruit miraculis ſicut in vita enituerat uſque ad ultimum ſæculum; in quo noſtrates hæretici debacchantes in ſacra, ſanctum illud corpus à multis ſæculis veneratum à fidelibus, inſolitâ rabie

combusserunt & in cinerem sacrilegâ manu redegerunt, solis præcipuis brachiorum ossibus asservatis apud Carolilocum & Cistercium.

Item Romæ eodem die placidâ morte finivit anno salutis millesimo sexcentesimo vigesimo Ioannes à Sancto Hieronimo, qui natione Gallus & Catalauni natus in Campania, ab adolescentia religionis jugum subiit indutâ Monachali togâ in nova Fuliensi Congregatione intra Ordinem Cisterciensem natâ: ubi cujusvis sanctitatis & disciplinæ forma superinduens, primorum Ordinis Patrum extitit æmulator; selectusque ab omnibus ut post Ioannem Barrerium Congregationis Institutorem eidem præesset ita charitatis, humilitatis & pietatis exempla suis dedit, ut aliquando peste infectis hominibus subvenerit cum suæ propriæ vitæ discrimine in civitate Taurinensi apud Allobrogos, divinique sui officii pensum quotidiè flexis genibus piè persolverit. Silentii etiam regularis tenax observator, illudmet ad ultimam suæ vitæ noctem religiosè observavit. Tandem verò Romæ extinctus decima Ianuarii, sanctus ab omnibus quibus notus fuerat est acclamatus, vultuque solito pulchrior post mortem visus est; & post aliquos annos cuidam moribundo Monacho apparens, suæ beatitudinis certa dedit indicia.

Catalogus Beatorum Cong. Fuliensis.

Ipso die Cistercii obiit in senectute bona Dominus Theobaldus de Sauciato virtute illustris, qui in Claravalle educatus primò hujus loci Prior, posteà Gratiæ-Dei Abbas ac tandem Cistercii & Ordinis caput est electus, Ordinemque ipsum in magna pietate rexit; mortuus hac die ad annum ducentesimum nonagesimum tertium supra millesimum.

Calendarium SS. Ordinis Salmanticæ excusum.

TERTIO IDVS IANVARII.

Vndecimo Ianuarii.

COmmemoratio solennis Episcoporum & Abbatum Ordinis Cisterciensis per totum eundem Ordinem An-

niverſario celebranda, & à Capitulis generalibus à pluribus annis inſtituta.

Ex Cartis Ciſtercii & Chronico Antiſſiodorenſi.

Ciſtercii in Bugundia obdormitio Beati Guillelmi undecimi hujus loci Abbatis, qui à primæva ætate in Ordine inſtructus, per habitûs ſuſceptionem & morum probationem, in ſecundum Ordinis Præſulem & Cœnobii Firmitatis Abbatem promotus eſt. Cùm autem pluribus adhuc virtutibus præfulgeret, ad altiorem gradum ſublimatus, factus eſt totius Ordinis caput & Ciſtercii Archimandrita, ab anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto ad annum milleſimum centeſimum ſeptuageſimum nonum. In qua quidem dignitate ubique ſanctitatis notas tum ſubditis inferioribus, tum externis hominibus dedit; imò graſſante per Galliam fame, in pauperes profuſus extitit, ut in Chronico Antiſſiodorenſi legitur, mortuuſque in ſenectute bona die ipſa Ianuarii undecima, uti Sanctorum morte finierat, ſic Sanctorum tumulo ſepultus eſt in majori Ciſtercii Clauſtro. Extat autem ad eundem Guillelmum Arnulphi olim Lexovienſis erudita epiſtola.

Vita ſancti Petri Tarantas. Cartæ Ciſtercii.

Eodem die Attrebati in Arteſia Beatus Henricus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Epiſcopus Albanus, olim Claræ vallis Abbas, qui in Burgundiæ partibus è Caſtro de Marciliaco non longè à Cluniaci Cœnobio nobilibus parentibus natus, futuræ ſuæ ſanctimoniæ ab Ephebe ſigna dedit; adoleſcenſque factus cùm pietati totus deditus eſſet, relicto ſæculo apud Claramvallem ſeſe tranſtulit: ubi ſacræ Chriſti militiæ mancipatus, & votis ſolennibus emiſſis ſub B. Petro Monoculo hujus loci Abbate inſigni, tantâ refulſit probitate vitæ, ut poſt paucos annos adhuc adoleſcens, Altæcombæ in Cœnobio intra Sabaudiam præfici tanquam Abbas meruerit: in qua quidem dignitate quantum in eo gratia prævaleret ætati, ſancto ſuo regimine & prudentiâ facile demonſtravit. Mortuo autem poſtea Gerardo Clarevallenſi Antiſtite ad annum Domini milleſimum centeſimum ſeptuageſimum ſeptimum, in ejus locum ſublimatus eſt Henricus quamvis invitus; & ſic majoris familiæ Pater electus & ſupra majora cõſtitutus, fidelis & prudens Chriſti Domini famulus extitit, dùm conſervis ſuis tam domeſticis quàm externis tri-

tici mensuram seu verbi divini pabulum temporibus suis erogans, omnium plebeïorum hominũ & magnatum benevolentiam sibi conciliavit. Quibus etiam temporibus designatus à summo Pontifice cum sancto Petro Tarantasiensi Archipræsule, ad Reges Angliæ & Franciæ pro firmanda pace inter eos transmissus est. Famâ verò doctrinæ & sanctitatis suæ divulgatâ per Ordinem Cisterciensem & per universam Ecclesiam, primò electus est apud Cistercium totius Ordinis caput & Abbas; sed jam sua sorte contentus & ad humilia aspirans, electioni de se factæ consentire minimè voluit. Factus autem posteà Cardinalis & Episcopus Albanensis summi Pontificis delectu & ab eodem ad Lateranense Concilium vocatus, ibidem plenas sententias dixit, non sine omnium admiratione; unde adhuc in majori honore habitus, tùm ob rerum peritiam tùm ob inauditam ejusdem pietatem, ad diversas & graves legationes à summo Pontifice transmissus est ut in Saracenos & infideles alios populo Christiano crucem promulgaret. Quo quidem munere tam feliciter perfunctus est, ut Angliæ & Galliæ Reges & eorundem regnorum Proceres & Principes cruce signaverit. Mortuo autem Vrbano, in summum Pontificem à seniori purpuratorum Patrum parte electus, electioni nunquam consensit, imò Gregorii VIII. promoti posteà Legatus ab eo per universum orbem Christianum factus sicut & successoris ejus Clementis III. mira in omnibus hisce legationibus operatus est, & tantâ valuit authoritate apud omnes, ut Monarchæ, Dinastæ & Principes eundem summâ observantiâ coluerint: rediens verò è Germania Attrebatum ut ibidem pacem inter Belgii Comitem & Petrum Attrebatensem Episcopum, olim Ordinis Monachum, suâ prudentiâ componeret, jam morti proximus & bonis ac piis operibus ditatus, vitæ suæ probatissimæ cursum felici morte explevit; corpusque ejus in Claramvallem relatum, inter sanctorum Bernardi & Malachiæ tumulos positum est: ut quorum in vita æmulator extiterat, in morte socius fieret. Ascriptum est nomen ejus in dipticis Sanctorum Ordinis & catalogo eorundem Divione excuso ad quartam decimam diem Iulii, quamvis hac die obierit.

Cesarius *lib.* 8. Dialog. *cap.* 13. Manrique in laurea Evangelica. Calendarium Ordinis Divione excusum.

Eodem die in Germania depositio beatæ memoriæ Petri de Confluentia Hemmerodensis seu Claustri Monachi, qui postquàm sæculo valedixisset, & in virtutis stadio ac palestra fortis effectus esset longo religionis tyrocinio, in publicam arenam descendit contra sæculi & tenebrarum potestates dimicaturus. Nam de consensu ac Superiorum jussu in Livoniam cum Theodorico Episcopo profectus, ibidem prima Evangelii semina dispersit, multosque Infideles ac Idolatras suis concionibus, disputationibus, adhortationibus & exemplis ad fidem adduxit. Tanta denique vitæ puritate ornatus fuit ante dierum suorum finem, ut veniæ & indulgentiæ scelerum suorum salubre responsum è Cælo accipere meruerit per oraculum & vocem elapsam, eo ipso tempore quo per pœnitentiæ lavacrum Carolo Villariensi Antistite peccata sua deponeret, solutus verò felici morte corporis ergastulis, securus ad Cælos properavit præmium laborum suorum consequuturus.

Chronicon Villariense.

Villarii in Belgio Beatus Oliverius Monachus, genere quidem nobilis, sed sanctitate illustrior; tùm ob animi demissionem, tùm propter cæteras hominis Christiani & Religiosi virtutes: felici verò morte consumptus, memoratus est inter hujus Eremi Vilariensis viros illustres, in ipsa præfatione ad Chronicon hujus Cœnobii & in Menologio annotatus ad præcedentem Ianuarii diem.

PRIDIE IDVS IANVARII.

Decimo secundo Ianuarii.

Vita sancti Bernardi Claræval. Cartæ Signiaci.

IN Campania Remensi pręsulatu Beatus Guillelmus sancti Theodorici Abbas, qui primò factus Monachus sub Benedictino Instituto in Cœnobio sancti Theodorici non longè ab urbe, multa dedit suæ futuræ sanctitatis signa, electusque hujus loci Abbas ob vitæ meritum suos in hac dignitate qua potuit via ad pristinam Benedictini Ordinis normam reduxit. Sed famâ pietatis Bernardi Clarçvallensis ubique per Galliam & adjacentes regiones factâ, strictam

cum eo Guillelmus necessitudinem contraxit; impatiens verò suæ dignitatis & humilitatis cultor, cùm maxime in votis haberet reliquos vitę suæ annos apud Claramvallem transigendi, iteratis vicibus Bernardum in sua valle visitavit, eundemque obnixè rogavit ut depositâ sui præsulatûs & Cœbii sancti Theodorici sarcinâ, humilis Monachus Clarçvallis seu saltem Ordinis fieret. Sed pius Pater attentè perpendens quam utilis Guillelmus esset proprio Monasterio, petitioni nunquam assensit; ipse verò Guillelmus in strictioris observantię desiderio perseverans, à visitatione sancti Patris non destitit: cumque aliquando eundem ægrotum in tugu riolo quodam non longè à Claravalle posito, jussu Episcopi Catalaunensis sub cujusdam rustici curâ ut consuleret sanitati, inviseret: ipsius sancti patientiam nunquam satis mirari potuit, quòd tam malè à rustico contra Episcopi mentem exciperetur. Sed si aliquando Guillelmus Bernardi ęgritudini compateretur, Bernardus etiam Guillelmo subveniebat; nam cùm aliquando Remis ipse Guillelmus gravi morbo detineretur, Bernardus Gerardum germanum suum mittens, jussit sibi adduci Guillelmum apud Claramvallem, ubi Abbatem ægrum curavit sanari. Iam verò cùm post aliquos dies Guillelmus melius se habere & priorem abstinentiam à carnibus juxta Benedicti Regulam resumere meditaretur, & S. Bernardo contrarium suadenti resisteret; sequenti die coactus est Bernardo cedere urgente morbo. Reversus tandem Guillelmus in Cœnobium suum sanitate recuperatâ, in regulari observantia perstitit. Mortuo autem Bernardo Claravallensi, Guillelmus illicò quod à multis annis exequi tentarat, executioni mandavit: nam properans Signiacum Ordinis Cœnobium sub Clarævallis filiatione, demissâ Abbatiali dignitate, factus est humilis Monachus sub alio Bernardo Abbate Signiaci & primi Clarçvallensis vero æmulatore: in quo quidem Cœnobio reliquos vitæ suę annos sanctè & piè traduxit, tùm in conscribendis actibus sancti Patris Bernardi Clarævallensis, tùm in aliis codicibus vitæ spiritualis & secretioris evulgandis, & quod scribebat in codice, tenaciori proposito retinebat in mente. Postremò multis exantlatis ærumnis & laboribus, & bonorum ope-

rum manipulis ditatus, animam puriſſimam Creatori reddidit, beatis mentibus perpetuò aggregandam; ejuſque ſanctum corpus poſt aliquos annos à morte elevatum eſt à terra ob plura ſanctitatis ſigna, & in decentiori loco poſitum omnibus venerandum exhibetur juxta Clauſtri & Eccleſiæ januam.

IDIBVS IANVARII.

Decimo tertio Ianuarii.

Cap. gener. anni 1176.

IN Anglia & Cœnobio Rievallis, vigente adhuc in his regionibus orthodoxa religione, ex Decreto Capituli generalis Ordinis Ciſtercienſis anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto habiti, celebrabatur feſtivitas ſancti Ailredi ejuſdem Monaſterii Rievallenſis Abbatis, ut ritè Manriqueus author Hiſpanus ex veteri manuſcripto Ciſtercii aſſervato annotavit in ſuis Ordinis annalibus ad annum milleſimum centeſimum ſexageſimum ſextum.

Vita ſancti Guillelmi M M.

Bituricis ſepulturæ traditur ſacrum ſancti Guillelmi Archipręſulis hujus loci corpus, per tres-dies à morte ejuſdem ſancti aſſervatum & repoſitum in Eccleſia, tùm ob frequentem & innumerum populi Bituricenſis concurſum, tùm ob præclara ſigna & miracula quæ ad ſolum ejuſdem corporis contactum patrabantur; quæ quidem ſepultura non ſine novis miraculis & plurimorum ex ſuffraganeis Antiſtitum pręſentia peracta eſt.

In Leodienſi regione & præſulatu ac Cœnobio ſancti Remigii Ordinis Monachorum fundato olim ab Ægidio Rupeforti inſigni viro, feſtivitas ſancti Remigii ibidem agitur ſolenniter.

In Germania & Diœceſi Colonienſi dedicatio Baſilicæ Beatæ Mariæ de Vetericampo ſub Morimundi filiatione.

Cartæ Argenſolii & vita B. Idæ M M.

In Campania & Diœceſi Sueſſionenſi ac Cœnobio Sanctimonialium de Argenſolio filiationis immediatæ Claræ-vallis, Beata Ida prima hujus loci Abbatiſſa, quæ Leodii parentibus tenuioris fortunæ nata & à juvenilibus annis ab iiſdem

iisdem piè educata, quicquid puerilis ætatis erat, respuebat; & solitudinis avida, è paterna domo raró exibat, nisi vel sacras ædes & Ecclesiam adiret, vel ad alia loca sola urgente necessitate pergeret. Ætatis autem suæ anno tertio in Deiparæ Virginis cultum propensa, salutationem Angelicam, quam jam usu didicerat & mente retinuerat, sæpè sæpius recitabat: Diabolo verò ob innocentiam infensa, variis illusionibus est exagitata; orationi tamen intenta, non facilè animum ad exteriora revocabat. Anno ætatis suæ quinto in Monasterium sancti Leonardi Ordinis Benedictini ingressa, pientissimam & prudentissimam quandam Monialem magistram habuit, quæ intra breve temporis intervallum, quicquid erat scitu necesse, pro pia conversatione seu regulari disciplina, eandem Idam docuit. Ida verò duris virgis corpus innocens dilacerans, aliquando tota sanguine aspersa, per vestes advertebatur: quę quidem verbera sibi infligens, per integrum psalterium, quod solebat recitare, continuabat. Noctes ducens insomnes, orationi insistebat in templis, brachiis aliquando extensis, aliquando verò prostrato humi corpore etiam sub hyemis frigoribus. Quibusdam diebus per hebdomadam solo pane & aquâ victitabat, sed præsertim in vigiliis solennioribus; & quód nimio labori vacasset sororibus aliis subveniendo, bis in gravem morbum incidit. Ætatis suæ decimo tertio, ut liberiùs Deo vacare posset, ab exterioribus avocata, per morbum, cœlestis sponsus eandem omnium membrorum paralysi, oculis & linguâ solis exceptis laborare permisit; qua quidem ægritudine affecta, plerumque lecto prosiliens, á sororibus ad Ecclesiæ januam deferri curabat, & præsertim diebus festivis, ut orationi plus solito insisteret. Cumque per noctem in Vigilia omnium Sanctorum sic cælestium rerum meditationi incumberet, eidem Christus Dominus apparuit; & cùm eam sanare vellet, ab eadem, ut ad festum sancti Leonardi Monasterii Patroni differret, rogatus est. Quo quidem festo adveniente, sororibus eam ad Ecclesiam deferentibus more solito, non ampliùs ad Cellam deferendam, sed se propriis pedibus sine ullo aliarum auxilio reversuram prædixit; quod quidem sancti Leonardi meritis quem deprecata fuerat, uti

prædixerat, evenit. Ipsa itaque ad Dormitorium reversa ut sorores ad Vigilias excitaret, omnes in admirationem rapuit ob miraculum: visitata verò plerumque ab eodem S. Leonardo sui charissimo, plura per eum charismatum dona à Christo Domino obtinuit: At verò ne adhuc per exteriora à cælestium rerum meditatione animum revocare cogeretur, iterùm divinum suum sponsum precata est, ut quodam alio morbo per totum corpus affligeretur ac vexaretur; quod quidem evenit, posteà tamen ejusdem sancti Leonardi meritis denuò est curata. Quid plura? Ipsa strictioris observantiæ cupida, post longam deliberationem & maturum consilium ex ipso sancti Leonardi Cœnobio in Ordinem Cisterciensem convolavit, ubi non vulgari sanctitate claruit. Famâ autem ejus dispersâ per vicinas regiones, selecta est ab Ordinis Superioribus ut prima præficeretur Abbatissa apud Argensolium noviter à serenissima Campaniæ Comitissa Blancha constructum. Quò profecta cum triginta quinque aliis Monialibus, variis adhuc gratiarum & donorum charismatibus est illustrata: sæpè enim plurium mentes & conscientias quasi sibi apertas intuebatur: Dæmonum illusiones & tentamenta deprehendebat, tentatasque Moniales, ut sibi timerent & invigilarent, admonebat; cognoscens etiam, per oraculum cæleste edocta, quòd ipsæ omnes Moniales sibi commissæ adhuc Virgines essent, unâ solâ exceptâ, ipsi indicans secretò non mediocrem eidem stuporem ingessit: discernens quoque earum omnium merita, absentium sororum suarum culpas denotabat. Augustissimi Eucharistiæ sacramenti cultui plurimùm dedita, illud cum intimo divini amoris sensu piè suscipiebat: cumque aliquando gravissimo morbo laboraret & omnes de ejus vita desperarent, suscepto ipso sacro viatico & cælesti illo cibo, sanitatem recuperavit. Rapta aliàs per ecstasim, quàm vana essent omnia sæculi lucidè cognovit: suavibus verò paradisi delitiis delibuta, per attentam cælestium considerationem nonnisi cum labore & doloris sensu ad seipsam revertebatur. Subindè pro defunctarum animarum solatio supplicans, easdem animas coram se positas advertebat; de earum statu diligenter inquirebat, ut si adhuc Purgatorii pœ-

nis retinerentur, Dominum pro earum liberatione suis precibus sollicitaret; Dæmones quoque in plures insultantes, per mentis visum conspiciens, aggressos ut caverent mira cum charitate monebat. Porrò longum esset ea omnia sanctitatis Idæ testimonia recensere, sed ut brevi verba multa concludantur, plures culpis quibusdam sibi notis & ignotis ab iis affectos arguit, & ut pœniterent monuit: plures verò alios in agonia positos & in salute titubantes firmavit, cæteros in virtute non adhuc firmatos roboravit; sic omnibus omnia facta, ut Christum lucrifaceret. Porrò cælestes spiritus omninò familiares habuit, quos sæpè inter divina officia per chorum discurrentes & cælesti modulamine resonantes cernebat. Externos homines alloquens, non cum hominibus conversari, sed cum Angelis colloqui videbatur, facta omninò alia à se & quasi extra se posita. Castigationi & austeritati dedita, proprium corpus pœnis, cilicio, flagellis vexans, tanquam infensissimum hostem illud habebat: severa tamen in seipsam, non nimis suavis & lenis aliis erat. Christi Domini mortem & crucis mysterium animo perpendens, tota in lachrymas resolvebatur, & multis sanctissimæ Triadis arcanis sibi per orationem detectis, ita eidem fidei mysteria fiebant nota sicut & sacræ Scripturæ sensus & intelligentia, ut in omnibus firma & constans in fide, vacillantes suis rationibus & exemplis firmaret. Quidquid à Deo petiit, eam obtinuisse constat; cumque Clericum quemdam in salute periclitantem, & virum alium nobilem in vitiis pertinacem & ad extrema positum Deo commendasset, eisdem cordis compunctionem obtinuit. Apostatas plurimos & à Claustro seu religione profugos suis precibus ad Monasteria revocavit. Cœnobio inopia laborante iisdem viis, Deo confidens, subvenit: & cùm aliquando in instituenda Priorissa in suo Monasterio hæsitaret, ad Deum suo more recurrens per orationem, quædam probatissimæ vitæ à Deo eidem indicata est, quæ quidem posteà ob vitæ meritum ad Abbatiam beatæ Mariæ Duacensis est sublimata. Quandam è suis Monialibus in extremis laborantem visitans, eam non adhuc illo morbo morituram fore prædixit: cumque ad sacram sinaxim certa die accederet, cuiusdam Leodien-

ſis civis ſtatum divinitùs agnovit. Patris cujuſdam ex ſuis poſt Mortem in Purgatorii pœnis exiſtentis miſeriam eidem moniali indicavit, eamque ut illum ſuis juvaret precibus monuit. Culpæ à ſuis commiſſæ, tum in ſinaxis tum in pœnitentiæ ſacramento eidem revelabantur, ut ipſas argueret cauſaſque eiſdem declarabat: & cùm aliquando ſecretò & clam quædam ſimul confabulatæ eſſent, quicquid dixerant illa quamvis abſens illis referebat; & diſcretione ſpirituum illuſtrata, falſas ecſtaſes vanamque plurium pietatem detegebat. Paulò autem antequam moreretur, Angelum per viſum evaginato gladio Comitiſſæ Blanchæ ſuæ Monaſterii Fundatrici mortem intentantem vidit, ſed pro ea adhuc ſuis neceſſaria deprecans, ejuſdem Comitiſſæ vitæ prolongationem à Deo impetravit; offerenſque ſeipſam pro ea, in gravem morbum incidit Ida, & morte proxima, Eccleſiaſtica Sacramenta multa cum pietate ſuſcepit, ac ſuis Monialibus valedicens, & ad meliora charisſmata eaſdem ſuis adhortationibus provocans: miraculis, virtutibus & prodigiis clara, ſancto fine & placida morte migravit ad ſponſum, mœrentibus ſororibus omnibus & jubilantibus Angelis tertia decima Ianuarii die & ſeptimo ſui regiminis anno. Ejus autem vita à variis authoribus, Monachis & ejuſdem Cœnobii Argenſolii Confeſſariis conſcripta, adhuc uſque manuſcripta extat nondum typis mandata, locuſque ejus ſepulturæ magnâ poſteritatis incuriâ ob bella fortè nimia multis temporibus per Campaniam & Galliam ſuborta, manet incognitus.

Cartæ Veterismontis.

In Germania Cœnobio Veterismontis Henricus Monachus, qui primò in Eccleſia ſancti Cuniberti apud Coloniam Canonicus, voluptatibus animum dedit, carniſque deſideria perficiems, ſalutis ſuæ per aliquos annos immemor fuit; cumque tamen Deiparam virginem quotidiè quibuſdam precibus colere ſoleret, ab ea monitus per miraculum corde compunctus eſt, ſæculumque contemnens, factus eſt humilis Monachus in ſupradicto Cœnobio, ubi ſincera mente Deo ſervivit, & multis virtutibus refulſit; annotatus hac de re poſt mortem inter viros Ordinis illuſtres in Menologio Henriquei ad 17. Decembris.

Floruit & in Germania Henricus Monachus & Eremita, qui de Superiorum consensu apud Suevos erecto Cœnobio Anguli in Monte sancto, ibidem vitam solitariam & sanctissimam duxit, soli Deo vivens & sæculo omninò mortuus: cujus nomen & in vita & post mortem in benedictione fuit, ac meritò inter alios Ordinis Beatos ascriptum hac die in Menologio.

Crantzius *in Fundationibus Monasteriorum Germaniæ.* Mireus *in Chronico Cisterciensi.*

Belgio Beata Yveta reclusa, quæ decimo octavo ætatis suæ anno viro orbata castitatem vovit, & suscepto Ordinis habitu Aureæ-vallis Abbatis directioni se submisit, vitamque purissimam in cella quadam egit ac piis operibus plena, migravit ad Christum anno Domini ducentesimo vigesimo septimo supra millesimum aut circiter; Menologio Henriquei ascripta ad hanc diem.

Molanus *in annotationibus Sanctorum Belgii.* Mireus *in Chronico Cisterciensi.*

DECIMO NONO CALENDAS FEBRVARII.

Decimo quarto Ianuarii.

IN agro Parisiensi & Cœnobio Vallis Dominæ nostræ sub filiatione Curiæ-Dei & Cistercii festivitas sancti Felicis Confessoris cognominati in Pincis; cujus quidem sancti caput ibidem religiosè asservatur in Theca argentea, & magno populi concursu colitur & veneratur, fitque in ejusdem reliquiæ gratiam per universum Ordinem memoria ejusdem Sancti ad instantiam fortè Guidonis Abbatis Cistercii & anteà ejusdem Cœnobii de Valle Antitistis.

Cartæ hujus loci.

Coloniæ in Germania Beata Heylexa Ordinis Cisterciensis reclusa Sanctimonialis, quæ diu in quadam cella, quam juxta sancti Andreæ Apostoli Ecclesiam construi curaverat degens, ibidem sub Cisterciensibus legibus vixit solis fidelium eleemosinis sustentata; cujus quidem nomen ex vernacula lingua redolebat ejusdem vitæ sanctitatem apud omnes, perseveransque constanti animo per totam vitam in arrepto pio vivendi proposito, tandem felici morte obdormivit in Domino, & post mortem inter cæteras illustres Ordinis mulieres non immeritò est annumerata, & ascripta hac die Ca-

Cæsarius *in vita S. Eustredi Coloniensis.*

lendario Gallico Divione excuso, memoraturque apud Cistercium & antiquum Ordinis Historiographum in vita sancti Eustredi prædictæ Ecclesiæ sancti Andreæ Decani.

Sacrarium Namurcense. Calendarium Ss. Ordinis.

In Belgio Beatus Bernardus Salsiniensium Monialium à Confessionibus, qui ritè & piè eo munere functus, sanctis monitis & salubribus exemplis earundem spirituale bonum promovit, mortuusque meritis plenus, inter Beatos ascriptus est, tum in Namurcensi Sacrario, tum in Menologio Ordinis ad hanc diem.

DECIMO OCTAVO CALENDAS IANVARII.

Decimo quinto Ianuarii.

IN Regno Castellæ institutio sacræ militiæ de Calatrava sub legibus Cisterciensibus ad fugandos ex Hispania Mauros & Infideles facta à Beato Raymundo Scalæ-Dei Monacho & Abbate de Fitero in Navarra, qui zelo fidei succensus plures coëgit milites de Regis licentia & suorum Superiorum, ut ipsi Infidelibus bellum inferrent ac etiam fidem Catholicam propagarent: quibus etiam militibus habitum & cucullam candidam dedit ad annum reparatæ salutis millesimum centesimum quinquagesimum nonum aut circiter, quem quidem habitum ad tempora Benedicti Pseudopontificis VIII. asservarunt.

Liber illustrium virorum Fuliensium.

Sub Vasconiæ finibus in ipsa Fuliensi Abbatia Diœcesis Rivensis depositio venerabilis Patris Placidi à sancto Mauro congregationis Fuliensis Monachi, qui per multos annos ibidem infirmis fratribus mira cum charitate & humilitate ministravit, mansuetudineque insignis omnibus amabilis factus est, ac tandem post multa pietatis opera cùm jam morti proximus esset, sacri officii pensum (à quo recitando per totam vitam nunquam destiterat) persolvere tentans, inter ipsas sacras preces susceptis Ecclesiæ sacrosanctis Sacramentis genibus flexis & oculis in cælum erectis, purissimam efflavit animam, postquam in primo ægritudinis limine & initio mortis suæ horam prædixisset, nec visurum se mortem

nisi priùs sancti Mauri Abbatis festivæ diei seu decimi quinti Ianuarii finem vidisset.

DECIMO SEPTIMO CALENDAS IANVARII.

Decimo Sexto Ianuarii.

CHesiriaci in Sabaudia sub Fonteneti filiatione depositio Beati Rolandi hujus loci Monachi & Abbatis, qui magnis virtutibus coram Deo perornatus, purissimam vitam duxit; virtuteque ejus per plures annos probata, cùm morte Abbatis vacaret Abbatia, cõmuni Monachorum suffragio ad hanc dignitatem pro vitæ merito est electus. Claruit autem magis ac magis sanctitate & variis miraculis sub primis illis Ordinis Cisterciensis temporibus dum adhuc multum vigeret regularis disciplina, sanctisque operibus plenus ad cælos innocentissimam transmisit animam, & post obitum meruit ut miracula ad ejus tumulũ perseveraverint concurrente undiquè populo ad sancti hujus sepulchrum; quem quidem concursum & cultum in sanctum non modò tolerarunt summi Pontifices, sed & quarumdam indulgentiarum concessione firmarunt, scriptusque legitur Rolandus in veteri Sanctorum Ordinis Catalogo, officioque Ecclesiastico quotannis coli dicitur, responsoriis, collectis ac antiphonis hac de re evulgatis.

Missale vetus *in Catalogo Sanctorum Ordinis.*
Calendarium Sanctorum Ordinis.

In Claravalle Beatus Godefridus de Perona, unus ex illis quos sanctus Pater Bernardus in Belgio ad vitam monasticam suis concionibus allexit; Monachusque factus ita vitæ sanctitate claruit, ut pro merito Prior Claræ illius vallis præfectus fuerit, & suis præclaris actibus adhuc clarior factus, in Episcopum Nannetensem seu Tornacensem electus est: sed electionem respuens tanquam suæ saluti obnoxiam, nec Bernardo Patri nec Eugenio III. suadentibus acquiescere voluit, imò severior existens in seipsum austeritate vitæ, mortuus est in senectute bona ascriptus Henriquei Menologio ad præcedentem diem.

Picardus *in Epistolas S. Bernardi.*
Vita S. Bernardi *lib. 4. cap. 3.*

DECIMO SEXTO CALENDAS IANVARII.

Decimo ſeptimo Ianuarii.

IN ſuburbiis Pariſienſibus & Galliæ metropolis præſulatu ac Cœnobio Sanctimonialium ſancti Antonii vulgò à campis nuncupati, feſtivitas ejuſdem ſancti Abbatis & Eremitæ ſolemniter celebranda ſicut & in aliis pluribus Cœnobiis ejuſdem nominis in civitatibus Novarienſi & Vercellenſi ſub Sabaudiæ finibus.

In Gallia Cœnobio Regalis-montis ad Iſaræ ripas præſulatu Bellovacenſi ſolemnitas ſancti Sulpitii Bituricenſis Archiepiſcopi, in cujus honorem dedicata fuerat olim Eccleſia ad portam Monaſterii conſtructa, & cujus ſacra manus ibidem adhuc religiosè aſſervatur in Theca argentea.

Vita S. Bernardi lib. 2. cap. 8.

In Germania Beatus Algotus Curienſis Epiſcopus, qui àb adoleſcentia ſuſcepto ſacro Ciſtercienſi habitu in Cœnobio Claræ vallis ſub ſancti Patris Bernardi Magiſterio, ita tanti patris inhæſit veſtigiis & ejus ſanctitatem eſt æmulatus, ut poſt multa virtutis ſpecimina è clauſtro extractus, Curienſi Eccleſiæ præfici meruerit apud Rhetos, nec tamen in eo dignitatis honoſmorum probitatem minuit, imò boni paſtoris munia Monaſticis exercitiis copulans, ſanctitatem auxit, Marthæ ſimul & Mariæ officia exequens; unde à Guillelmo ſancti Theodorici Abbate, vitæ ſancti Patris Bernardi celebri Scriba ſapientia ætate & gratia Reverendus Algotus dictus, non mirum ſi ab omnibus per vitam tanquam ſanctus habitus fuerit, cùm nonniſi poſt multa erecta Monaſteria & Eccleſias de novo inſtauratas, bonaque plura pauperibus in eleemoſinam erogata, ſecurius perrexerit ad Chriſtum, bonorum ſuorum operum compenſatorem & præmium. Eum verò poſt mortem miraculis coruſcum celebrat Seguinus, & hac die Calendario Sanctorum Ordinis aſcribitur.

Ex actibus Villarii.

Villarii in Brabantia Tranſlatio Sanctorum corporum Godefridi

Godefridi Sacristæ, Arnulphi Conversi, Abundi Monachi, & Iulianæ Sanctimonialis ac Priorissæ Cornelienfis, Marchinæ, Mariæ de Gravio, Heduvigis illustrium mulierum, Henrici & Guillelmi hujus loci Abbatum, facta hac die à Roberto Henrioneo Abbate è priori lipsanotheca in qua recondita olim fuerant, in novum marmoreum sepulchrum intra sacellum divi Bernardi nomini sacrum variis jaspidis marmoreisque lapidibus perornatum; præsente ibidem magno populi concursu & toto conventu Monachorum hymnos & cantica decantantium, anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo decimo nono, ut patet ex appensis ibidem versibus.

In Gallia obdormitio pii Patris Guillelmi à sancto Alexio, qui primus omnium spreto sæculo Fulliensem reformationem anno salutis millesimo quingentesimo septuagesimo septimo sub Reverendo Patre Domno Ioanne Barerio ejusdem Congregationis Institutore amplexus est, nudis pedibus incedens, humi per noctem decumbens, solis leguminibus & herbis victitans, caput perpetuò inter divina officia discoopertum habens, primus in vigiliis, in labore, in jejuniis, noctes ducens insomnes, in oratione persistebat; imò gelu plerumque rigidus ex Oratorio ad infirmorum locum à fratribus tanquam semimortuus aliquando est deportatus: moderato verò ejusdem Congregationis rigore à summis Pontificibus, pristinum vitæ genus arreptum constanti animo deponere renuit, sed ad mortem usque fervens & pius, felici obitu hac die finem vitæ imposuit inter sacras ultimi Sacramenti unctiones anno salutis millesimo sexcentesimo vigesimo tertio.

Liber illustrium Fulliensium.

In Belgio Villariensi Cœnobio Beatus Theodardus Conversus, cujus præclara acta humilitatis, pietatis, castitatis, & cæterarum Monasticarum virtutum leguntur in libris de claris luminaribus Villariensis Cœnobii sanctitateque decorus quievit in pace, ascriptus inter Sanctos Ordinis in Menologio ad decimum quartum diem hujus mensis.

Chronicon Villariense.

Item ibidem Villarii floruit Theobaldus de Courteray qui ex Castellano ejusdem loci Monachus Villarii factus, in magna probitate vixit: expletoque suæ vitæ cursu, reposita

In præfatione de gestis virorum illustrium Villariensium.

est ipsi corona justitiæ apud Deum & ipsius memoria apud posteros in benedictione fuit, memoratus ab Henriqueo ad decimum sextum Ianuarii.

DECIMO QVINTO CALENDAS IANVARII.

Decimo octavo Ianuarii.

Calendarium Ordinis Gallicum. Diploma Alexandri Papæ.

ROmæ diplomate dato ab Alexandro III. summo Pontifice motu proprio anno salutis millesimo centesimo sexagesimo quarto, solenni ritu Sanctorum Catalogo ascribitur sanctus Pater Bernardus primus Abbas Clarævallis prodigiis & virtutibus admirandus, literis hac de re datis ab eodem Pontifice ad Christianissimum Galliæ Regem Ludovicum, ad omnes Christiani orbis Præsules & Antistites, & specialiùs ad universos Abbates Ordinis Cistercienſis & ad Abbatem ac Monachos Claravallenses, data facultate ejusdem sancti natalitia seu festum per universam Ecclesiam celebrandi.

Chronicon Villarii.

Villarii in Brabantia Beatus Everhardus hujus loci Monachus qui ob admirandum silentium ab eo per totam vitam observatum, taciturnus vulgò dictus est; insignisque ita in hac virtute extitit, ut cùm aliquando à quibusdam obviis militibus per derisionem silentii temporibus seu nocturnis horis interrogaretur, & ad respondendum & loquendum cum minis, injuriis ac verberibus urgeretur, nunquam regularis sui silentii leges transgredi voluit: cumque ab ipsis multis alapis repercuteretur, memor præcepti dominici genam illis aliam percutiendam, imò flexis poplitibus & percussorum suorum pedibus provolutus, tanquam si iisdem fecisset injuriam, veniam silenter petiit; & sic quo pede ceperat in virtutis stadio perseverans Everhardus multis insignitus est gratiarum carismatibus, sed præsertim miraculorum gratia, dum bruta animantia solo suo verbo tanquam jussu quamvis ferocia domasse visus est, post quæ tanta sanctitatis opera & signa ex hac mortali vita sublatus est, ut æterna gloria cum aliis Sanctis pro meritorum suorum ratio-

ne bearetur; aſcriptus inter illuſtres Villarii Monachos in Chronico ejuſdem loci & in Auctuario ad Molanum hac die decima octava Ianuarii.

In Hiſpania Beatus Michaël Sacerdos Ordinis Ciſtercienſis & militiæ de Monteſia aſcriptus, qui zelo fidei orthodoxæ ſuccenſus, libera voce apud Infideles & Idololatras ſeu Mahumetiſtas Evangelium promulgavit: Captus autem inhumaniter ab illis cùm in fidei confeſſione perſtitiſſet, vivus in ignem injectus eſt, ibique conſummatus palmam martyrii reportavit, aſcriptus inter Beatos Ordinis ad decimam octavam Ianuarii.

Arbor Martyrialis Antuerpiæ excuſa. Calendarium Sanctorum Ordinis.

DECIMO QVARTO CALENDAS IANVARII.

Decimo nono Ianuarii.

IN Claravalle depoſitio Beati Henrici Converſi corpore quidem contracti, ſed animi virtute inſignis, qui cùm aliquando ſancti Patris Bernardi per Germaniam ut populum excitaret ad bellum contra Infideles diſcurrentis, concionibus interfuiſſet, corde compunctus Sancto Patri adhæſit, eumque ſequens Claramvallem ab eo Converſorum habitum poſtulavit & accepit, ſicque pauper factus ex divite, & diù Sancti Patris comes individuus & interpres in Germania eum veſtigiis imitari ſtuduit: manſuetudine verò mirabili præditus omnium cum quibus converſabatur amicitiam & benevolentiam ſibi facilè conciliavit. Tandem poſt plura pietatis opera, poſt longam regularis diſciplinæ obſervantiam, obiit in ſenectute bona ad annum 1211. paulò antè Hiſterbacenſis Cæſarii tempora. Eundem autem poſt mortem habuit Cæſarium ſuorum actuum fideliſſimum Scribam, ſicut & plures Ordinis Authores jure ac merito in antiquis Ordinis Calendariis aſcriptus eſt inter Beatos ejuſdem Ordinis, & vulgò ob inſigne Prophetiæ donum à Deo impartitum & conceſſum, Propheta eſt cognominatus.

Catalogus Illuſtrium Ordinis. Cæſarius *lib. 1. cap. 16.* Edmundus à Cruce Ciſt. Abbas *in ſua Confraternitatis charta.*

Ciſtercii in Burgundia obiit Beatæ memoriæ Galtherius de Ochies Doctor Theologus & hujus loci Archimandrita

Ex ejus actibus. Calendariũ Ordinis hac die.

inclitus ordine & numero vigesimus primus', qui Monachus in Longo-ponte Valesiæ Cœnobio vitam omni laude dignam duxit, unde factus Sacerdos, electus est hujus loci Abbas, quem quidem locum multa vitæ probitate rexit & multos suæ virtutis exemplo ad Monasterium attraxit, inter quos non minimus fuit Beatus Ioannes de Monte-mirabili. Fama autem suæ Religionis ubique facta, meruit in altiorem gradum sublimari electus communi fratrum Cisterciensium suffragio in Cœnobiarcham Cistercii & Ordinis caput, ad annum Domini 1219. In qua quidem dignitate multa pia operatus salubres sanctiones & leges ad Ordinis decorem & conservationem disciplinæ regularis ac animarum salutem promulgavit, instantia verò Honorii III. summi Pontificis plures Ordinis Monachos in Prussiam & Licaoniam tanquam harum regionum Apostolos transmisit, qui illic Evangelium propagarent; factus quoque ejusdem Pontificis Legatus ad Philippum Augustum Galliæ Regem cum Episcopo Parisiensi litigantem, subortam litem magna cum animi prudentia sopivit, ac tandem multis bonis operibus cumulatus, deficientibus præ senio viribus, diem ultimum clausit laborum suorum præmium in cælis reportaturus, nominaturque inter illustres Cistercii Abbates sanctitate donatos à pluribus Ordinis Authoribus, & nomen ejus annotatum est hac die in Menologio Cistercii.

Iacobus Guisianus in Chronicis Hannonia. Miræus in Chronico Cisterciensi.

In Hannonia Beatrix Monialis & Sanctimonialium Spinosi-loci Fundatrix, quæ sæculi delicias spernens ut Christo sponso adhæreret & se se devoveret, facta est ibidem Monialis, ubi multis bonis operibus insignis, quod pius quidam Anachoreta inchoaverat Cœnobium, eadem perfecit in ipso loco quod priùs ei pro matrimoniali dote designatum fuerat. Mortua autem post multa virtutis testimonia, non mirum si inter illustres Ordinis mulieres & filias ascripta fuerit in Menologio ad hanc diem.

DECIMO TERTIO CALENDAS IANVARII.

Vigesimo Ianuarii.

FEstum Sanctorum Fabiani Papæ & Sebastiani militis Martyrum per totum Ordinem celebrandum sub duodecim lectionibus & simplici sacro conventuali proponitur, sed præsertim in Romana civitate & perantiquo sancti Sebastiani ad Catacumbas Cœnobio Ordini Cisterciensi olim concesso sub filiatione Sancti Sulpitii & Pontigniaci, nunc verò Monachis Fuliensibus ut ibidem suam strictiorem observantiam instituerent. Cap. generale.

Item Vrsicampi in præsulatu Noviomensi festum Sancti Sebastiani, cujus caput ibidem in Theca argentea & deaurata religiosè asservatur.

In Cœnomania & Fontis-Danielis Cœnobio memoria pii Patris Michaëlis Triquier hujus loci Monachi & Doctoris insignis Facultatis Parisiensis, qui inter collapsam Ordinis Cisterciensis disciplinam sub præcedenti quingentesimo supra millesimum sæculo suscepta veste Monachali in supradicto Cœnobio post professionem ob animi docilitatem Parisios in Collegium S. Bernardi transmissus est, ubi peractis studiis Philosophicis & Theologicis, Doctoratûs gradum adeptus est: cumque pietatem simul cum literis suxisset, ad varia destinatus officia à Superioribus, cuncta sibi commissa ritè peregit, multorumque Cœnobiorum reformationi utriusque sexûs incubuit, sed præsertim in Claravallensi filiatione. Cùm autem Prior & in Vallibus-Cernaii & in Fonte-Danielis stabilitatis suæ Cœnobio nominatus esset, magna vitæ austeritate floruit; spinas enim sub caputio gerebat simul cum cilicio carnem domante: mortuus verò in senectute bona, apud posteros specialem reliquit suæ virtutis memoriam. Extraditione Vallium-Cernaii & Fontis-Danielis.

DVODECIMO CALENDAS IANVARII.

Vigesimo primo Ianuarii.

Ex Cartis Regalis-montis.

IN Gallia & Cœnobio Regalis-montis Diœcesis Bellovacensis festivitas Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris, cujus brachium ibidem à Sancto Ludovico Rege hujus Cœnobii Fundatore concessum religiosè asservatur; estque eidem Virgini Agneti in eadem Ecclesia constructum sacellum ad sinistrum latus majoris aræ, ubi olim erat supradicti pii Regis oratorium, ejusque vita adhuc extat picta in eodem sacello.

Iungelinus *in notitiis.*

In Germania & Cœnobio Hemmerodensi solennis commemoratio & memoria ejusdem virginis, cujus genu rubro serico contectum ibidem cernitur in sacrario & fidelibus venerandum exhibetur; extatque adhuc ibi corpus alterius virginis ejusdem nominis Agnetis quæ una est ex virginibus Coloniensibus martyribus cujus memoria alia die recolitur.

Ex traditione domûs.

In Normania & Cœnobio Brolii-Benedicti sub filiatione Vallium-Cernaii & Claravalle repositio quorundam ossium ejusdem virginis & martyris Agnetis, diù ibidem religiosè asservatorum, quæ posteà per Commendatarium Abbatem Parisios in Basilica Sancti Eustachii martyris sunt delata.

Vita B. Iulianæ de Monte-cornelio. Molanus. Sacrarium Namurcense.

In Belgio Beata Agnes Corneliensis Monialis & Germana Soror Beatæ Iulianæ quam pressis vestigiis imitari studuit, expulsaque cum ipsa à Leodiensibus civibus furentibus, venit Salsiniam Cœnobium Ordinis non longè à Namurco, ubi per aliquos annos piè vixit; pluribusque pro Christo exantlatis laboribus, pia morte quievit ut coronam (quam meruerat in terris) acciperet in cælis, annotata inter Beatas Provinciæ Namurcensis in Menologio Henriquei ad hanc diem Ianuarii.

VNDECIMO CALENDAS IANVARII.

Vigesimo secundo Ianuarii.

IN Germania & Cœnobio Hemmerodensi depositio Beati Vualteri de Bierbach, qui à natalium suorum loco & oppido sic dictus, & ex Ducum Brabantiæ prosapia exortus, Henrici Lovaniensis Ducis affinis & consanguineus extitit, cúmque in adolescentia sæculari militiæ mancipatus adhuc esset, ita Beatæ Virginis specialis cultor fuit, ut per ipsam variis & cælestibus gratiarum charismatibus insigniri meruerit; inter quæ præcipuè illa crux aurea recensetur, quæ ei è cælo magno miraculo concessa per plures annos in supradicta Abbatia Hemmerodensi (ubi togam susceperat Monachalem) multo cum honore est asservata, ac tandem Hollandiæ Comitissa eam postulante ad eandem transmissa ab Ordine periit: Ipse verò Vualterus Ordinem Cisterciensem speciali cultu sacræ Virgini dicatum resciens, spretâ sæculi pompâ & variis terræ honoribus & dignitatibus mundi contemptis, in hoc Cœnobio Hemmerodensi seu Claustriensi ejusdem Ordinis se inclusit indutâ veste Monasticâ. Solenni autem post annum votorum suorum emissione factâ, quæ in probatione & religionis tirocinium didicerat auditione, opere complevit, nec solito divini officii penso contentus, psalterium ex integro, hymnos, cantica, aliasque preces & oratiunculas in honorem tantæ Virginis evulgatas, per reliquum vitæ suæ cursum fideli cultu recitavit ex licentia sibi à Superioribus data; imò cùm quotidie adhuc in inferiori ordine positus nec sacros ordines adeptus, Monachum de more Ordinis sacrum de Beata Virgine celebrare conspiceret, ipse pius Virginis cliens huic sacro ex integro intererat. Tandem miraculis & signis clarus, brutis animantibus, dæmonibus, ac elementis quibusvis ad libitum utebatur; plenusque bonis operibus ac piis moribus obdormivit in Domino, & post mortem publicæ populorum venerationi expositæ sunt sacræ ejus reliquiæ, unde plurimi Authores eun-

Cæsarius *lib. 4. cap. 54. lib. 7. cap. 39.* Guido Clarevallensis.

dem inter beatas Mentes Ordinis recenſerunt.

Chronicon Villarienſe.

In Brabantia Beatus Henricus, qui ex nobili familia natus & Dominus de Berni, ab adoleſcentia ſæculi pompis & divitiis renunciavit, humiliſque Converſus factus in Cœnobio Villarienſi multa virtutis ſpecimina dedit, ſed præcipuè humilitatis & obedientiæ, imò Deo intentus rerum cæleſtium attentione plura ſecreta à Deo reſcire & multarum gratiarum chariſmate irrorari meruit, poſt mortem inter Villarii Illuſtres annumeratus & Menologio Henriquei ad hanc diem inſertus.

DECIMO CALENDAS IANVARII.

Vigeſimo tertio Ianuarii.

Albertus Crantzius. Calendarium Ordinis. Arnoldus de Raiſſe, *de ligno vita.*

IN Germania & Cœnobio Marienfeldenſi ſeu Campi B. Mariæ Ordinis Ciſtercienſis obiit piæ memoriæ Bernardus de Lippia Comes, qui ex nobili ſtirpe genitus, nobilem in adoleſcentia duxit uxorem, ex qua cùm plures in matrimonio liberos ſuſcepiſſet & eoſdem piè & ſanctè educaſſet, ſpretis ſæculi pompis de conſenſu conjugis ſeu eâ mortuâ, in ſupradicto Cœnobio veſtem induit Ciſtercienſem, cúmque multum in pietate & virtute profeciſſet, poſt nonnullos à ſolenni profeſſione annos pro merito concurrentibus Monachorum ſuffragiis, ejuſdem loci electus eſt Abbas. In qua quidem dignitate præfuit verbo & opere, ſucceſſu tamen temporis zelo animarum ſuccenſus, & propagandæ Eccleſiæ inter ethnicos ac effundendi ſanguinem & vitam pro Chriſto æſtuans deſiderio, de Superiorum licentia in Livoniam profectus eſt, ubi verbo Dei propalato & ethnicis ipſis promulgato, multò multis profecit; factuſque & nominatus à ſummo Pontifice Lehalhenſis Epiſcopus in his Livoniæ regionibus, á proprio filio Othone Trajectenſi Epiſcopo eſt conſecratus, Gerardum alium cum eodem Othone in Archiepiſcopum Bremenſem paulò poſt conſecratus & tandem jam ſenex poſt varias ærumnas exantlatas, viribus corporis deficientibus circa annum ab incarnato Verbo 1260.

1260. piam animam ad ætherea transmisit perpetuò cum Christo regnaturam, eumque ascribit inter Beatos Ordinis & Calendarium Divione excusum, & ad hanc diem Arnoldus Vionius multis in locis sui ligni vitæ.

In Frisia memoria venerabilis Guidonis Floridicampi Abbatis, qui post probatam virtutem in Monasterio & susceptum habitum, ad eam dignitatem Abbatialem promotus, purissimæ vitæ omnibus reliquit odorem; primò quidem in Cœnobio Sancti Bernardi de Aldivertio & posteà in Floridocampo, ubi post felicem vitæ decursum beato fine quievit suorum laborum præmium consequuturus in cælo, & annumeratus inter Beatos ad hanc Ianuarii diem, tùm in Menologio Henriquei, tùm in Calendario Sanctorum Ordinis, tùm apud Seguinum ubi de viris illustribus Ordinis. *Cæsarius lib. 11. cap. 30. Seguinus lib. 3. Sanctorum Ordinis.*

NONO CALENDAS FEBRVARII.

Vigesimo quarto Ianuarii.

IN Hibernia Cœnobio Geripontis & Diœcesi Ossoriensi obdormitio Beati Felicis Odulani hujus loci Cœnobitæ, qui ab aolescentia cælestium rerum speculationi omninò deditus caduca omnia sprevit, factusque Monachus in supradicto Monasterio vitam omni virtute conspicuam duxit; fama verò suæ sanctitatis facta per vicinas regiones, in Episcopum Ossoriensem communi Clericorum suffragio electus est: In qua quidem dignitate vitæ genus priùs susceptum non mutavit, imò tam severus corporis sui castigator existens austeritatem adhuc auxit, sicque omnes sibi subditos ad cæteras Christiani Instituti virtutes instruxit, ac post quosdam pii sui regiminis annos feciliter obiit, pluribus signis clarus, relatusque post mortem ad proprium suæ professionis Monasterium, ibidem juxta altare præcipuum, ad Septemtrionalem plagam est sepultus, ubi adhuc miraculis fulgere dicitur in Chronicis seu Annalibus Kilxeniæ. *Annales Kilxeniæ. Relatio Hiberniæ.*

In Germania Beatus Theobaldus Eberbaci Abbas, vir

Cæsarius *lib. 6. cap. 4. & lib. 5. cap. 7.*

magnæ pietatis & admirabilis abstinentiæ, qui cùm in magna sanctitatis opinione gregem sibi commissum rexisset, meruit in hac vita mortali discedere plenus piis operibus, & præmio æterno à Deo remunerari, memoratus apud Cæsarium *libro 6. suarum Historiarum cap.* 4. & alibi, sicut & apud Henriqueum ad 24. Ianuarii.

OCTAVO CALENDAS FEBRVARII.

Vigesimo quinto Ianuarii.

Ex diversis translationibus ejusdem brachii.

IN Gallia agro Parisiensi ad fluminis Isaræ ripas & Cœnobio Sanctimonialium Beatæ Mariæ Regalis vulgò Malo-rubo, commemoratio Sancti Præjecti Martyris & Claromontani Antistitis, cujus sacrum brachium ibidem religiosè asservatur ab antiquis temporibus, quod quidem recenter à veteri Theca extractum, solenni ritu à R. P. D. Ioanne Ioüaud Abbate de Precibus in aliam lipsanotecam à Fabre factam repositum est.

In Germania Beata Catharina Sanctimonialis, quæ tanto cum animi fervore Deo adhæsit per preces continuas, ut septies aliquando per diem extra se rapta, & sæpè per viginti integros dies in ecstasim posita, quæ non licet homini loqui didicerit arcana; factaque Angelis familiaris, non ampliùs in carne posita, sed in cælis conversari videbatur, pioque fine consumpta meruit sanctis virginibus post mortem aggregari. Ejus præclara facinora & juges raptus descripsit Barnabas de Montalbo *tom 1. cap. 25. suorum Annalium Cisterciensium* memoraturque ab Henriqueo ad hanc diem Ianuarii.

Chronicon Villariense.

In Brabantia Beatus Ioannes de-Iardin cognominatus, & Villarii Monachus sanctitate conspicuus, qui inter alia suæ pietatis signa summo affectu devotionis Beatam Virginem coluit, & hac de re multa gratiarum charismata per eam à Deo suscipere meruit: patiens quoque in adversis subsistens, sibi immortalitatis coronam post mortem acquisivit, ascriptus Menologio ad hanc 25. Ianuarii diem.

SEPTIMO CALENDAS FEBRVARII.

Vigesimo sexto Ianuarii.

IN Burgundia natalis Beati Patris Alberici secundi Cistercii Abbatis, qui quondam ex insigni Eremita, discipulus Sancti Patris Roberti Molismensis factus cum quibusdam aliis strictioris vitæ cupidis, Molismense Cœnobium construxit, ubi piè & exemplariter vivens cum octo Monachis, eorum Prior à Sancto Roberto institutus est; sed cùm post quosdam annos ditior factus esset, Conventus ac Monachi ob divitias à regulari disciplina deficerent, eosdem torporis & ignaviæ Albericus zelo Dei succensus argueret, pro justitia ac regulari observantia conservanda, carceres, verbera ac opprobria ab ipsis Pseudo-monachis magna cum animi patientia & mentis tranquillitate perpessus est, cumque nullo modo resipiscerent illi, strictioris vitæ desiderio æstuans Albericus & charismata meliora æmulatus, Molismensi Monasterio derelicto cum pluribus aliis ex ferventioribus Cœnobitis, putà Stephano & Ioanne, in Cisterciensem silvam de consensu Roberti Abbatis & de licentia Hugonis sanctæ Sedis Legati ac Archipræsulis Lugdunensis (favente Odone Burgundiorum Duce) se se transtulit, ubi tuguriolo ex arborum ramis juxta quoddam Oratorium à Renaldo Belnensi concessum constructo, ibidem stetit & solis leguminibus victitans cum aliis Beatum Robertum Abbatem post se traxit: sub quo primus hujus loci Prior factus, per annum aut circiter munus illud ritè obivit; recedente verò anno eodem Sancto Roberto è Cistercio in Molismum ex speciali mandato summi Pontificis per Legatum Hugonem requirentibus Molismensibus, Albericus Abbas Cistercii designatus, Cisterciensi Ordini initia dedit, institutis hac de re saluberrimis Legibus & Statutis cum Stephano Priore & fratribus. Pius autem in Virginem Dei genitricem ab adolescentia, eandem pietatem in eam jam vir factus sibi retinuit, in cujus signum candidam vestem Ordi-

Ioannes Abbas Cistercii *in suo Catalogo.* Missale vetus. Exordium parvum Cistetc. *à Cap. 9. usque ad 16.*

nis sui alumnis dedit, rejectis nigris; positaque omni sua Congregatione sub Beatæ Virginis alis, patrocinio ac auspiciis, de ejusdem Ordinis propagatione ab eadem Virgine certum accepit responsum. Sed cùm quotidiè, exceptis festis, cum suis certo tempore operi manuum à Regula præscripto vacaret, nunquam laboribus frangi potuit, imò nova pietatis suæ pensa in dies solitis divinis officiis addidit; Psalterium enim omni die ex integro persolvebat, virgis asperrimis seu cilicio propriam carnem dilacerabat, corpus spiritui perfectè subdens. Multis autem revelationibus successu temporis illustratus, ac bonis operibus ornatus & cumulatus, in gravem morbum incidit, divinisque Ecclesiæ Sacramentis munitus, Symbolo Apostolorum miro cum animi fervore recitato, ac Monachis astantibus, ad angustam virtutis semitam, quæ ducit ad vitam, sectandam & strictam quam amplexi fuerant observantiam conservandam excitatis, & perlectis Sanctorum litaniis, inter illa verba Dei genitricis invocationem exprimentia, *Sancta Maria ora pro nobis*, facie instar solis luce perfusa, animam Deo reddidit Angelis sociandam, sepultusque est in priori Ecclesia seu Oratorio Cistercii (ut suspicari licet) seu priori Cœmeterio, basilica hujus loci nondum extructa: successu verò temporis in novum Cœnobium translatus, ibidem in majori claustro positus est cum pluribus aliis sanctis successoribus sub insigni mausoleo juxta claustri capituli murum sub fornice ad januam Ecclesiæ: extatque Albericus communi potiùs opinione quàm solenni ritu, quo tunc Curia Romana non utebatur, Sanctorum albo ascriptus.

Andreas Cornelius *in Annalibus Frisiæ.* Miræus *in Chronico ad annum* 1233.

In Germania Beatus Vlboldus humilis Conversus Veteris-montis, qui post fundatum quoddam Virginum Cœnobium quod suis bonis dotavit, sæculo valedixit, & Conversorum habitum in supradicto Veteris-montis Cœnobio suscepit, ubi & magna pietate refulsit & beato fine quievit, inscriptus Menologio Sanctorum Ordinis ad hanc diem Ianuarii, & memoratus ab Andrea Cornelio in Annalibus Frisiæ ad annum ducentesimum trigesimum tertium supra millesimum.

Tabula Sancto-

In Polonia plures Ordinis Virgines & Moniales com-

muni vocabulo Vitavienses dictæ in tabulis Sanctarum tutelarium Poloniæ & Suetiæ, ab Infidelibus & Paganis pro causa fidei & castitatis percussæ, cruenta morte occubuerunt pro Christo Domino, memoratæ ab Henriqueo ad hanc diem.

tum tutelarium Poloniæ Coloniæ excusa sub hoc titulo, *Virgines Cistercienses Martyres*, &c.

SEXTO CALENDAS FEBRVARII.

Vigesimo septimo Ianuarii.

PArisiis in Collegio S. Bernardi & nunc per totum Ordinem, solennitas Sancti Ioannis Chrysostomi Episcopi & Patriarchæ Constantinopolitani, cujus sanctum caput olim ex Orientali regione & Palestina ad Claramvallem delatum, posteà ad dictum Collegium, dum adhuc ad solos Claravallenses pertineret, allatum est, ubi in Theca argentea & deaurata pretiosè asservatur; habeturque ob hanc festivitatem in dicto Collegio Doctorum almæ facultatis Theologicæ Parisiensis congregatio, ex fundatione olim facta ab Abbate Caroliloci Roberto Toroteo Doctore Theologo de licentia Capituli generalis, ut patet ex tabella posita in dicta Ecclesia Parisiensi retro chorum.

Item Parisiis in suburbiis & Cœnobio Monialium Sancti Antonii à Campis commemoratio pii Patris Sanctæ memoriæ Brunonis seu Brunii viri magnæ pietatis & admirandæ virtutis, qui postquam in Monasterio suæ stabilitatis inter Confratres suos bonis operibus eluxisset, hinc extractus est à Superioribus & supradicti Cœnobii Confessarius designatus earundem Monialium spiritualem utilitatem & profectum omnimodè procuravit tùm suis piis monitis, tùm vitæ suæ exemplis; noctes enim ducens insomnes, quasi assiduò orationi insistebat, gravique castigatione corpus suum domans, præclaris virtutibus animam adornavit. Actor verò nominatus pro negotio novæ fundationis Monasterii Monialium de Villerio sub finibus Senonensis Diœcesis prudenter egit, ac tandem profectus in Græciam de Superiorum suorum licentia, ut sacra loca quæ Christi Domini pedes

Thomas Cantipratanus *lib. Apum dist. 2. c. 8.* Calendarium Sanctorum Ordinis.

calcaverant & sanguine ejus perfusa fuerant, inviseret, ibidem gravi morbo correptus, post suscepta Ecclesiæ Sacramenta & commendatam Deo animam, multis bonorum operum manipulis cumulatus, ex hac vita migrasse dicitur, ut feliciorem vitam assequeretur, ascriptus Sanctorum Ordinis albo apud Henriqueum & alios authores.

Catalogus Abbatum Alcobatiæ. Henriqueus *ad 4. Augusti.*

In Lusitania & Alcobatiæ Cœnobio Beatus Dominicus cognomento Martinez Abbas hujus loci, qui piè educatus in claustro & jam vir factus ætate & sapientia, electus est pro meritorum titulo in Abbatem supradicti Cœnobii, ad annum reparatæ salutis ducentesimum quinquagesimum tertium supra millesimum aut circiter; In qua quidem dignitate, nihil virtutis, nihil sanctitatis omisit ut suos ad spiritualem profectum excitaret, clarusque meritis quædam miracula est operatus divina virtute, ut in chartis ejusdem Abbatiæ legitur. Mortuus autem in senectute bona, reliquit post se suavem sanctitatis odorem, ascriptus communi populorum consensu albo Sanctorum. Ejusdem festum olim dicitur celebratum, & illius nomen in pluribus literis honorificè memoratur, sicut & Ordinis Calendariis, sed præsertim apud Henriqueum ad 4. Augusti diem, etsi hac præsenti die ex vita migraverit.

QVINTO CALENDAS FEBRVARII.

Vigesimo octavo Ianuarii.

Cartæ Valcellarum. Molanus. Calendarium Sanctorum Ordinis. Miræus *in Chronico.*

IN Belgio & Cœnobio Valcellensi Beatus Richardus Abbas hujus loci, qui contemptis sæculi pompis, Christi militiæ nomen dedit sub Sancti Patris Bernardi Claravallensis magisterio, factaque professione pro meritorum suorum cumulo cùm esset maturus moribus discretione præcipuus, vultu hilaris, & ut in Chronico hujus loci legitur, in omnibus temperatus & per omnia laudabilis, Christi Domini familiæ ibidem præfectus est Pater; In qua quidem dignitate talenta sibi à Deo commissa fideliter impendit conservis suis, ac tandem bonis operibus plenus, ex hac vita

feliciter migravit ad Deum, expletis in regimine decem seu undecim annis, & sepultus est pro more Ordinis in capitulo veteris & prioris Monasterii sub humili satis tumulo, ex quo postea translata sunt illius ossa in decentiorem cum decessore & successore, de licentia seu, ut dicitur, jussu Concilii Lateranensis Romæ celebrati sub summo Pontifice Alexandro III. ipsis calendis Iunii. Auctuarium autem Molani hac die memoriam tanti viri recolit sicut & Calendarium Gallicum Ordinis.

Villarii in Brabantia pius obitus Beati Caroli octavi Abbatis huius loci, qui ex nobili genere & potentioribus Germaniæ proceribus Principibus & Comitibus de Seyne ortus, ab adolescentia sua contemptis sæculi caducis dignitatibus & honoribus, ad Monasterium Villariense confugit, ubi diù latitans factus est humilis Monachus, multisque virtutibus brevi temporis intervallo instructus, omnibus suis confratribus in exemplum fuit, ac tandem mortuo Abbate hujus Cœnobii Guillelmo, in ejus locum est subrogatus & electus: sed ipse fortiter reluctans nec electioni acquiescens, in fugam versus est, nec potuit induci ut in Cœnobium reverteretur ad onus suscipiendum, nisi post Capitulum generale Cistercii convocatum compulsus; Patres enim Ordinis eundem Carolum ponderi Abbatiali collum supponere coëgerunt, intentato in eum anathemate nisi obediret: sicque coactus dignitatem assumere, ita præcelluit & præfuit, ut domo variis ædificiis decorata & adornata, subditos sibi commissos adhuc majori cura & sollicitudine virtutibus perornari curaverit. Fuit vir in diebus suis potens in opere & sermone, Principibus carus utpotè quos sæpè singulari & speciali electione arbiter designatus inter se dissidentes placavit; Brabantiæ Ducem & Leodiensem Episcopum, qui jam militari exercitu & militum copia populum opprimebant, suavi sua eloquentia compescuit; ac demùm in Deum pius cliens, in se severus castigator, in proximos propensus largitor, in pauperes liberalis dator, orphanorum pater, viduarum azilus, licentia quasi coactè à Superioribus Ordinis obtenta, deposito dignitatis onere ut sedulius Deo vacaret, hac die piissimè obiit in Cœnobio Sanctimonialis S. Aga-

Chronicon Villariense.
Calendarium SS. Ordinis.

thæ, ubi post quosdam menses beatitudinis suæ indicia quædam dedit cuidam Sanctimoniali, supplicationem solennem cum sororibus die palmarum, ut moris est, per claustrum celebranti; ascriptus fuit Carolus inter Ordinis Beatos in Calendario ipsa die vigesima octava Ianuarii.

In Germania dedicatio basilicæ Beatæ Mariæ Heisterbacensis olim facta & celebrata à Reverendissimo Antistite Revallensi Vuizelino ad annum Domini millesimum ducentesimum vigesimum septimum.

Exordium Cistercii *lib. 3. cap. ultimo.* Robertus Rusca *in suo Compendio.* Mentiquez *in sua Laurea Evangelica discursu 7.*

In Cœnobio Claraevallensi Beatus Boso Monachus genere nobilis & vir emeritæ virtutis, qui diù in claustro educatus sub Sancti Patris Bernardi disciplina, tanquam pacis filius ab omnibus est habitus, tùm ob insolitam animi mansuetudinem qua præditus erat, tùm quòd pacem ipsam in se & inter fratres suo exemplo suisque monitis foverit perpetuò. Ad senium autem perductus ita severus in proprium corpus, etsi pro ætate debilitatum, extitit, ut idem variis ac laboriosis exercitiis castigare non cessaverit; moriensque post plura sanctitatis opera tanta gloria clarus vultu illustrato paruit in morte & post mortem, ut astantes ejus animam sanctis associandam & associatam esse facilè suspicati fuerint, memoratusque Boso inter Monachos Ordinis illustres apud plures authores & præcipuè apud Henriqueum ad hanc diem, imò & in Exordio Cisterciensi lib. 3. cap. ultimo.

Lib. de Claris Luminaribus Villarii. Calendarium SS. Ordinis. Seguinus.

Item Villarii in Brabantia Beatus Rembertus ex illustri familia natus, qui calcato mundi schemate, humilem Conversorum habitum ibidem in Villariensi Cœnobio suscepit, ubi vilibus exercitiis totus deditus, summam animi humilitatem est consequutus; in cujus virtutis cæterarumque aliarum compensationem, gloria æterna ei est demonstrata in morte, & post obitum collata. Porrò factus in vita specialis Deiparæ virginis cultor, eandem habuit in morte propitiam: annotatus inter Sanctos Villarii ad præcedentem Ianuarii diem apud Henriqueum.

QVARTO

QVARTO CALENDAS FEBRVARII.

Vigesimo nono Ianuarii.

IN Lusitania institutio Ordinis militaris sancti Iuliani de Peyro sub legibus & ritibus Cisterciensibus, facta anno reparatæ salutis millesimo centesimo quinquagesimo sexto ad repellendos è finibus regnorum Christianorum hostes; qui quidem Ordo posteà de Alcantara nominatus est, ab oppido hujus nominis iisdem militibus sancti Iuliani in regno Castellæ concesso. Milites autem cucullam albam cum rubra fascia & cruce viridi gerentes, eandem posteà cucullam in scapulare album commutarunt, de consensu forsan summi Pontificis, anno salutis millesimo quadringentesimo undecimo. Annales hujus Ordinis.

In Salsinia B. Himmana Abbatissa, quæ sanguinis splendore illustris vitam Monasticam cum velo est amplexata, præfectaque post probatam vitam ejusdem loci Abbatissa, suavem sui nominis fragrantiam diffudit, & fervens in Sanctorum reliquias facta, pluribus corporibus sanctarum Virginum Coloniensium propriam decoravit Ecclesiam, sicut & alias vicinas Conradi Fratris Archiepiscopi Coloniensis liberalitate. Sed cùm quibusdam sæcularibus viris & liberioris vitæ facta fuisset infensa, quòd per Namurcensem Comitissam ex urbe infames homines expulisset, è proprio Cœnobio inhumaniter ejecta est simul cum Beata Iuliana Corneliensi & suis Monialibus quas susceperat, ac posteà translata & assumpta in Flinensem Abbatissam, ubi piè creditur vixisse & obiisse, meritoque hac die ascripta reperitur in Menologio. Sacrarium Namurcense. Meyerus *in Annalibus Flandriæ.*



TERTIO CALENDAS FEBRVARII.

Trigesimo Ianuarii.

Cartæ hujus loci.

BVsseriæ in Andegavensi territorio & Diœcesi inventio miraculosa cujusdem particulæ sanctæ Crucis in qua Christus Dominus pro mundi salute pependit & sanguinem pretiosum fudit; Cùm enim ibidem illa sacra portio religiosè ab antiquis temporibus asservaretur in decenti theca, à prædonibus & nefariis hominibus impiè & sacrilegâ manu est furto sublata propter aurum & gemmas. Sed cùm diù remansissent in sylvis Abbatiæ contiguis, nec possent latrones ex illis evadere circumquaque vagantes manu Dei ubique ultrice, coacti sunt sacras illas reliquias deponere sub Iunipero & ibi relinquere sacrum illud lignum, repertum posteà à Monachis inter hyemis frigora, non sine omnium admiratione & gaudio in Ecclesiam relatum, ubi adhuc à fidelibus magnâ veneratione colitur.

Sanderus in Hagiologio Flandriæ.

In Belgio Beatus Ægidius Monachus seu Anachoreta de Bodelo dictus, qui à juventute solitudinis amator factus desertum petiit, ibique soli Deo vacans ad suum exemplum multos excitavit, aggregatisque hac de re quamplurimis discipulis, Cœnobio sui nominis de Bodelo initium dedit & iisdem sanctissimas leges dedit, ac posteà pia morte finiit nondum ibidem suscepto Instituto Cisterciensi; ipse tamen Ægidius manet inter Viros illustres ascriptus, sicut & inter Ordinis Belgii Beatos in Menologio ad hanc diem.



PRIDIE CALENDAS FEBRVARII.

Trigesimo primo Ianuarii.

IN Picardia apud Ambianos in Cœnobio Monialium Beatæ Mariæ de Paracleto Ordinis Cisterciensis & filiationis Cistercii, festivitas sanctæ Vlphæ Virginis ibidem reclusæ longè ante Monasterii fundationem, quæ genere nobili orta non longè à Peronensi civitate, ab infantia Deum coluit; facta verò grandior sæculum mundique delitias sprevit, & insciis parentibus relicto proprio solo, in ipsum locum de Paracleto posteà nominatum incognita secessit, ubi soli Deo vivens, anachoreticam vitam amplexa est. Visitata autem à sanctò Domitio Canonico Ambianensi per oraculum cœleste edocto, & posteà ab eodem nutrita, eundem per noctes in Ecclesiam & civitatem pergentem sequebatur ut cum ipso vigiliis interesset retro chorum, factaque oratione quam pluribus horis continuabat, cum eodem Domitio ad solitudinem revertebatur, ubi post longam virtutis probationem plures habuit discipulas, quas in urbem ducens, novum eis curavit construi Cœnobium & easdem sanctis informavit religionis & pietatis Institutis. Reversa tandem iterùm in decertum pristinum, ibidem piè & sanctè vivere persistit usque ad mortem, obiitque in senectute bona postquàm sanctum Domitium suum spiritalem Patrem, dum viveret, sepelisset, ac plura præclara opera egisset. Sepulta autem fuit intra cellam, è qua posteà simul cum sacro Domitii cadavere, ejus corpus in Ecclesiam Cathedralem Ambianensem delatum est, ubi adhuc quiescit juxta S. Domitii reliquias, quibusdam ossibus ejusdem Sanctæ exceptis, quæ in Paracleto reservata & retenta sunt, ubi etiam manuscripta vita tantæ Virginis legitur, & festivitas illius tanquam loci Patronæ colitur & celebratur. Cartæ Paracleti & Ecclesię Ambianensis.

In Hispania commemoratio Beatæ Matris Mariæ à Matre Dei quæ suscepto habitu Cisterciensi in Cœnobio bea- Cartæ ejusdem Monasterii.

tæ Mariæ Magdelenæ in urbe Iepensi pauló post ferventiori zelo religionis exardescens, novam erexit familiam, & è priori Cœnobio egressa, novum Cœnobium construxit sub Conceptionis Beatæ Mariæ nomine & auspiciis in oppido de Pinto, associatis sibi quibusdam Monialibus ejusdem zeli quibus præfecta est; quas quidem cùm piè & sanctè rexisset, felici morte quievit, ejusque corpus diù in primo suo Iepensi Monasterio conservatum à putredine, illæsum & incorruptum non sine magno miraculo permansit, annotataque est ipsa Menologio Cisterciensi ad hanc diem.

Arnoldus de Raisse *auctuario ad Molanum.* Ioannes de Assigniez. Bivarius.

In Brabantia Beatus Petrus in Villariensi Conversus rigidissimus sui corporis castigator & Sanctorum Ordinis sedulus æmulator, qui post varios sanctitatis & magnæ virtutis actus, desiderio videndi Christum æstuans, obdormivit in Domino, & jure diem habuit in Menologio Cisterciensi trigesima prima Ianuarii.



MENSIS FEBRVARIVS.

CALENDIS FEBRVARII.

Primo Februarii.



LETHÆ apud Armoricos depositio sancti Ioannis cognominati de Craticula Episcopi, qui primò factus sancti Patris Bernardi apud Claramvallem discipulus & post tyrocinium religionis expletum professus, plura sanctitatis specimina confratribus præbuit : posteà verò exigentibus meritis Britanniam à sancto Patre transmissus, in Begariensi Cœnobio præfectus est ; quo fundato & religionis disciplinis sufficienter ad ritus Ordinis informato, ad alterius novi Cœnobii Busçi dicti regimen est deputatus. Verùm transactis quibusdam annis, amator solitudinis & pertæsus curarum Liæ, castis Rachelis amplexibus frui peroptabat, sed vix egressus in eremum à sancto Patre Bernardo longâ epistolâ est revocatus pro spirituali aliorum utilitate & sibi commissorum Monachorum exemplo ; At cùm ubique suæ sanctitatis fama divulgaretur, ex Ordine raptus est & ad Episcopatum Alethensem communi Clericorum suf- Vita ejus MM.

fragio est electus; In qua quidem dignitate sic excelluit sanctitate, ut pro majori animarum lucro de consensu summi Pontificis suam Episcopalem sedem apud Maclovium transtulerit, non tamen sine labore: vexatus enim à fratribus Majoris-Monasterii in Turonia, ad quos priùs spectabat Ecclesia Macloviensis, ad plura tribunalia ab iisdem tractus est, sed præsertim ad Romanum, ubi allegatis sui juris & dictæ translationis rationibus expositis, tandem lite sopita mansit sedis mutatio quam fecerat. Verùm ut curam Episcopalem à religionis exercitiis non disjungeret, in sua Ecclesia Cathedrali, amotis Canonicis sæcularibus, Clericos regulares substituit & vitam communem cum iis instituit, pluresque alios quos è sancti Victoris Parisiensis Monasterio vocaverat per Diœcesim dispersit, constructo illis novo Cœnobio, quibus etiam per annum præfuit; vexatos verò ipsos à Comite, quem hujus loci Abbas inordinatæ suæ vitæ arguerat, fovit & protexit Ioannes tùm per censuras tùm per Rescripta Apostolica. Literis autem scriptis ad Eugenium summum Pontificem & olim suum apud Claramvallem consodalem, Canonicos sæculares Ecclesiæ sanctæ Genovefæ Parisiensis per Clericos sancti Victoris reformari curavit. At si plura in Diœcesi Ordinis Cœnobia construxit, plura alia ditavit & restauravit; ac tandem multis virtutibus consummatus, migravit è vita in senectute bona hac prima Februarii die, ejusque corpus multis signis & miraculis coruscans, post plures annos à morte è terra sublevatum est & publico cultui expositum intra crates, undè posteà Ioannis de Craticula nomen datum. Perseverantibus verò signis & prodigiis, actum est Romæ de ejus canonizatione, etsi nondum fuerit facta impedientibus quibusdam aliis Ecclesiæ negotiis; veruntamen Leo Papa festum celebrari permisit in propria Ecclesia.

Ex Carta Calatravæ & Monasterii de Fitero.

In Navarra Cœnobio Beatæ Mariæ de Fitero Beatus Raymundus Abbas & Calatravensis militiæ celebris primarius Institutor, qui Taragonæ in Catalaunia honestis parentibus natus, & à pueritia literis humanioribus imbuendus ab ipsis parentibus traditus mira sui ingenii & futuræ virtutis indicia dedit; pauló post corde compunctus, vana mun-

di bona deseruit, & factus Monachus in Monasterio Scalæ Dei intra Vasconiam omni disciplina regulari paruit instructus. Quapropter cum Durando Abbate in novum Monasterium de Fitero transmissus est, ut ibidem prima Ordinis fundamenta poneret, tantaque sanctitate claruit, ut ipso Durando Abbate mortuo, eidem substitui meruerit. Factus verò Abbas suo tempore Cœnobii temporalia varia Monasterii translatione & Cœnobitarum spiritualia plurium virtutum exemplis promovit; ac tandem ad exteriora regni negotia gerenda vocatus, collecto copioso fidelium exercitu regia authoritate, ut infideles Saracenos ex orbe Christiano fugaret & paci Ecclesiæ consuleret, Dei zelo succensus, militibus congregatis animum addidit sermone potens & adhuc operibus potentior: sicque Calatravæ militiæ jam per orbem notæ initium dedit ex ipsis militibus congregatis constitutæ, quibus leges Cisterciensis Ordinis & habitum tradidit, & iisdem Priores qui in spiritualibus & Magistros qui in temporalibus præessent, præfecit, ad magnum totius Ecclesiæ bonum, & securitatem & tranquillitatem. Postquàm autem ita strenuè pro Dei Ecclesia tam intus suis precibus, quàm extra suis monitis & laboribus decertasset, ac animam suam sanctis operibus ditasset & ornasset, gravi morbo affectus, in pago quodam de Ciruelo nuncupato non longè à Toletana civitate purissimum spiritum exhalavit, anno à reparata salute millesimo centesimo sexagesimo sexto, ibique sepultus multis claruit miraculis post mortem pluries è terra ejus corpus levatum est, ac tandem in Cœnobium novæ reformationis Hispaniæ de Monte-Sion translatum est ad annum millesimum quadringentesimum sexagesimum octavum & honorifico tumulo donatum Calatravensis supremi Magistri sumptibus & expensis, postquàm non parum de transferendo corpore Beati viri in Calatravam tentasset & laborasset.

In Anglia venerabilis mater Ela Comitissa Salisburiensis, quæ post constructum Cœnobium Monialium Ordinis Cisterciensis Lacock nominatum, spreto sæculo ibidem vestem Monasticam cum velo suscepit, ubi piam vitam duxit per totum vitæ suæ cursum, & tandem felici fine consum-

Annales Angliæ. Henriquez hac die.

sumpta, ascripta est Menologio Henriquei ad hanc primam Februarii diem.

QVARTO NONAS FEBRVARII.

Secundo Februarii.

Arbor Martyrialis Ordinis.

IN Suetia commemoratio Sanctorum Martyrum Abbatis & Monachorum Novæ-vallis Monasterii, qui die ipsa Purificationis Beatæ Mariæ sacra post Missarum solemnia à Cristierno impiissimo Danorum Rege comprehensi, diverso suppliciorum genere in odium fidei Christianæ & Orthodoxæ affecti sunt, aliis in vicinum fluvium injectis, aliis verò crudeliter enecatis; cumque inter filios Abbas ex aquis enataret, à supervenientibus satellitibus & tortoribus multis ictibus iterùm impetitur pluribusque vulneribus confoditur, & effuso penè toto sanguine, adhuc immergitur in fluvium, sicque omnes & alii cum illo martyrii palma decorati una die martyrum coronam promeruerunt.

Thesaurus Monasticæ perfectionis. Athanasius Louera *in vita ejus.*

In Hispania Ignatius Morerolæ Monachus vir magnæ virtutis & pietatis, qui postquàm multis annis in regulari observantia & nova reformatione transactis intra claustri latibula soli Deo notus extitisset, factus est omnibus ob vitæ probitatem & sanctimoniam in morte notus & habitus ut sanctus, dum miranda supernæ vitæ secreta quæ sibi per spiritum nota fuerant astantibus aperuit, mortuusque sepulchrum intra murum Ecclesiæ quasi ab Angelis effossum & paratum habuit; nec mirum si ab Henriqueo & aliis ascriptus fuerit inter Ordinis Viros illustres ad hanc Februarii diem.

TERTIO NONAS FEBRVARII.

Tertio Februarii.

Vincentius Bellovacensis *in spe-*

IN Picardia Galliæ Belgicæ Provincia & Cœnobio Frigidimontis Bellovacensis Diœcesis depositio Beati Heli-

nandi

nandi Monachi, qui honestis parentibus natus non longè á Bellovaco & Claromonte humanioribus literis traditur erudiendus; cumque in iis multum profecisset, sæculi vanitati deditus & cum viris liberioris vitæ conversatus, factus est publicus histrio, sicque artibus illicitis vacans, totus per abrupta mundi præceps abiit: posteà tamen sapientior factus & corde compunctus quòd ita malè in adolescentia vixisset & salutem propriam neglexisset, oculis animi apertis & agnita veritate ac fallacia mundi detecta, priorem mutavit vitam, spretisque vanitatibus & hujus vitæ præsentis illecebris, in desertum locum secessit & inter Frigidimontenses supradictæ regionis Monachos ad habitum Ordinis suscipi obnixè postulavit. Susceptus autem, in brevi multis fuit in exemplum sanctitatis & pœnitentiæ; ex oculis enim ejus quasi continuò lachrimarum erumpente profluvio variis austeritatis instrumentis virgis seu funiculis carnem afflixit, & lectioni vacans sacræ ac læta mente revolvens solo corpore constitutus in terris quoad animum conversabatur in cælis, rebus divinis prorsus inhærens; quod in causa fuit ut plures viri insignes ad supradictum Cœnobium accesserint & cum Helinando Monacho conversari quæsierint; inter quos non minimus fuit Philippus de Drocis Episcopus Bellovaci eidem omninò familiaris, quem tamen liberè Helinandus negligentiæ aliquando arguebat, honorisque fucum, quantum in se fuit à se repulerit; mente verò ejus per orationem purgata, purissimam vitam egit, & scriptis quam plurimis voluminibus simul cum historia ab orbe condito editis, insignes eorundem librorum lectores & discipulos habuit: inter quos infimus non fuit Guarinus Silvanectensis Antistes eidem etiam familiarissimus, tùm ob vitæ ejus probitatem, tùm propter animi sagacitatem, sicque Helinandus hominibus carus, Deo adhuc carior extitit. Demùm ex hoc mortali stadio sublatus, immortali vitæ donatus est; nec ullus antiquorum authorum est qui de Helinandi sanctitate ambigat & inter Ordinis Beatos non recenseat: annotatusque est hac die in Calendario Ordinis & in antiquo Missali seu veteri Catalogo Sanctorum Ordinis Cisterciensis. Erat ipse dum viveret nepos Hallebrandi Archidiaconi

culo Historiali lib. 19. cap. 108. Seguinus *lib 3. virorum & Sanctorum Ordinis.*

Rhemensis; dolendum tamen est quòd ignorato tanti viri tumulo, ejus ossa adhuc in terra recondita jaceant, ejusque sanctitatis memoria paulatim apud posteros pereat.

In Campania Cœnobio de Ripatorio Diœcesis Trecensis & filiationis Claraevallis, festivitas sancti Blasii Episcopi Sebastriensis & martyris incliti sub duplici sacro conventuali & officio duodecim lectionum celebranda, propter quasdam ejusdem sancti reliquias ibidem repositas.

Chronicon Dunense.

In Belgio Petrus Dunensis Monachus dictus Siis, qui ob vitæ probitatem Prior hujus loci constitutus sic commissos sibi Monachos rexit, ut nonnisi ad angustam salutis semitam eosdem verbo & exemplo inducere videretur, cúmque multis virtutibus ibidem diù claruisset, letali morbo correptus oratiunculam hanc quæ sub his verbis inchoatur, *O intemerata*, recitando, felici morte quievit; annotatus inter hujus loci illustres Ascetas ab Adriano Butzio, qui hujus loci actus compilavit, & ab Henriqueo in Menologio ad tertiam Februarii.

Liber Patrum Cistercii. Henriquez *ad 2. Februarii.*

In Claravalle Bonifacius Conversus, qui totus mundo mortuus & Christi cruci per juge macerationis sacrificium affixus, gloriosa trophea de conculcato hoste reportavit, vitamque in hac valle miseriæ angelicam ducens, sanctis ipsis spiritibus angelicis meruit in cælis aggregari, & in terris cum Ordinis illustribus viris annumerari: de eo autem agit Henriqueus ad præcedentem Februarii diem & Montalbus in Chronicis.

PRIDIE NONAS FEBRVARII.

Quarto Februarii.

Cæsarius *lib. 7. cap 16.* Arnoldus *in Martyrologio Monastico.* Guido Clarevallis *in Historia illustrium Ordinis.*

IN Germania Cœnobio Heisterbacensi Beatus Christianus, qui corpore debilis mentem induit fortissimam; manum enim suam misit ad fortia & factus ibidem Monachus vitam penitùs austeram amplexus est. Ex qua austeritate graves contraxit morbos, patientia tamen munitus acerbos dolores sustinuit mira cum animi fortitudine & humilitate.

conſpicuus, cæteris omnibus ubique cedere ſtuduit, ſe ſe continuò coram Deo quaſi inutilem ſervum conſpiciens: ſicque parvulus in oculis ſuis factus, ante Deum maximus fuit, Angelis ipſis familiaris, cœlitibus carus dùm adhuc corporis retineretur ergaſtulis; unde crebræ illi factæ ſunt revelationes & apparitiones, inter quas non minima illa fuit Beatæ Agathæ Virginis, quæ poſt ſexaginta hebdomadas, futuram illi mortem prænuntiavit & prædixit: quæ quidem mors in ipſo pervigilio illius Virginis Agathæ, uti prædictum fuerat evenit, ſolutiſque corporis vinculis Chriſtianus ſecurus perrexit ad Chriſtum, annotatus poſt mortem inter Ordinis proceres in Menologio Henriquei & in aliis Ordinis Calendariis etſi alia die quam mortuus eſt.

Floruit & in Germania alius Chriſtianus in Cœnobio Hemmerodenſi Trevirenſis Diœceſis Monachus, qui ob præceſſa merita vario gratiarum cariſmate decoratus, multas è cælo illuſtrationes accepit, raptuſque ſæpè in ecſtaſim & extra ſe poſitus, ipſum Chriſtum Dominum & Deiparam Virginem ac plures alias beatas mentes ſibi familiares habuit, quæ quidem ei infirmanti præſto fuerunt, & cùm ita humilis erga omnes extaret, ut omni contemptu dignum ſe ſe exiſtimaret, per clauſtrum ſive per alia regularis loca Monaſterii incedens, ita ab aliis occurrentibus longè recedebat, ut eorum quidem tranſeuntium veſtes tangere reformidaret; ſicque per anguſtam humilitatis & auſteritatis januam ingreſſus & beato fine conſummatus, Calendario Beatorum virorum Ordinis inſeri meruit, memoratus inter Sanctos ab Authoribus Ordinis, à Guidone Clarevallenſi, Cæſario & aliis.

NONIS FEBRVARII.

Quinto Februarii.

APud Vrſicampum Picardiæ Cœnobium non longè à Noviomenſi civitate, feſtivitas Beatæ Agathæ Virginis & Martyris, cujus caput ibidem dicitur in ſacrario reli- *Ex Sacrario hujus loci.*

giosè aſſervari ut ibi viſitur. Verùm creditur caput eſſe alterius Virginis Agathæ nomine inſignitæ & unius ex undecim millibus virginibus quæ pro Chriſto & ſervanda caſtitate ſanguinem ſuum & vitam libenti animo fuderunt.

Traditio Fulcardimontis.

In Normania apud Fulcardimontem illius regionis inſigne Cœnobium commemoratio ſanctæ Agathæ Virginis & Martyris, cujus maxima capitis pars ibidem quieſcit in lipſanoteca à Fabro facta, ſuper altare præcipuum repoſita.

Cæſarius *lib. 9. cap. 46.* Calendarium Gallicum.

In Weſtphalia Beata Aleydis Abbatiſſa Ordinis Ciſtercienſis morum integritate conſpicua; quæ ob ſpretas hujus vitæ delitias & in benedictionibus dulcedinis à Chriſto ſponſo præventa, facta eſt Monialis Ordinis in quodam ſupradictæ Provinciæ Weſtphaliæ Cœnobio, in quo novo adhuc cariſmate gratiarum irrorata, tantam ſuavitatem in ſacra ſancti corporis Chriſti Domini ſuſceptione percipiebat, ut ſæpè extra ſe rapta, inſolitâ videbatur mentis hilaritate perfuſa vultus & corporis mutatione, ſacroſque divini ſponſi amplexus intra cordis ſecreta jam experta ſuæ felicitatis primordia & indicia accepit è cælo. Mortua autem poſt plura ſanctimoniæ opera virtutum ſuarum inſignem præconem habuit Dominum Florentium Campi-Sanctæ-Mariæ Abbatem & ejuſdem piæ feminæ dum in vivis erat à confeſſionibus. Annotata fuit poſt obitum inter Ordinis Beatas in communi Sanctorum ejuſdem Ordinis Calendario tam Gallico quam Hiſpano & ab aliis Authoribus memorata.

Aſpheldius *in Hiſtoria Angliæ.* Segninus *lib. 3. illuſtrium Ordinis.* Vincentius Bellovacenſis *in ſpeculo hiſtoriali lib. 27. cap. 14.*

In Normania depoſitio piæ memoriæ Alexandri Mortuimaris ſeu Belliloci Abbatis, qui poſt anachoreticam vitam cum ſuis ductam tum in Bello-loco juxta Giſortium; tum in Mortuo-mari intra ſilvam de Leonibus præſulatus Rhotomagenſis, Ciſtercienſe Inſtitutum noviter exortum ſimul cum habitu Ordinis ſuſcepit ab Abbate Vrſicampi B. Valerano, quibus ritibus Monaſticis religiosè obſervatis ſanctè obiit: memoratus ab Ordinis authoribus inter Sanctos ejuſdem Inſtituti & ab Henriqueo ad quintam Februarii.

OCTAVO IDVS FEBRVARII.
Sexto Februarii.

APud Allobrogos Cœnobium Beatæ Mariæ de Alpibus depositio Beati Patris Guarini hujus loci Abbatis & Episcopi Sedunensis, qui à juventute spreto sæculo ne cum aliis præceps in lubricas hujus vitæ & vitiorum vias abiret, factus Monachus Ordinis sancti Patris Benedicti apud Alpes, ibidem post longum virtutis & sanctimoniæ experimentum electus est Abbas, qui sic aliis dignitate præfectus, probatæ vitæ exemplis prælucere studuit; cumque jam Monachos suos in vita spirituali amplectenda ferventiores esse suis monitis adverteret, meliora carismata æmulatus suum Cœnobium suosque Monachos Ordini Cisterciensi aggregari curavit: sicque sub novo sancti Patris Bernardi Clarevallensis Magisterio positus, eundem sanctum propriæ suæ sanctitatis admiratorem habuit; evocatus verò ad altiorem sedem pro meritorum jure & factus Sedunensis Episcopus non facilè adduci potuit ut onus & dignitatem susciperet, nec sui facilè sedari potuerunt de tanti patris avulsione turbati: pace tamen Conventui redditâ sancti Patris Bernardi literis, vir insignis Guarinus ab eodem Doctore variis encomiis insigniri meruit, ovesque suas & exempli & sermonis pabulo reficiens, sanctissimum regimen explevit, corporis sarcina deposita abiit in cælum, perpetuò pro meritis coronandus, insertus hac die veteri Ordinis Calendario.

Miracula ad ejus sepulchrum.
Vita ejus.
Catalogus Episcoporum Sedunensium.

SEPTIMO IDVS FEBRVARII.
Septimo Februarii.

IN Normania & Hispania memoria Beati Nivardi sancti Patris Bernardi Germani fratris, qui ex piissimis ac nobilibus parentibus Tescelino patre & Aletha matre natus &

Calendarium Sanctorum Ordinis.
Vita S. Bernar-

di *lib. 1. cap 5.* Britus, Manriquecus & alii.

omnium suorum fratrum minimus, in ipso momento nativitatis suæ à Matre Deo oblatus est & consecratus; cumque pueritiam suam magna cum innocentia peregisset & aliquandò puerilibus ludis cum sociis ejusdem ætatis vacaret, dum cæteri fratres Bernardo duce Cistercium peterent & eidem valedicerent, pro patris senis Tescelini solatio eum solum relinquentes cum omni hæreditate, ipsis non puerili animo, sed Spiritu sancto afflante ductum, fertur hoc responsum eisdem sapienter dedisse, videlicet *æqualem partem non esse sibi designatam dum terram ei relinquentes, cælum eligebant:* undè hac sorte minimè contentus, non multò post relicto sæculo pari fervore Bernardum & alios fratres apud Cistercium est sequutus, ubi Monachus factus & post probationis tempus ad vota solennia à Beato Stephano Abbate susceptus; non inter cæteros in virtute assequenda minimus fuit, imò selectus à Stephano ut cum fratre Bernardo sanctissimo pro vitæ meritis ad Clarevallense Cœnobium condendum & fundandum transmitteretur, ibidem multa sanctimoniæ specimina dedit, hacque de re ad ampliorem segetem evocatus & in Normaniam cum nova Monachorum Colonia delegatus, ibi primus Abbas Vallis-Richerii propè civitatem Lexoviensem est præfectus, ut communis fert hujus Monasterii traditio: hinc verò in Claramvallem adhuc revocatus à fratre quòd in Normania gravi morbo ferè semper affligeretur, ab eodem paulò post ad exteras regiones in Hispaniam iterùm est transmissus, voce prophetica eodem Bernardo ei hinc non reversurum prædicente; & ibi nova Monasterii Spinensis fundamenta ponens, tanta vitæ sanctitate regionem hanc illustravit, ut suis consiliis, monitis & exemplis disciplinam regularem à multis annis per cætera Hispaniæ Monasteria collapsam restauraverit, ac tandem in Galliam minimè reversus juxta fratris sui Bernardi vaticinium, post plura præclara opera appositus est ad patres suos & sancto fine obiit, sepultus in eodem Spinæ Cœnobio quod condiderat in regno Castellæ ac inter illustres Ordinis viros hac die in Calendariis est ascriptus.

Chronicon Villarii.

In Brabantia B. Reynerius Villarii Conversus, qui post

ductam uxorem à juventute in sæculo & plures susceptos ex ea filios sub vitæ finem factus est in supradicto Villariensi Monasterio humilis Conversus, ubi jejuniis, vigiliis aliisque austeritatibus corporis deditus, de propria & suorum salute certus factus est per revelationem factam alteri Reynerio Converso sanctimonia claro, mansitque post mortem ipse Reynerius ascriptus Menologio Beatorum Ordinis ad hanc diem Februarii septimam.

Henriquez *hac die.*

SEXTO IDVS FEBRVARII.

Octavo Februarii.

IN Polonia & Cœnobio Andreoviensi depositio Beati Vincentii cognomento Cadlubei, qui natione Polonus ex nobilibus parentibus & familia Rosarum natus ab adolescentia statum Ecclesiasticum amplexus est; in quo quidem statu multa dedit magnæ virtutis indicia, unde ad Archiepiscopatum Cracoviensem pro virtutum merito electus præclariora adhuc opera egit: largus enim in pauperes, eosdem; suis eleemosinis multum juvit; pius in Deum altaria Ecclesiarum pluribus decoravit ornamentis, sollicitus de suorum inferiorum sibi commissorum salute, eosdem multum sive exemplis sive verbo ad sectandam Christianæ religionis justitiam excitavit. Verùm cùm per decem annos in magna pietate præfuisset, pertæsus hujus sæculi curarum & solitariam vitam appetens abdicato præsulatu, secessit in Monasterium Androviense, ubi suscepto Ordinis habitu vitam piissimam instituit multarumque virtutum jubare illustratus pluribus claruit miraculis, & tandem sanctissimo fine diem clausit extremum: sepultus verò in honorifico Ecclesiæ loco intra murum tum ob dignitatem, tum ob sanctitatis suæ odorem innumeris adhuc fulget miraculis, gressum claudis præbens, cæcis visum & mortuis vitam ac ægris omnibus ejus opem invocantibus sospitatem. Quapropter Poloni Cistercienses, obtento consensu Capituli generalis anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi, de profe-

Cartæ Andreovii.

Actus Polonorum *pro Canonizatione, & procuratione illius ex licentia Capituli generalis 1651.*

quenda ejusdem sancti canonizatione in Curia Romana, negotium totis viribus prosequuntur, cuisque illius imaginibus quoquomodo possunt eum honore afficiunt; vivebat autem ipse Monachus ad annum millesimum ducentesimum sextum.

Cæsarius *lib.* 7. *Historiarum.* Montalbus *tom.* 1. *lib.* 2.

In Saxonia Cœnobio de Luka Beatus Paulus hujus loci Conversus insignis, qui in Frisia natus ab adolescentia proprium solum reliquit, ut in supradicto Cœnobio inter laïcos Monachus fieret; susceptoque habitu, abjectis & vilibus operibus se se dedit ut sibi omnium virtutum præcipuè humilitatis gemmas compararet, & sic cœlum adipisci posset. Quod quidem ita feliciter contigit, ut puer ubique existens & per vitæ innocentiam & per insignes prædictæ virtutis humilitatis actus, quasi certus & de conscientia securus in morte fuerit; hacque de re cùm jam ultimum exhalaret spiritum, eo ipso tempore quo alii timere solent, cælicolarum visione & præsentia recreatus, facie omninò hilaris & quasi subridens animam Deo reddidit suæ futuræ beatudinis gaudium astantibus indicans.

QVINTO IDVS FEBRVARII.

Nono Februarii.

Calendarium gallicum *hac die.* Arspheldius *in historia Angliæ.*

IN Anglia depositio sancti Gilberti Ordinis sui nominis Institutoris, qui à juventute factus condicitur sancti Patris Bernardi in Claravalle discipulus, pios & probos mores suscepit: grandior verò factus ritus Cistercienses amplectens sui novi Ordinis cultoribus dedit observandos, vir severissimæ vitæ in victu, qui nihil aliud quàm olera, legumina & cætera hujusmodi comedebat. Continuò cilicium ad carnem habebat, nec unquam in lecto jacebat, sed tantùm paulisper sedens & dormitans, noctes ducebat insomnes. Fractus tandem senio & vitæ austeritate, felicissimo obitu transivit ad cælos post propagatum suum Ordinem per Angliam, multosque habuit tum in vita post mortem sui Instituti æmulatores, quos Mireus *libro originum monasticarum* Cistercienses

Cistercienses nominat tam habitu quàm ritibus, sanctumque Patrem Bernardum quasi præcipuum illius Ordinis Patronum agnoscit cum sancto Gilberto, imò Gilbertinos Monachos sancti Patris Bernardi festum colere asserit.

In Germania Cœnobio Cellæ Beatæ Mariæ olim ob Othone Misnensi Episcopo fundato, plures Monachi Martyres qui pro fide & in odium religionis ab Hussitis hæreticis trucidati sunt, manibus pedibusque prius inhumaniter truncatis: quorum quidem fit mentio tanquam Martyrum apud Cochleum libro sexto Historiæ Hussitarum & in Arbore martyriali Ordinis Cisterciensis, sicut & apud Henriquеum in Menologio hac die.

Ioannes Cochleus *lib 6. Historia Hussitarum.* Arbor Martyrialis Ordinis.

In Gallia & Cœnobio Igniacensi filiationis Clarævallis & Diœcesis Rhemensis B. Nicolaus Monachus, qui à juventute suscepto Ordinis jugo multis virtutibus claruit, factusque revelationibus clarus, multa spiritu prophetiæ edoctus futura prædixit, inter quæ fuit electio Beati Monoculi in Abbatem Igniaci. Cùm enim aliquando sua peccata multum defleret, nec in his solatium ullum admitteret, è cælo confortato & consolato ei in Abbatem daturum virum secundùm cor suum spopondit Christus; quod quidem sicuti ei prædictum fuerat evenit, electo Petro illo in Abbatem communi Monachorum calculo: cumque per totum annorum suorum decursum vitam omninò austeram duxisset, pia morte finivit, aggregatus post obitum Sanctorum consortio pro laborum suorum præmio & ascriptus Menologio ad hanc diem.

Seguinus *titulo de S. Nicolao.* Liber Illustrium Ordinis. Vita Beati Petri Monoculi.

In Picardia & Cœnobio Loci-Dei sub finibus præsulatus Ambianensis prope civitatem Augensem, solemnis commemoratio Beatæ Apollinæ Virginis & Martyris, cujus quidem caput in lipsanotheca deaurata ab antiquis temporibus ibidem religiosè asservatur, magnoque populi concursu colitur.



QVARTO IDVS FEBRVARII.

Decimo Februarii.

Vita ejus M M. M ſſale vetus Ordinis.

ESlantii in Retelesio Diœcesis Rhemensis depositio Beati Rogerii Abbatis, qui ortus in Anglia honestis parentibus à pueritia Deum coluit, desertoque solo proprio pro Christi amore audita prius sanctitate Stephani Abbatis & Ordinis Cisterciensis Institutoris, in Galliam venit & Cistercium, petens ibidem habitum religionis suscepit. Sed cùm ubique per regiones vicinas Ordo diffunderetur & plures nobiles Monachos postularent ad fundanda Monasteria, in Locum-regium recenter constructum in Bituria Beato Stephano Abbate, transmissus est Rogerius cum pluribus aliis ut ibi Ordinis fundamenta jaceret & ritus Cisterciensis instituerentur; successu tamen temporis, cùm paulatim fama sanctitatis Rogerii innotesceret, hinc Eslantium novum Monasterium in Retelesio recenter conditum translatus Rogerius cum nova Monachorum Colonia, ibidem primus præfectus est Abbas, vir in vita non solùm piis moribus decorus, sed & miraculis insignis: puram enim aquam aliquando in vinum transmutasse fertur sola sua benedictione, sicut & infirmum hominem corpore languidum crucis vivifico caractere sanasse; ipse etiam in flumen lapsus & aquis submersus, ex eis siccis vestibus illicò prodiit incolumis: liber quoque delapsus in fluvium, magno miraculo & invisibili manu est ereptus: cùm in media civitate sisteret Rogerius, piscis contra solitum in fonte repertus meritis Rogerii, eidem infirmanti in cibum datus est. Quid plura? Ex muliercula cujusdam digito annullum ita carni infixum ut nullo modo avelli poterat absque incisione, Rogerius sine ullo dolore & sensu aut violentia extraxit. Quoad mores verò pius, in pauperie spiritûs, in fame & siti, & frigore & nuditate, in vigiliis, ærumnisque patienter sublatis transacto vitæ cursu lucis temporalis quasi pertæsus ac æternæ vitæ peravidus, purissimam animam exhalavit hac die; corpusque

ejus adhuc post mortem claruit signis & prodigiis, undè ejus tumulus continuò à febricitantibus & peregrinis hominibus visitatur: ejusque sacra ossa postcà ab Archiepiscopo Rhemensi è terra levata sunt & in decentiori lipsanotheca posita ac publico fidelium cultui exposita, imò ibi olim celebrata sunt sacra in honorem sancti Abbatis Rogerii de communi Abbatum.

In Pictavia & agro Pictaviensi apud Parteniacum oppidum Conversio sancti Guillelmi Aquitaniæ & Pictaviæ Ducis & Comitis, qui ex Guillelmo patre natus à pueritia omninò præceps explendæ suæ libidini totus fuit; successu verò temporis Petri Leoni Antipapæ partibus cum quibusdam pseudo-Episcopis Aquitaniæ pro sua malitia & avaritia adhærens, non exiguum toti Ecclesiæ scandalum peperit: Episcopos enim ortodoxos & probos homines è propriis sedibus pellens & Ecclesiæ bonis inhians, sibi omnes Pictaviensis Ecclesiæ reditus vindicavit; cumque primo de conversione & ablatorum restitutione monitus fuisset apud Parteniacum à sancto Patre Bernardo ad eum delegato cum Ioslino Suessionensi Antistite ab Innocentio II. summo Pontifice non resipuit, imò audacior factus & insolentior, ita à Girardo pseudo-præsule Engolismensi ad hæc provocatus perstitit in malitia, ut quoscũque viros probos monita salutaria dantes repulerit, & alios nefarios ac pessimos vitiis ejus blandientes sibi associaverit; transmissus tamen iterùm Bernardus Abbas cum Godefrido Episcopo Carnotensi ac sanctæ Sedis Legato, ab eodem Innocentio in Pictaviam, eundem Comitem convenit; cumque post multa colloquia monitis assentire & Episcopis spoliatis ablata restituere nollet, Bernardus zelo Dei succensus inter Missarum solennia accepta in Patena sacra Hostia, ad Comitem ante Ecclesiæ portam astantem propter anathema in eum rebellem latum, properavit, & vultu terribili eum sic est alloquutus; *Nefande Princeps huc usque nostra monita quamvis salubria repulisti, Ecclesiam matrem tuo schismate turbasti, Episcopos è sedibus expulisti, bonis eos spoliasti; Age nunc & judicem vivorum & mortuorum cujus contempsisti servos cognosce, vide si ei sicut & nobis fecisti resistere valeas.* Quibus ver-

Calendarium Cisterciense. Vita S. Bernardi. Martyrologium Romanum.

bis divini judicii minacibus ita territus fuit Comes, ut quasi extra se factus resupinus in terram corruerit sine verbo, imò sine sensu, salivaque ex ore per barbam & vultum diffluente quasi mortuus & exanimis jacebat usquedum iterùm à Bernardo pede pulsus & excitatus, melioris mentis factus est compos, & ad se reversus ac corde compunctus, vitæ emendationem & Episcoporum ac bonorum restitutionem prómisit, sicque conversus insolitam pœnitentiam est amplexus: spretis enim omnibus sæculi illecebris, relicto proprio dominio & solio, ferream loricam & thoracem induit ad carnem pluribus catenis constrictam cinctusque intus adhuc cilicio varias pietatis peregrinationes suscepit, & tandem fixa mansione desertum coluit ac multis in exemplum rigidæ pœnitentiæ fuit; tantaque sanctitate fulsit, ut congregatis discipulis suarum virtutum æmulatoribus, Ordini suo Eremitarum seu Guillelmitarum initia dederit. Qui quidem Eremitæ & Breviarium & Statuta Ordinis Cisterciensis susceperunt observanda; Guillelmus verò senio & austeritate vitæ fractus, felici fine obiit in stabulo Rodensi, & post obitum albo Sanctorum solenni ritu tum ob miracula tum propter pios vitæ ejus actus ascriptus est, ejusque sacra ossa miræ magnitudinis reposita sunt in lipsanotheca cristallina aureis seu argenteis laminibus tecta in Partenonensi sancti Petri Rhemensis civitatis quo olim delata sunt ex Anglia, munificentia, vt suspicari licet, Eleonoræ Reginæ Anglorum & filiæ ejusdem sancti Guillelmi.

Miræus in Chronico Cisterciensi. In Hannonia depositio Beati Guillelmi Olivetani Sanctimonialium Ordinis Cœnobii Fundatoris, qui cælestis numinis instinctu eremum petens ab adolescentia, ibidem sanctissimam instituit vitam: austeritati enim corporis omninò deditus, in alveum cujusdam vicini fluvii hyemis tempore se se immergebat, egressusque ex aquis templum & ædem sacram visitabat, ibi celeri ac frequenti seu repetitâ genuflexione & continuâ pectoris concussione vestes suas exsiccabat; onera quoque gravia, lapides, ligna seu terram pro novi Monasterii ædificio propriis ferens humeris, ita factus est corpore curvus, ut instar bestiarum manibus

& pedibus humi reperet. Factus autem Dæmonibus suâ oratione terribilis, ipsos debellatos seu victos fugabat. Constructo demùm Cœnobio & vocatis quibusdam Virginibus & Monialibus Ordinis ad novum Monasterium, se se ejusdem Ordinis Legibus & Statutis professione Monasticâ devovit & mancipavit, Familiarisque ad minus Ordinis factus, meruit post obitum inter alios Ordinis proceres recenseri, & inter cæteros Belgii Divos ab Authoribus hac die ascribi. Extat autem ejusdem beati viri vita manuscripta in eodem Cœnobio Olivetano, Catharinæ ejusdem loci Abbatissæ dicata, Authore quodam Cisterciensi Monacho earundem Monialium à confessionibus.

TERTIO IDVS FEBRVARII.

Undecimo Februarii.

IN Dacia Cœnobio Vitæ-scholæ filiationis Clarævallis Beatus Henricus primus hujus loci Abbas, qui sub primis suæ adolescentiæ annis sancti Patris Bernardi apud Claramvallem factus discipulus & Monachus multùm sub ejus Magisterio profuit, longoque virtutis experimento edoctus, & in remotas regiones Ordinem propagandi gratiâ transmissus, factus est Abbas Vitæ-scholæ in Dacia, ubi multos suo exemplo & monitis ad regularem disciplinam informavit, & tandem piis & sanctis operibus cumulatus, diem extremum clausit, non sine sanctitatis opinione.

Lib. de initio Ordinis dist. 6. c. 10. Seguinus *in Catalogo Sanctorum Ordinis.*

PRIDIE IDVS FEBRVARII.

Duodecimo Februarii.

IN Belgio Beatus Nicolaus de Gemblaco, qui in ipsis partibus natus, primò Benedictinum Institutum amplexus est in Gemblacensi Cœnobio, posteà verò strictioris suæ regulæ observantiæ cupidus, Cisterciensem reforma-

Henriquez *hac die.* Chronicon Villarii.

tionem ſuſcepit in Villario Brabantiæ oppido, ubi omni ſanctimonia claruit, & felici morte vitam finivit, annotatus inter Ordinis Illuſtres ad hanc Februarii diem in Menologio & alibi.

Aubertus Miræus lib. 1 donationum Belgicarum. Chronicon Villarii.

Item in Belgio venerabilis Mater Gilda Prioriſſa de Pennebeke, non procul à Bruxella civitate (quod Cœnobium poſteà Camera Beatæ Mariæ nominatum eſt) quæ habitum Benedictinum primò aſſumptum, poſteà in Ciſtercienſem commutauit ad Villarienſem Cœnobii portam: Cucullâ enim Beati Godefridi, olim hujus loci Sacriſtæ, indutâ ab Abbate, ſibi Virgines alias aſſociavit, quibus Leges Ciſtercienſes ſimul & habitum dedit, eaſque cum illis religioſè obſervavit; & tandem cùm piè & ſanctè iiſdem præfuiſſet, & multas ærumnas pro juſtitiâ ſubiiſſet, ſancto fine quievit, aſcripta ad duodecimam diem Februarii in Menologio, & memorata in Chronico Villarienſi ac in vita B. Godefridi.

IDIBVS FEBRVARII.

Decimo tertio Februarii.

Ioannes Abbas Ciſtercii *in Catalogo Sanctorum Ordinis.* Vita S. Bernardi *cap. 8.* Miſſale vetus Ordinis.

IN Gallia Beatus Stephanus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui Catalauni in Galliis & in Campania natus ac Monachus in Claravalle factus, ſub primis illis Clarævallis fundationis annis & ſancti Patris Bernardi magiſterio, ibidem ſanctis moribus ab habitûs ſuſceptione refulſit, omnique gloriâ illuſtris, ut dicitur ab Arnoldo Bonavallenſi Abbate in vita ſancti Patris Bernardi, ob præcelſum vitæ meritum anno reparatæ ſalutis milleſimo centeſimo quadrageſimo, menſe Decembri ad Cardinalatum & Epiſcopatum Præneſtinum ab Innocente II. potiùs raptus eſt quàm ſponte promotus; quem quidem gradum tantâ modeſtiâ tantaque morum gravitate decoravit, ut vitam Monaſticam dignitati conjunxiſſe videretur. Pauper autem adhuc exiſtens inter opes, ſuos reditus non ad vanos uſus nec ad ſæculi faſtum, ſed ad pauperum inopiam

ſublevandam pius impendit, & bonis tandem fortunæ inops, meritis locuples extitit, Sanctorum albo à quibuſdam hac de re poſt mortem aſcriptus, & multùm laudatus à Ioanne Sarisberienſi. Quód autem hac die & menſe obierit idem Stephanus, patet ex eo quód ejus mors pauló ante Eugenii III. promotionem ad ſummum Pontificatum, quæ menſe Martio celebratur evenit, ut omnes authores notant qui de eo ſcripſerunt.

In Hiſpania memoria pii Patris Bernardi de Eſcoüar Monachi regularis obſervantiæ & Abbatis Montis-Sion, qui variis linguis Græca & Hebræa inſtructus, ac in literis & ſcientiis peritiſſimus, religione & morum honeſtate claruit, multiſque bonis operibus cumulatus & viſionibus cæleſtibus illuſtratus, hac die Februarii anno reparatæ ſalutis milleſimo ſexcenteſimo ſexto, ſancto fine quievit, cujus vitam edidit Henriqueus libro 2. diſtinct. 32. ſui Faſciculi. Faſciculus SS. Ordinis diſt. 34.

In Anglia B. Wulfridus Stratæ-Floridæ Monachus, qui ſuis virtutibus & orationibus Dæmonibus ipſis factus infenſus, eorundem pluries ſuggeſtus, fallacias & tentamenta detexit; ſpiritu veró prophetico clarus arcana & cordis ſecreta multis aperuit, ac futurum ſtatum prædixit, ſicque variis è Cælo coruſcationibus illuſtratus & chariſmatibus gratiarum ornatus, migravit ad cælos, memoratus ad decimum tertium Februarii in Calendariis Ordinis. Hiſtoria Eccleſiaſtica Angliæ. Exordium Ordinis Ciſtercienſis.

Vilerii Caniveti in Normania obdormitio piæ ſororis Franciſcæ de la Moriciere, quæ ſuſcepto Ordinis habitu ſub matertera ſua Helena Prioriſſa, tantâ floruit virtute, ut pro merito illius aſſumpta fuerit in Coadjutricem, & pauló poſt hac die & anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo per felicem mortem brevi è mundo rapta eſt, nec ſæculi malitia mutavit intellectum illius, poſt cujus mortem facta dicuntur miracula ad ejus tumulum. Ex cartis hujus loci.



SEXTO DECIMO CAL. MARTII.

Decimo quarto Februarii.

Missale vetus.

IN Sabaudia & Diœcesi Bellicensi ac Cœnobio Sancti Sulpitii filiationis Pontigniacensis Beatus Vitalis hujus loci Conversus ferventissimus, qui post longam virtutis probationem Monasticâ veste indutus, tantâ refulsit humilitate, charitate & pietate, ut earundem virtutum exemplar quasi speciale hominibus datum à Deo videretur, mortuusque in senectute bona multis emicuit miraculis, & ejus corpus ob crebra illa prodigia & peregrinorum frequentiam è terrâ elevatum est, & in loco peculiari & decenti repositum ac populi cultui publico expositum. Ejus autem nomen inter illa antiquorum Ordinis procerum in veteri Sanctorum serie ascribi meruit.

QVINTO DECIMO CALEND. MARTII.

Decimo quinto Februarii.

IN Picardia Galliæ Belgicæ Provincia & Cœnobio Vrsicampi Diœcesis Noviodunensis ac filiationis Claræ-vallis dedicatio prioris Ecclesiæ ejusdem Monasterii de Vrsicampo à Simone Episcopo Diœcesano Regio sanguine nato fundatæ, nondum majori Basilicâ constructâ, quæ nonnisi pluribus annis post peractam fundationem Cœnobii est inchoata.

Cæsarius *lib.* 5. *cap.* 47.

In Westphalia Germaniæ Provincia pia Mater Gertrudis Ordinis Cisterciensis reclusa, quæ Ordinis habitu suscepto, probitatis titulo clara extitit, purissimumque Domino famulatum reddens multis locupletata est virtutibus & sanctis operibus ditata, quibus expletis vitam cum corpore exuit, annumerata inter Ordinis Illustres ad quintam decimam Februarii apud Henriquecum.

QVARTO DECIMO CAL. MARTII.
Decimo ſexto Februarii.

IN Germania Cœnobio Vallis ſancti Petri ſeu alio nomine Heyſterbachio dicto Beatus Siffridus Monachus, qui inter alia dona quibus à Deo inſignitus eſt, ſpiritu Prophetiæ tanto claruit, ut vulgari nomine Propheta meruerit vocari, multis ſibi à Deo revelatis & hominibus per ipſum prædictis, piuſque in Deiparam Virginem ſpeciali cultu factus, non ſemel in ſpiritu ſuavi ejuſdem Virginis viſione ſeu apparitione recreari meruit, imò ſacris ordinibus initiatus, dùm aliquando Miſſarum ſolennia ageret extra ſe poſitus, cæleſtia arcana quæ non licet homini loqui expertus eſt, & perductus ad longævam ſenectutem, ſanctiſſimo fine obiit, meritò hac die antiquo Calendario Ordinis aſcriptus, ut in veteri Miſſali in ſerie Sanctorum ejuſdem Ordinis legitur. Cæſarius *lib.* 7. *cap.* 40. Calendaria Ordinis.

In Normania & Cœnobio Fulcardimontis commemoratio Beatæ Iulianæ Virginis & Martyris, cujus caput aut maxima capitis pars ibidem religioſè aſſervatur, & in lipſanotheca lignea ac deaurata repoſita in majore & præcipua Eccleſiæ ara.

In Italia Beatus Ioannes Caſæmarienſis Abbas, ſancti Patris Bernardi diſcipulus & indiſſolubili amicitiæ vinculo eidem connexus, qui poſt probatam vitam ad dignitatem Abbatialem ſublimatus, præfuit & profuit, nec tamen per exteriora Præſulatûs onera ab interioribus evocatus, jugi oratione & rerum cæleſtium ſpeculatione occupatus, plura è cælo ſecreta reſcire meruit; inter quæ non exiguum fuit illud quod pro ſancti Patris conſolatione à ſanctis Martyribus Ioanne & Paulo Caſæmarii Patronis accepit, futurã videlicet ſancti ejuſdem Patris cõpenſationem & præmium: quod quidem Ioannes prolixa & eleganti Epiſtola ſcripta ad eundem expreſſit, conſolans ipſum quòd pro expeditione Hieroſolymitana tam variis miraculis probata etſi malè Baronius *tom.* 12. *cap.* 49. Montalbus *in Chronico.*

Principibus cessisset eorundem culpâ, multa perpessus fuisse opprobria. Mortuus autem Ioannes cum sanctitatis opinione meruit longè post mortem Eminentissimum Cardinalem Baronium suarum virtutum habere præconem, & Henriquеum ad decimum sextum Februarii.

Bzovius *in Annalibus tom.* 14.

In Etruria Beata Marguarita Virgo Monialis in quodam Ordinis Monasterio hujus regionis, ubi Monastica veste induta sanctorum Patrum ejusdem Ordinis virtutes & actus simul cum ea induit, omnique vitæ sanctimonia illustris, post mortem prudentibus Virginibus associari meruit & cum eis Agnum cælestem sequi quocumque ierit; ascriptaque manet ipsa Calendario Ordinis ad hanc diem & memorata cum laude apud Abrahamum Bzovium ad tomum 14. annalium suarum.

TERTIO DECIMO CALEND. MARTII.

Decimo septimo Februarii.

Vita S. Bernardi *lib.* 1.
Arnoldus *lib.* 2.

IN Claravalle Beatus Galdricus sanctissimi Patris Bernardi secundùm carnem avunculus ac juxta spiritum filius, qui adhuc in sæculo castri Tuilliensis Dominus in agro Æduensi primus omnium sancti Patris Bernardi propinquorum in sancti nepotis sententiam iniit, factusque Cistercii Monachus post emissa vota, in Claramvallem cum suis omnibus nepotibus mittitur, ubi indefesso studio piis operibus incumbens, post multa sibi comparata merita virtutum exercitio in senectute bona quievit, viso paulò ante mortem per spiritum sancto Apostolo Petro cui peculiari cultu deditus fuerat, & fugatis Dæmonibus qui eidem terrorem ingerebant; gloria verò ejus post mortem Patri Bernardo non semel manifestata est, & corpus ejus cum sanctis aliis cadaveribus propinquorum suorum sub peculiari sepulchro in veteri Abbatum cœmeterio sepultum est apud Claramvallem.

Tabula Ecclesiæ de Salem.
Bruschius *in Chronologio.*

In Germania venerabilis Pater Frouvinus primus Abbas Salamitanus, qui ex Monasterio Lucellensi Superiorum jussu transmissus, ut Salamitano præesset Cœnobio, ibidem

per viginti octo annos magnalium laude sui pii regiminis & vitæ commendatione floruit, mortuus in senectute bona non sine sanctitatis opinione, subscriptus hac de re inter Ordinis beatos viros in Menologio ad hanc diem 17. Februarii.

In Germania Beatus Manegoldus sancti Georgii Abbas insignis, qui pro conservanda regulari observantia á quibusdam viris infidelibus inhumaniter est occisus, & hac de re Martyr nominatus, & ascriptus inter Divos in Martyrologio Monastico ab Arnoldo Wioneo evulgato, & ad diem decimam octavam Februarii memoratus apud Henriqueum, Seguinum & alios.

DVODECIMO CALEND. MARTII.

Decimo octavo Februarii.

IN Claravalle Beatus Odo sancti Patris Bernardi discipulus & ejusdem loci Supprior, qui ab adolescentia sub primis Claræ vallensis Cœnobii fundationis annis tanti Patris alumnus factus, ita ejusdem viri vestigiis adhæsit, ut pauper & corde humilis ac omni morum suavitate conspicuus extiterit; factus quoque omnium aliorum Monachorum exemplar, meruit in partem sollicitudinis assumi, & cæteris sub sancto Patre Bernardo præfici, & Supprioris munere fungi. Cùm autem diù piè & strenuè in sancta conversatione perstitisset, ac sacris initiatus ordinibus inter celebrandum pluries (ut cum Dionisio Areopagita loquar) divina passus esset, & instar Simeonis senis inter ulnas Christum ipsum gerere sub forma visibili meruisset, timens ne sancto Patri Bernardo jam moribundo superviveret, orphanusque & orbatus tanto Patre in hac præsenti vita extaret, suæ mortis horam rescire meruit; paucis enim mensibus ante sancti viri obitum facta est cuidam pio Monacho visio, qua Odonis obitum præcessurum fore Bernardi mortem novit: sicque Beatus Odo ad cælestem Ierusalem aspirans, incidit paulò post in gravem morbum, timidusque factus tanquam si per vitam nihil boni egisset, post suscepta Eccle-

Calendarium SS. Ordinis. Exordium *dist. 3. cap. 6.*

ſiæ Sacramenta, à ſancto Patre Bernardo aſtante confortatus, ſanctiſſimo fine vitam clauſit; ſepultus poſt mortem in Sanctorum tumulo intra murum Clauſtri Claræ vallenſis cum beatis viris Humberto, Roberto Abbatibus, & aliis.

Molanus *in appendice ad Martyrologium.* Miſſale vetus Ordinis. Ioannes Abbas *in Catalogo SS. Ordinis.*

In Claravalle Beatus Silvanus Monachus & ſancti Patris Bernardi diſcipulus, qui à Beata Virgine Dei genitrice ſpecialibus donis nobilitatus, tantâ ſanctimoniâ refulſit, ut aliquando æger viſitatus fuerit per apparitionem factam ab eadem Virgine, à qua per miraculum ſanari meruit. Aliundè autem pluribus virtutibus inſignitus, ob continuas illius preces & pia opera ad cæleſtem patriam conſcendit per feliciſſimam mortem, annotatus inter Sanctos à pluribus authoribus & in ipſo veteri catalogo Sanctorum Ordinis aſcriptus & hac die in Calendario Sanctorum relatus.

Franciſcus Rades *cap. 13. ſua hiſtoria lib. 2.* Montalbus *lib. 2. tom. p. cap. 37.* Sanctorale Ciſterciense.

Calatravæ in Hiſpania Sancti Martyres milites, qui Alphonſo Hiſpaniarum Rege debellato juxta caſtrum de Alarcos ſub Iucafo Rege Mahumetano comprehenſi in odium Fidei, & duro carceri mancipati, cùm à Fide Chriſtiana nollent deficere, ſuadentibus Mahumetanis, martyrio omnes affecti ſunt, numerum duorum millium tam Equitum, Monachorum, quàm Familiarium Ordinis excedentes: quorum omnium corpora juſſu eorundem Mahumetanorum in vicino agro ſepulta ſunt, ubi poſtmodùm constructum eſt ſacellum *Beata Maria ad Martyres* nuncupatum. Porrò viſitantibus Leo X. Summus Pontifex ampliſſimas indulgentias conceſſit, in honorem eorundem Martyrum, & Menologium hac die eorum memoriam recenſet.

VNDECIMO CALEND. MARTII.

Decimo nono Februarii.

Vita ejus manuſcripta in Rubravalle. Hagiologium Brabantiæ.

IN Brabantia Cœnobio Sanctimonialium Cameræ Beatæ Virginis propè Bruxellas, depoſitio beati Bonifacii Lauſanenſis Epiſcopi ſub Helvetiæ finibus, qui natione Belga & Brabantinus à teneris annis Pariſios venit, ubi humanioribus Philoſophicis ac Theologicis ſtudiis, operam dedit,

adeptusque Magisterii in Theologia gradum paulò pòst propter doctrinam non exiguam & vulgarem & propter vitæ meritum ad Episcopatum Lausanensem est sublimatus. In qua quidem dignitate tanquàm in sublimiori loco constitutus, micantiores & fulgentiores virtutis radios suis subditis transfudit; cumque plurimis annis gregem sibi commissum verbo & opere pavisset, & tandem ob schisma in Ecclesiâ tunc temporis subortum inter Summum Pontificem & Fridericum Imperatorem Ecclesiæ rebellem, eundem sibi haberet infensum, à militibus & satellitibus ejusdem Imperatoris interceptus & comprehensus, magno miraculo ex eorum manibus liber evasit; nec solùm Fridericum illum sibi adversarium ob vitæ sanctimoniam & justitiæ rectitudinem habuit, sed & quam-plurimos pessimæ vitæ Sacerdotes, quorum scelera liberâ voce redarguebat, à quibus pluries impetitus insidiis & penè occisus propriam sedem deserere compulsus est, Romamque profectus cùm multis precibus & lacrymis à Summo Pontifice eximi à cura sibi commissa postulasset, tandem onus Episcopale deponēdi veniam obtinuit: sicque liber rediens ex Italia, patriam suam Brabantiam quam à juventute deseruerat repetiit, & ibidem intra Cœnobii Cameræ Beatæ Mariæ Monialium Ordinis latebras privatam ac sanctam egit vitam, susceptaque si non Monachorum, saltem Familiarium veste, signis & virtutibus illustris evasit, & factus Dæmonibus terribilis, ipsos ab obsessis corporibus sive precibus sive manuum impositione arcebat; imò ægris quibusve sanitatem restituens, & futura longè antequàm evenirent prænuntians, ac absentibus aliquando dum adhuc esset in vivis apparens, non sine magno miraculo omnibus visus est sanctus. Sed quid plura? Plerumque à Beatâ Virgine quam speciali cultu colebat, sub forma visibili visitatus, ab eadem aliquando puerum Iesum accepit: sicque Cælitibus & hominibus carus, tandem ad extrema devenit, & gravi morbo correptus est; in quo quidem vitæ districtu Divi Ioannis Evangelium præ manibus habens, in has voces erupisse fertur. *Hæc, inquit, didici, hæc ab Ecclesia accepi, & in his vixi, in his credo, in his spero & mori cupio.* Quibus prolatis feliciter quievit in Do-

mino, ac multis miraculis poſt mortem claruit; nec ullus eſt author qui ipſum ſeu Monachum ſeu Ordinis Familiarem non fateatur, hacque die in Calendario Ordinis meritò inter Beatos aſcriptus reperitur.

Catalogus Sanctorum Ordinis. Mireus *in Chronico Ciſtercienſi.*

In Germania Beatus Vdalricus primus Abbas Monaſterii Cæſarienſis, qui poſt propagatum Ciſtercienſe ibidem Inſtitutum & ſanctiſſimam vitam, puriſſimam exhalavit animam; memoratus in Calendario Ordinis ad hanc decimam nonam Februarii diem.

DECIMO CALEND. MARTII.

Vigeſimo Februarii.

Cæſarius *lib.* II. *cap* 3. *vt* 11. Henriquez *in ſua Laurea Evangelica lib.* 3. *diſtinct.* 7.

IN Germania & Monaſterio Hemmerodenſi, Beatus Iſembardus ejuſdem loci Monachus, qui poſt aliquot Religionis annos ſanctitate illuſtris factus, & puritate tam corporis quàm animæ conſpicuus, meruit ut ſibi ſacrorum ſupellectilium cura demandaretur, ſicque Sacriſtæ munere ritè fungens circa divina officia omninò ſollicitus & vigil extitit; nec tamen per exteriora ab interioribus evocatus & abſtractus, Deo vacare deſtitit: imò quaſi attentior ad Deum factus & ſæpè per ecſtaſim extra ſe raptus, plura quæ non licèt homini loqui reſcire meruit. Sed præſertim in ipſo mortis articulo, dum cupidus æternæ requiei expectare videretur futuræ ſuæ beatitudinis indicia, tandem poſt triginta annos vitæ Monaſticæ piè traductos, bonis operibus cumulatus, ſimul cum corporis diſſolutione vitam exuit: de quo quidem præclaro viro Cæſarius Heyſterbacenſis & alii Ordinis Authores plura habent; inſertuſque eſt hac die Februarii Calendario Ordinis Divione excuſo.

Arſpheldius *in ſua hiſtoria Eccleſiaſtica Anglia ſaeculo* 12. *cap.* 29.

In Anglia B. Vlricus Anachoreta inſignis, qui Heſelbergæ in cella cuidam Templo vicina degens ſolitarius, Ciſtercienſe Inſtitutum amplexus eſt & ejuſdem Ordinis Superioribus omninò ſubditus, ubi ad mortem uſque in multa ſanctitate perſeveravit, revelationibus & miraculis clarus; uti de eo ſcribit Guillelmus Avaloneus, eumque aſcripſit in ſuo

Hagiologio Henriqueus ad Februarii vigesimam diem.

In Brabantia Beatus Ioannes Villarii Conversus, in quo, ut cætera alia virtutum ornamenta quibus decoratus erat prætermittamus, maximè enituerunt humilitas, propriæ voluntatis abnegatio, & proximorum charitas; quibus omnibus locupletatus, appositus est ad Patres suos, inter quos cum laude manet ascriptus in Menologio ad hanc diem.

Arnoldus de Raisse *in Auctuario ad Molanum 28. Augusti.* Ioannes de Vrirezes alius à Ioãne dicto præcursore. Chronicon Villariense.

NONO CALEND. FEBRVARII.

Vigesimo primo Februarii.

IN Claravalle Burgundiæ & Campaniæ finibus Beatus Petrus Tolosanus ejusdem loci Monachus, qui pio Bernardi operum exemplo corde compunctus, sæculo vale dixit & vitam Monasticam sub ejusdem Patris Magisterio professus in Claravalle multis virtutibus temporis successu refulsit, orationique seu rerum cælestium meditationi quàm maximè deditus, plura cælestis vitæ arcana didicit, imò insolito gratiarum charismate perunctus, cæli delicias sæpè sæpius delibare videbatur: & sic gustatâ melioris vitæ suavitate, ardenti mentis desiderio dissolvi & esse cum Christo peroptavit. Nec quidem frustrà, nam diuturnis jejuniis & vigiliis assiduis corpore penitus extenuato & debilitato quàm citò morbo defecit, mortuus in senectute bona, postquàm in hac vita spiritu Prophetiæ clarus multa futura prævidisset & aliis prænuntiasset; sed præsertim Beati Fastredi Cistercii Abbatis tunc Parisiis degentis mortem, viso priùs per aërem superbo ac magnifico sepulchro à choris Angelicis processionatim ad æthera deducto. Fertur quoque de eo, quòd ad tantam mentis & corporis puritatem olim devenerit, ut adhuc in carne subsistens vitam Angelicam æmulari videretur, nec minimus in eo unquam libidinis motus insurrexerit: imò lacrymarum profluvio & cordis compunctione decoratus, sua & aliorum proximorum peccamina deflere meruit, perpetuò apud posteros ob vitæ sanctitatem commendandus, & jure hac die Catalogo SS. Ordinis ascriptus.

Exordium Cistercii *lib. 3. c. 4. & 13.* Montalbus *in Chronicis.* Robertus rusca *in suo Compendio.*

Calendarium SS. Ordinis.

In Germania Beatus Walterus de Bierbach vir dives & potens, ac consanguineus Henrici Ducis Lovaniensis, qui spreto sæculo & divitiis factus est Monachus Hemmerodensis: ubi tantâ pietate floruit, ut pluribus revelationibus illustratus fuerit, multisque miraculis, ut dicitur, refulserit; mortuus in senectute bona & à quibusdam Authoribus albo Sanctorum ascriptus, & in Menologio Sanctorum Ordinis memoratus ad sequentem diem Februarii.

OCTAVO CALEND. MARTII.

Vigesimo secundo Februarii.

Cartæ Pontigniaci.

IN Gallia & Cœnobio Pontigniaci agro Antissiodorensi, apparitio sancti Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis ibidem olim hospitis familiaris, ac pro justitia & Ecclesiæ defensione è proprio solo & sede exulis; qui quidem Sanctus cùm pluribus in vita miraculis claruisset, ac nonnulla adhuc in morte fecisset, & post sepulturam ab ipsorum operatione omninò destitisset quamvis invocatus, cuidam Monacho ad tumulum deprecanti ut miracula ipsa quæ vivens peregerat continuaret visibiliter apparuit, manusque suas terra penitùs gravidas ostendens, quòd eas ad Deum pro clientibus levare non valeret indicavit, & monito per Monachum illicò Abbate, elevatum est è terra sanctum cadaver illæsum ab omni corruptione & putredine, reviviscentiaque miracula non ampliùs ab illis temporibus ad nostra cessarunt: sed cùm aliâ die ipsa elevatio seu translatio celebretur apud Pontigniacum, ad præsentem Februarii spectat potiùs apparitio Monacho facta quàm elevatio ipsa.

Seguinus *in Catalogo Sanctorum Ordinis.*

In Rutinensi Diœcesi beatus Quadratus Abbas Bonævallis; vir admodùm præclarus & admirandæ virtutis, qui propter pios actus quos exercuit & sanctam vitam quam duxit, felici transitu migravit è vita, annotatus in Calendario Sanctorum Ordinis ad hanc diem apud Henriquecum.

SEPTIMO

SEPTIMO CALEND. MARTII.

Vigesimo tertio Februarii.

IN Lusitania Cœnobio Monialium Sancti Benedicti de Castris obiit piæ memoriæ Leonora Correa, hujus loci Monialis insignis, quæ augustissimum Eucharistiæ Sacramentum speciali veneratione colens, omnem ei quoad potuit cultum exhibuit; cùmque omni virtutis decore enituisset per vitam, in gravem ac lethalem morbum incidit. In quo morbo cùm propter nimiam gutturis siccitatem seu restrictionem sacratissimum Christi Domini corpus pro viatico suscipere nequiret, quamvis avidè peroptaret, nec tamen cordis desiderium ob extinctam loquelam nisi signis innuere posset, fusis ad Deum lacrymis, loquendi facultatem sibi restituit, & sublato gutturis sui impedimento allatum viaticum suscepit, post obitum à Christo sponso intra Paradisum admissa. Brittus *in Chron. Cisterc. tom. 1. lib. 5. cap. 33.*

In Brabantia beatus Cæsarius Monachus, qui veste Cisterciensi intra Villariense Cœnobium retectus, ibidem primò didicit quod toto vitæ decursu posteà studuit exercere; pius enim in Deum, propensus in proximum, & in seipsum severus, omni disciplinæ regularis exemplo claruit: Prior verò ob meritum virtutis ibidem institutus, vitæ austeritatem non minuit sed auxit, senioque & labore fractus, cùm felicis suæ dissolutionis momentum instaret, ad Fratres astantes conversus, in hæc verba fertur prorupisse. *Cantabo*, inquit, *cum cantantibus, psallam cum psallentibus, laudabo eum qui creavit me;* & his similia prosequens, felici sopore extinctus est, & post mortem cuidam Monacho gloriosus apparuit, quem suæ beatitudinis certum fecit. Chronicon Villariense.



SEXTO CALEND. MARTII.

Vigesimo quarto Februarii.

IN Valesia Galliæ Provincia & agro Silvanectensi in Cœnobio Monialium Ordinis de Parco-dominarum filiationis Claraevallis dedicatio Ecclesiæ ejusdem loci ab Eleonora Valesiæ Comitissa fundatæ anno reparatæ salutis millesimo ducentesimo quinto, cujus quidem dedicationis anniversarium ea die ibidem celebratur, translato festo sancti Matthiæ Apostoli in sequentem diem.

Cæsarius lib. 3. cap. 33. Molanus in natalibus Sanctorum Belgii hac die.

In territorio Leodiensi Beatus Simon Propheta dictus & Alnensis Cœnobii Conversus, qui nobilitatis genere illustris, & ex Comitibus Gueldriæ natus, dum adhuc esset adolescens, mundum sibi cum flore despexit, insciisque parentibus Alnam venit, ubi factus hujus loci non Monachus Choro, uti viri nobilitas & meritum exigebant, sed humilis Conversus, & nobilitate occultatâ vilis Cœnobii opilio, uti ei persuaserat humilitas, non alta sapere, sed ad sobrietatem sapere & timere didicit; quâ quidem viâ ad tantum sanctitatis culmen pervenit, ut non ampliùs ei humani cordis secreta laterent, sed aperti quique hominum cogitatus patebant; quod quidem in causa fuit cur Innocentius III. Pontifex Maximus, cui illius sanctitas innotuerat, plenariam cōcesserit indulgentiam, in ejusdem Fratris gratiam, iis omnibus qui ad ejus monitum propria peccata coram sacerdote deponerent; sicque Simon vir potens opere & sermone in diebus suis multos homines sceleribus implicatus ad meliorem reduxit frugem. Ductus autem ipse Frater ad Lateranense Concilium fortè cum Abbate, ibidem pluribus Ecclesiæ Antistitibus modestè & humiliter monita salutis dedit, sed præsertim Innocentio Summo Pontifici, quem in Ordinem Cisterciensem iratum olim, quòd Ordo ipse quadragesimam suï reditûs partem dare retardaverat, placari curavit, accepta priùs visione è Cælo. Reversus verò Simon in Cœnobium suæ stabilitatis & in pristina sancti-

ctitate perseverans, post multa suæ sanctimoniæ signa, quievit in Domino. Sepultum autem tanti viri corpus in Monasterio suo Alnensi, è terra posteà effossum est & elevatum, ac publicæ venerationi in lipsanotheca reclusum in solennioribus festis cum aliis Sanctorum reliquiis exponitur.

In Claravalle Beatus Desiderius Conversus & sancti Patris Bernardi discipulus, qui speciali cultu per totum vitæ decursum Beatam Virginem prosequens, eandem in morte propitiam habuit, dum de conscientia securus ipsam astantem in hac ultima hora simul cum Patre Bernardo jam vitâ functo conspicere meruit, & pauló post æternæ vitæ conjunctus Deum non ampliùs in ænigmate, sed facie ad faciem vidit; memoratus hac die Februarii in Ordinis Calendario inter Sanctos.

Exordium Cistercii *dist. 4. cap. 13. licet non expresso nomine.* Britus *tom. 4. lib. 4. cap. 21.*

Apud Bernarditas Parisienses repositio brachii Sancti Matthiæ Apostoli in theca lignea reclusi supra altare.

QVINTO CALEND. MARTII.

Vigesimo quinto Februarii.

IN Belgio juxta Bruxellas & Cœnobio Sanctimonialium de Camera Beatæ Mariæ, elevatio corporis Beati Bonifacii Episcopi Lausanensis, & olim ejusdem Monasterii Monachi.

In Germania Beata Mechthildis virgo Sanctimonialis, quæ à juvenilibus annis virginitatem suam Christo suo sponso vovens, in quodam Cisterciensis Ordinis Cœnobio habitum suscepit, & piis operibus egregiisque virtutibus emicuit, ac tandem cælesti sponso adhærens, piissimâ morte ad eum transiit, ascripta Sanctorum Ordinis Catalogo seu Calendario ad hanc vigesimam quintam Februarii diem.

Calendarium Sanctorum Ordinis.



QVARTO CALEND. MARTII.

Vigesimo sexto Februarii.

Exordium Cisterc. *lib.* 2. *c.* 31. Calendarium SS. Ordinis.

IN Claravalle Beatus Andreas, qui ex Archidiacono matris Ecclesiæ Virdunensis in Lotharingia factus Monachus ejusdem Cœnobii Claraevallis, meritis insignis extitit; cùm enim aliquando in hocce Monasterium venisset, ut solùm se Monachorum precibus commendaret, miraculosè conversus, & illicò in virum alterum mutatus, vestem Monachalem obnixè postulavit ab Abbate, & eandem obtinuit ac induit. Quâ quidem indutus mirabilem, ob sanctitatem, vitam egit; variis tamen tentationibus in ipsa anni probatione agitatus, easdem precibus B. Roberti Abbatis adjutus viriliter decertando superavit, & sic in proposito Religionis non ampliùs vacillans ita confirmatus est, ut quamvis corporis delicatus & debilis videretur, arreptum tamen propositum & Institutum prosecutus sit: nec posteà pisorum edulium quod priùs fastidiebat ei nauseam peperit, sed spiritualibus degustatis deliciis carnis desideria sprevit, & totus in rerum cælestium attentione positus, soli Deo adhæsit; ac mortuus in senectute bona post longa jejunia & præclara virtutis opera, apud posteros sanctitatis signa reliquit, ascriptus hac die Calendario Ordinis Divione excuso, & in Exordii Cisterciensis libello multa cum laude memoratus.

Cæsarius *lib.* 7. *cap.* 49.

In Germania Cœnobio de Monte Strombergensi Beatus Arnoldus Conversus, qui suscepto Ordinis habitu vilibus exercitiis omninò sese dedit, multisque præclaris operibus humilitatis, pietatis & sanctimoniæ celebris, meruit post exempla cujusvis datæ virtutis bono & sancto fine quiescere, memoratus post mortem à Cæsario inter Illustres, & ab Henriqueo in Menologio inter Sanctos ad hanc diem Februarii recenseri.

Item in Germania Beatus Theodoricus Novi-castri Monachus, vir eximiæ sanctitatis & religionis, qui ad Mona-

ſterium vocatus à Deo, ibidem piè vixit, & poſt mortem Gunthero amico ſuo beatitudinem quam piis ſuis laboribus acquiſierat revelavit, annotatus inter Ordinis proceres ad hanc vigeſimam ſextam diem.

TERTIO CALEND. MARTII.

Vigeſimo ſeptimo Februarii.

IN Friſia Cœnobio Sancti Bernardi Beatus Emanuel Monachus, qui genere nobilis dum adhuc in ſæculo verſaretur, ſanctitatis titulo jam clarus extitit. Poſtquam autem pius Monaſticum habitum ſuſcepiſſet, clarior adhuc virtute refulſit, ita ut poſt aliquot annos à profeſſione ob vitæ meritum à Cœnobio avulſus, ad ſublimes Eccleſiæ dignitates fuerit evectus; factus enim Cremonenſis Antiſtes & Epiſcopus ſicut priùs Friſiam, ſic poſteà Italiam vividis probatæ vitæ exemplis illuſtravit, nec tamen eum alium à priori ſtatu dignitas effecit, imò ferventior in Epiſcopatu exiſtens, Monachorum munia dum per otium licebat orationi & ſolitudini vacans obibat: Præſulis quoque vicibus ritè fungens, gregis ſuæ ſaluti perpetuò & verbo & opere conſulebat: cùmque mira vitæ probitate, incredibili pietate, virtutibus & ſignis quàm plurimis in hoc mortalium ſtadio emicuiſſet, curſum ſuum felici fine conſummavit, ac de reliquo repoſita creditur ei egregiorum operum merces & corona, eumque recenſet inter Ordinis illuſtres viros Guido Clarævallis in Hiſtoria Ordinis, ut ad hanc diem Henriqueus annotavit, imò aſcriptus manet hac die in Calendario Sanctorum ac Beatorum Ordinis.

Guido Clarævallis *in Hiſtoria virorum illuſtrium Ordinis.*

Ciſtercii in Burgundia Beatus Robertus Prior, qui ad Ordinem è Cælo vocatus, meruit inter primos hujus eremi cultores multis clarère virtutibus, factuſque hujus loci Prior ſub ſancto Patre Stephano Abbate, cæteris aliis exemplo prçluxit. Cùm autem pluribus annis piè & ſanctè dignitatem hanc exercuiſſet, appoſitus eſt felici fine ad Patres; & ſepultus inter beatos illos Ordinis Patres Albericum, Ste-

Tabulæ Ciſtercii.

phanum & alios, in majori clauſtro Ciſtercii, annotatus apud Henriqueum ad hanc vigeſimam ſeptimam diem Februarii in Menologio.

PRIDIE CALEND. MARTII.

Vigeſimo octavo Februarii.

Monumenta Clarçuall. Goſuinus *libro miraculorum.*

IN Campania & Cœnobio Beatæ Mariæ de Moris Beatus Herbertus Abbas, qui primò Monachus Clarævallis ibidem virtute floruit, & cùm propter prudentiam & rerum peritiam factus eſſet Capellanus beati Henrici Abbatis Clarævallis, poſteà Cardinalis, hinc ad Abbatiam de Moris non longè à Claravalle regendam eſt evocatus; cúmque adhuc fulgentiori virtute clareret, factâ famâ tanti viri per cæteras regiones, in Archiepiſcopum Sardiniæ eſt renuntiatus, ubi gregem ſibi commiſſum verbo & opere paſcens, multis ſanctitatis titulis illuſtris extitit, annotatus inter Sanctos poſt innocentiſſimam vitam & piiſſimam mortem, ad vigeſimam octavam Februarii diem.





MENSIS MARTII.

CALENDIS MARTII.

Primo Martii.



IN Britannia Armorica Cœnobio Sancti Albini, solennitas Sancti Albini Andegavensis Episcopi, & hujus Monasterii Patroni insignis.

In Gallia Cœnobio Claravallensi, beatus Hugo de Monte-felici hujus loci insignis Asceta, qui post transactos plures vitæ suæ annos sub S. Patris Bernardi magisterio in omni mentis puritate, & datis pluribus suæ virtutis signis, carne solutus abiit è vita coronandus in Cælis ob cumulum meritorum, & in terris celebrandus ob virtutum fragrantiam; ascriptus hac de re Ordinis Dipticis ad primam Martii.

In Compendio virorum illustrium sub B. Bernardo. Liber MM. in Claravalle.

In Delphinatu Galliæ Provincia & Cœnobio Bonævallis Viennensis beatus Simplicius Monachus, qui adhuc adolescens post purissimam vitam etsi brevem, sub sancto Abbate Hugone transactam, adhuc innocens & ab omni labe sæculi impollutus, migravit ad Christum; cùmque de ejus morte nimis contristaretur mater ejus Monasterio vicina, precibus sancti Abbatis Hugonis, inter alios Monachos in

Seguinus *lib. 3. illustrium Ordinis.*

Choro psallentes filii sui vocem audire meruit, quo modulamine levata & consolata est: ipse verò beatus adolescens sancto Patri Hugoni gloriosus apparens, beatudinis suæ signa & indicia eidem reliquit, ascriptusque manet in Menologio Beatorum Ordinis ad hanc Martii diem.

In Pertica Monasterio sancti Iacobi de Vitriaco Monialium Ordinis, dedicata est ejusdem loci Ecclesia.

SEXTO NONAS MARTII.

Secundo Martii.

Cæsarius *lib. 7. cap. 51.* Calendarium SS. Ordinis. Menrique *laureá Evangelicá lib. 3. dist. 7.*

IN Hispania seu Castella Rivi-sicci Monasterio depositio Beati Andreæ Monachi, qui ibidem suscepto regulari habitu virtutem simul & sanctimoniam induit. Factus verò in beatam Virginem pius cultor, quo fervore potuit eandem coluit; Nam cùm horas tantæ Virginis non solùm in Choro sed & extra Chorum recitabat, in singulis versiculis, imò & in quolibet verbo sensum quemdam mysticum & spiritualem in ipsius Virginis honorem ex eis sugere conabatur; cùmque decem & septem annis in magna vitæ puritate vixisset & perseverasset in Monasterio, incidit in morbum, & intra septimum diem proximum illicò & spiritu Prophetico repletus sese moriturum prædixit, quod quidem vti prædixerat evenit: morti verò proximus ac in ecstasim raptus, multa cœli arcana sibi manifestata astantibus revelavit, ac Deiparæ Virginis, quam tanto cum animi ardore vivens coluerat, visione recreatus, feliciter expiravit, ascriptus hac die Calendario Ordinis sub anonymo quidem nomine, sed sub certo nomine ab Hispanis Authoribus expressus.

Chronicon Villariense. Ex cartis loci B. Bernardi.

In Brabantia & Cœnobio Villariensi filiationis Claræ-vallis obiit piæ memoriæ venerabilis Pater Arnulphus de Gestele ejusdem loci Monachus & Abbas insignis, qui postquàm in juvenilibus annis plura futuræ suæ probitatis signa suis piis actibus dedisset, factus est primò Abbas loci sancti Bernardi non longè ab urbe Antuerpiensi in Belgio, quam

Ecclesiam

Ecclesiam cùm piè quibusdam annis rexisset, ad altiorem infulam & dignitatem est sublimatus, & in Villariensi Cœnobio suæ stabilitatis Paterfamilias constitutus, ubi tanta virtutum exempla suis dedit, ut tanquam sanctus ab ipsis habitus sit; consummatus verò in brevi, videlicet anno reparatæ salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, & hac secunda Martii die, corpus simul cum vita exuit, ut cælos conscenderet & Sanctorum gloriâ donaretur, qui vivens eorum vestigiis inhæserat. Extat autem ejus vita manuscripta in supradictis Monasteriis.

Savigniaci in Normania beatus Gaufridus hujus loci secundus Abbas, qui Bajocis ex nobilibus parentibus natus, dum adhuc esset infans & à nutrice in gremio portaretur, futuræ suæ sanctitatis indicium accepisse dicitur; Cùm enim quædam Ecclesia urbana incenderetur, reliquiæ quædam sanctæ Magdalenæ ibidem repositæ, magno miraculo ex Ecclesia in nutricis parvulum gestantis sinum prosilierunt, quas quidem reliquias infans factus grandior religiosè asservavit, & ex eis ægros sanavit. Suscepto verò habitu Benedictino cùm fama sanctitatis Sancti Vitalis Abbatis & Monachorum Savigniacensium ad aures ejus pervenisset, relicto sago Benedictino, Savigniacum venit, ubi alio grisco habitu indutus plura sanctitatis signa & exempla dedit; quâ pietate permoti Monachi post mortem Beati Vitalis Abbatis, eundem Gaufridum in locum defuncti substituerunt. In qua quidem dignitate multùm profuit suis salubribus eisdem datis legibus & religiosè observatis; cúmque jam senex factus esset, pluribus eis monitis pro Regulæ & Statutorum observatione datis, & susceptis Ecclesiæ Sacramentis, ad Deum piâ morte perrexit, hac die secundâ Martii, ut notat antiquum Barberii Menologium, non verò quinto Calend. Iulii, ut alia Calendaria mendosè notare videntur.

Ex cartis Savigniaci.

Tolosæ in Vasconia depositio venerabilis viri & Patris Francisci à Sancta Magdalena Fuliensis Congregationis Monachi, qui natione Gallus cùm jam ætate maturus ad sacros ordines & clericatum initiatus esset, monasticam vestem ejusdem Congregationis induit, tantaque virtute eni-

Carolus Prior Parisiensis *in historia sua Congregationis.*

tuit, ut per viginti quinque annos & ampliùs Prioris & Superioris Provincialis dignitate & munus functus fuerit, non sine spirituali omnium Fratrum suorum emolumēto & utilitate: ipse verò ita cum sermonis mansuetudine austeritatem vitæ, & mentis justitiam cum corporis modestia & gravi compositione junxit, ut ab omnibus tanquam justus & sanctus habitus sit. Verùm cùm adversâ valetudine sæpe sæpiùs laboraret, consuetam vivendi rationem minimè deservit, sed inedia potiùs quàm aliis remediis carioris pretii sanitatem recuperabat; Primus autem Choro astans, ultimus ab eo recedebat, imò divini officii diuturnitate non contentus, post nocturnas horas seu vigilias ad Primam usque, duarum horarum spatio orationi insistebat, etiam sæviente hyemis frigore. In risu sobrius & in cibo parcus, Philosophi Christiani præ se ferebat imaginem; comitate quoque & urbanitate tam in domesticos quàm in extraneos præditus; hospites omnes tanquàm Christum Dominum, uti sancti Patris Benedicti præscribit Regula, charitativè suscipiebat: solus in cella sacræ Scripturæ volumina semper aperto capite multa cum reverentia revolvebat. Mortuus autem Tolosæ hac secunda Martii die anno salutis millesimo sexcentesimo vigesimo quarto in Cœnobio Sanctimonialium ejusdem Instituti & civitatis ubi Confessarii vices obibat, sanctitatis opinionem apud omnes & sui desiderium apud suos reliquit.

Ioannes Magnus *lib* 2. *Ecclesia Vpsalensis.* Mitæus *in Chronico ad annum* 1162.

In Suecia B. Stephanus de Alvastra Monachus Ordinis Cisterciensis, qui post probatam vitam in Monasterio famâ virtutis suæ per vicina loca volante, factus est Archiepiscopus Vpsalensis, exigentibus meritis; In qua quidem dignitate multis virtutibus claruit, & gregem sibi commissum piè rexit ad annum salutis millesimum centesimum sexagesimum secundum, quo piis operibus locupletatus perrexit ad Christum. Relatum autem fuit ejus corpus ad Cœnobium suæ stabilitatis ubi quiescit, & ejus memoria in benedictione est, & inter Ordinis Sanctos ipse pius Archiepiscopus recolitur à Montalbo & ab Henriqueo ad hanc diem.

QVINTO NONAS MARTII.
Tertio Martii.

IN Petragorio Galliæ Aquitanicæ Provincia B. Bono re & nomine bonus, qui postquam studia sua in Lyceo Tolosano Theologica peregisset, factus Monachus in Cœnobio de Custodia-Dei, in finibus Petragorii, quod perperam Authores Casam-Dei nominant, pietate & humilitate enituit: promotus verò in Abbatem ob vitæ meritum, gregem sibi commissum laudabiliter rexit. Zelo autem succensus in Fidei & Ecclesiæ hostes Albigenses Hæreticos, cæteris undecim Abbatibus Ordinis Cisterciensis junctus, authoritate Innocentii II. verbum salutis in publicum propalavit, multisque Hæreticis & Novatoribus suis concionibus ad veritatis viam reductis, felicem vitæ cursum consummavit, annumeratus post mortem inter Ordinis Sanctos ab Henriqueo ad hanc diem, Seguino & aliis Ordinis Authoribus.

Seguinus *lib. 3. virorum illustriũ Ordinis.* Henriquez *hac die.*

In Lusitania B. Elizabeth Sanctimonialis Cœnobii S. Benedicti de Castris, quæ à pueritia pietatem colens multa sanctitatis exempla tam in sæculo quàm in Claustro dedit. Gravi autem afflicta morbo admirandam patientiam suis sororibus exhibuit; & felici morte extincta, Bernardum Brittum in Chronicis Ordinis suæ vitæ Scribam habuit, Elizabetha de Aquilar vulgò nominata & memorata ad 3. Martii in Menologio Henriquei.

Brittus *tom. 1. Chron. lib. 5. cap. 33.*

Lancastriæ in Anglia passio beati Abbatis Saulienfis seu Salleyensis Diœcesis Eboracensis & Ordinis Cisterciensis, qui ab Hæreticis pro Fidei Catholicæ nota comprehensus, & variis suppliciis deputatus, ac constans ubique factus, tandem post multa probra quibus affectus est, patibulo est suspensus, ac in quatuor partes divisus & dilaceratus: memoratus quidem in Theatro Martyrum hujus regionis, sicut & in alio libro sub hoc titulo, *de Monachis Cisterciensibus in Regno Angliæ propter Fidem occisis*; constatque ejus mortem hoc Martio mense evenisse.

Historia Angliæ.

QVARTO NONAS MARTII.

Quarto Martii.

Cantipratanus *lib. 2. Apum c. 7.* Arnoldus de Raisse *ad 9. diem Octobris.* Miræus & alii.

IN Belgio & Aquiriæ Monialium Cœnobio beatus Hermanus hujus loci Conversus domesticus & rerum temporalium, ut moris olim erat, curæ destinatus, qui corpore infirmus, animo fortis extitit, dum cæterorum domesticorum probra mira cum animi patientia tolerabat, tanquam si domui ob crebros morbos inutilis esset: sicque meritis & virtutibus gloriosus & sui ipsius victor, feliciter expiravit: annotatus apud Arnoldum de Raisse ad nonam Octobris, etsi ab aliis, ut ab Henriqueo præsenti diei Martii inscribatur.

Arspheldius *historia Anglicana sæculo 13. cap. 11.*

In Anglia B. Thomas Monachus, qui primò Benedictinus apud Cantuariam, ac posteà insignis Ecclesiæ hujus loci Prior electus, tandem ad Cisterciensem Ordinem transiit, pro strictiori observantia Regulæ S. Benedicti, ubi multùm ad militiam spiritalem exercitatus tanquám miles strenuus ad singulare certamen cum Diabolo in eremum descendit de Superiorum licentia, multisque locupletatus meritis in senectute bona obiit; & meruit laudari post mortem ab Authoribus Anglis, ac specialem habere commendationem in Menologio ad hanc diem Martii quartam.

TERTIO NONAS MARTII.

Quinto Martii.

Liber qui doctrina S. Bernardi dicitur. Calendarium Gallicum.

IN Claravalle B. Gerardus quondam sancti Patris Bernardi discipulus, qui suscepto ibidem habitu Monastico bonum certamen adversùs carnem, sæculum & Dæmonem assiduâ disciplinæ regularis observantiâ certavit; & cùm sanctis operibus quasi salutis suæ securus extitisset, gravi morbo correptus per triduum in ecstasi positus mansit, ac

tandem ad se posteà reversus & morti proximus, plura salutaria monita præsentibus dedisse fertur, laudataque quàm plurimùm virtute obedientiæ, quam semper tanquam præcipuam Cæli januam quæsierat & coluerat, vir pius exultans & jubilans, collætantibus Angelis & psallentibus Monachis, animam transmisit ad Cælos: memoratus hac die in Catalogo & Calendario Beatorum Ordinis.

In Hispania translatio corporis B. Raymundi de Fitero, Abbatis Ordinis Cisterciensis & sacræ militiæ de Calatrava Institutoris, facta ex oppido de Ciruelos, ubi diù jacuerat sanctissimum illud cadaver, in Cœnobium Montis-Sion noviter exstructum & totius Hispanicæ reformationis caput, Summi Pontificis Pauli II. authoritate, literis hac de re datis anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo trigesimo octavo, & executioni mandatis per Matritensem Archidiaconum Ludovicum Nunium sacræ Theologiæ Doctorem & Toletanæ Ecclesiæ Canonicum, qui has sacras reliquias in sacello Beatæ Mariæ suis sumptibus constructo honorificè posuit, ubi posteà sacellulum aliud in honorem sancti Abbatis est erectum.

Litera Pauli II. Pontif. Max. anno 1468. data.

In Claravalle obiit piæ memoriæ vir illustris Radulphus de Pinis, primò quidem Signiaci Abbas, posteà verò pro vitæ merito ad Claramvallem translatus, ubi per octo annos piè vixit, & tandem Episcopus Agenensis, ac posteà Lugdunensis Archiepiscopus electus est; in quibus quidem dignitatibus laudabiliter se gessit, & meritis plenus è vita discessit die ipsa 5. Martii, quâ annotatus est inter alios in Menologio.

Liber sepulchrorum Claravallis.

PRIDIE NONAS MARTII.

Sexto Martii.

IN Germania venerabilis Mater Anna Poundunii Abbatissa, quæ magnis virtutibus illustris, per vitæ decursum manum suam misit ad fortia, sui ipsius victrix ubique existens, corporis ergastulo soluta, perrexit ad Christum spon-

Tabula Ecclesiæ Poundensis. Bruschius in Chronologia Monasteriorum Germaniæ.

ſum, quem totâ mente coluerat & dilexerat, perpetuò poſteris commendanda, & memorata apud Henriquezum ad hanc diem.

NONIS MARTII.

Septimo Martii.

Vita S. Thomæ Aquinatis.

IN Italia Foſſæ-novæ Cœnobio depoſitio Sancti Thomæ Aquinatis omnium Theologorum coriphæi, & propter eximiam ejus ſcientiam Doctoris Angelici nominati, ac totius Religionis & Eccleſiæ jubaris ſplendidiſſimi, qui ad Concilium Lugdunenſe properans ſummi Pontificis juſſu, ibidem in Foſſæ-novæ Cœnobio incidit in morbum, cùmq; in dies morbus ejus protelaretur, rogatus à Monachis ejuſdem loci ut iiſdem ſacrum Epithalamium ſponſæ & ſponſi à ſancto Patre Bernardo olim inchoatum exponeret & perficeret, humillimè primò renuit quaſi Bernardi ſpiritus & ſenſus deeſſet, tandem tamen inſtantibus ipſis, petitioni acquieſcens, multa præclara dictavit. At verò morte præventus poſt plura ſalutis & obſervantiæ regularis monita Fratribus data, & gratiarum actionibus relatis iiſdem pro hoſpitalitate, diem extremum piè clauſit, ſepultus ibidem magno cum honore & omnium mœrore ac luctu, ab Abbate & Fratribus; cujus quidem Sancti ſacrum corpus diù ibi delituit, uſque dum ſummi Pontificis authoritate hinc extractum, Fratribus Prædicatoribus tanquam veris ſancti Doctoris hæredibus eſt reſtitutum.

Chronicon Villarii *in vita S. Caroli Abbatis.* Cæſarius *in Dialogis lib. 9. cap. 2. & 67. & alii.*

In Germania Cœnobio Vallis Sancti Petri beatus Godeſcalcus de Volmeinſteine, qui in vernanti ætate ibidem Monachus factus, ne terrenis aſpectibus ſeu affectibus inficeretur, ſe vulgari hominum conſortio ſubduxit, ut ſic cæleſtibus prorſus attentus, vitæ ſanctioris ſuſciperet inſtitutum: ſucceſſu verò temporis ſacris ordinibus initiatus, meritis vitæ exigentibus, clarioribus adhuc actibus refulſit: cùmque aliquando in Chriſti Domini natalitiis ſacrum cum digna mentis puritate, ut ſolebat, inchoaſſet, & ad Chriſti

Domini benedictionem seu consecrationem Corporis pervenisset, sui ipsius omninò immemor & extra se factus, non ampliùs panis speciem, sed infantem illum quem Regius Vates præ filiis hominum speciosum celebrat, sibi præsentem advertit; quâ quidem visione recreatus, hanc vitam adhuc magis cœpit fastidire, miraculisque clarus, (si fas sit Cæsario ejusdem Cœnobii Monacho credere,) corporale in partes fractum suis precibus rejunxit & reparavit. Meritis autem ditatus ovans evolavit ad Cælos; ejusque acta, revelationes & præclara opera retulit supradictus Author Cæsarius *in suis Dialogis libro 9. cap. 2.*

In Delphinatu & Bonævallis Monasterio B. Petrus de sancto Mauritio hujus loci Monachus, qui à sancto Patre Abbate Ioanne piè educatus intra Claustrum, postquàm in sæculo ex ductâ legitimâ uxore plures filios procreasset ac sanctè instruxisset ad pietatem Christianam, intra quos fuit S. Petrus Archiepiscopus Tarantasiensis, cum quo sæculo renunciavit & Bonamvallem se contulit, ubi sibi ipsi bellum inferens, regnum Cælorum piâ morte rapuit, victorque evasit è corpore in seipsum, sæculum & Sathanam, communes humani generis hostes, & suæ sanctitatis memoriam posteritati reliquit, ascriptus Menologio Sanctorum Ordinis ad hanc diem.

Laurentius Surius ibidem.
Gaufridus Altæcumbæ *in vita S. Petri Tarantasiensis.*
Surius *ibidem.*

OCTAVO IDVS MARTII.

Octavo Martii.

Villarii in Brabantia B. Henricus de Marilis hujus loci Prior, qui genere nobilis, virtute & sanctimoniâ inferior non extitit; quinquaginta enim annis in Claustro ritè transactis, & decem in Prioris officio, apud omnes vitæ innocentiâ & insolitâ animi mansuetudine celebris fuit, sanctitateque ejus divinitùs demonstratâ, ipse mortuus est in senectute bona; meruitque annotari inter Sanctos Villariensis eremi.

Liber de gestis virorum illust. Villarii cap. 6.
Auctuarium ad natales SS. Ordinis.

In Hibernia memoria pii Patris Nicolai Fagan, qui na-

Fasciculus SS.

Ordinis *lib. 2. dist. 34. cap. 3.*

tione Hibernus, ut vitaret hæresim, relicto proprio solo venit in Hispaniam, ubi suscepto habitu Cisterciensi in Congregatione Ordinis reformata, & expleto religionis tirocinio solemnia vota emisit. Fortis autem factus, tanquam vir Apostolicus, consensu Superiorum rediit in Hiberniam, ubi suis concionibus, monitis & disputationibus Hæreticos quamplures ad orthodoxam fidem & Ecclesiæ Matris gremium reduxit, Vaterfordiæque pro merito Antistes designatus sui presulatûs exercitia, Hereticorum nequitia impeditus, vix obire potuit: mortuus tamen in senectute bona anno Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo ascriptus manet cum laude in Menologio Henriquei ad hanc diem.

Henriquez *in sua corona.*

In Hispania & antiquo Holgensi Cœnobio juxta Burgos commemoratio piæ Principissæ Berengariæ Ferdinandi III. Legionis Regis filiæ, quæ à juvenilibus annis ibidem Sanctimonialis Ordinis habitum suscepit & multa pietate claruit per vitam, & tandem multis virtutibus & sanctis operibus cumulata, meruit ut post mortem inter alias Ordinis Sanctimoniales insignes ab Hispanis Authoribus reposita sit; ejusque acta relata sunt ab Henriqueo *in sua Cistercii corona.* Florebat autem ipsa ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum, quo dicitur habitum Monasticum induisse.

SEPTIMO IDVS MARTII.

Nono Martii.

Monumenta Cistercii & alii historici Burgundiæ.

CIstercii in Burgundia obdormitio pii Patris Henrici hujus loci Monachi, qui ex Odone Patre Duce Burgundiorum & Cistercii Fundatore procreatus, sub primis Ordinis annis corde compunctus, spreta sæculi pompa, deliciis & opibus, ibidem factus est sub sanctis Abbatibus Alberico & Stephano humilis Monachus, & tandem post sanctissimam vitam & præclara merita hac die Martii anno Domini millesimo centesimo trigesimo, mortuus ac ibi sepultus.

Eodem

Eodem die Commemoratio plurimorum Monachorum Ordinis per Germaniam trucidatorum sive ob Fidei defensionem sive ob Ecclesiæ unitatis tuitionem : inscriptique fuerunt Calendario Ordinis hac die sub numero septuaginta Monachorum quoad nomina ignotorum.

Calendarium SS. Ordinis, & Calendarium gallicum hac die

In territorio Furnensi prima inventio corporis B. Isdebaldi Dunensis Abbatis, quod diù posteà ab omni corruptione integrum repertum est adhuc ad annum 1239. aut circiter.

Historiæ Dunensis.

In Belgio B. Maria, quæ ex nobilibus parentibus nata & soror Caroli Abbatis Villariensis à Deo pluribus gratiis præventa est, & cara Beatæ Virgini facta ob specialem cultum quem eidem Virgini exhibebat, virginitatem suam Deo vovit, relictaque clam paternâ domo, sicut & opibus, habitum Religionis suscepit apud Dannemarch Cœnobium Germaniæ, ubi adhuc plurimis donorum & gratiarum charismatibus irrorata, pios fructus suorum operum in morte retulit, annotata ad hanc diem Martii nonam.

Chronicon Villariense. Cæsarius. Vita B. Caroli.

SEXTO IDVS MARTII.

Decimo Martii.

IN Anglia depositio B. Ioannis Pasley Wallensis Abbatis Ordinis Cisterciensis, qui ab Hæreticis Fidei Orthodoxæ infensis hostibus comprehensus, & in odium ejusdem fidei duro carcere mancipatus, ibidem plura vitæ incommoda sustinuit patienter, nec tamen animo fractus, cùm nec precibus nec minis eorundem nequitiæ acquiescere vellet, & perversam doctrinam amplecti renueret, multis affectus est tormentis, quibus perpessis quasi fortior factus animum non mutavit sed auxit. Quâ de re ab iisdem morte damnatus & in patibulo suspensus est Lancastriæ, ac posteà in quatuor partes crudeliter dissectus; post quod tormentum immortalem coronam sibi promeritam è certamine feliciter reportavit, mortuus hac die Martii anno à reparata salute millesimo quingentesimo trigesimo sexto, & as-

Theatrum Catholicæ protestantium Religionis.

N

criptus ac memoratus in libro cui titulus est *Theatrum Catholicæ ac protestantis Religionis* authore I. C. Professore sacræ Theologiæ anno 1620. ut in Menologio ad præsentem diem annotavit Henriqueus.

Hagiologium Sanctorum Brabantiæ. Ioannes Gilemannus & alii.

In Belgio Cœnobio de Nazareth Beata Christiana re & nomine Christiana, quæ effecta ibidem Sanctimonialis floruit multis virtutibus simul cum piis parentibus Patre & fratribus ibidem Conversis & domesticis; cùmque magnæ sanctitatis culmen attigisset suis sanctis operibus, & secura de salute facta esset per oraculum & revelationem, in osculo Domini Moysis instar feliciter expiravit, memorata apud Henriqueum ad hanc diem.

Henriquez *hac die.*

In Hibernia B. Gelasius Abbas Ordinis Cisterciensis, qui hoc ipso ultimo sæculo millesimo quingentesimo septuagesimo anno multis virtutibus claruisse dicitur, imò & miraculis refulsisse per vitam, mortuus in senectute bona hac decima die Martii, & ascriptus Menologio Henriquei.

QVINTO IDVS MARTII.

Vndecimo Martii.

Monumenta hujus Cœnobii. Manrique *in sanctorali.*

IN Hispania Cœnobio Sancti-Petri prope Gumialem Ordinis Cisterciensis, memoria Beati Mamerti Monachi & hujus loci Abbatis insignis, qui secundùm carnem Sancto Dominico Fratrum Prædicatorum Antesignano & Institutori propinquus, habitum Ordinis in hoc Cœnobio susceperat, floruitque ibidem in magna sanctitate; nam austeritati vitæ deditus, longum duxisse martyrium per corporis & carnis castigationem dicitur. Quo martyrio expleto post sanctum regimen piâ morte extinctus est Mamertus, cujus sacras reliquias ibidem Fideles venerati sunt ob signa, ut testantur hujus loci monumenta, & hac die Calendarium Ordinis.

Seguinus *lib. 3. SS. Ord. & c. 132.*

In Gallia & Claravalle B. Iulianus, qui primò Ordinis Sancti Augustini Regulam professus, post aliquos annos ad strictiorem observantiam aspirans, Cisterciensibus se dedit,

totaque sua, repetitâ in Claravalle professione, firmiora reddidit, ubi sanctitate clarus tandem beato fine quievit, ascriptus Calendario Beatorum ad hanc diem Martii.

QVARTO IDVS MARTII.

Duodecimo Martii.

Cistercii in Burgundia B. Bernardus hujus loci Monachus, qui multis præclaris operibus clarus, sacram illam eremum suâ sanctimoniâ illustravit, multisque ibi peractis diebus & annis regularis observantiæ jam vitæ austeritate fractus, purissimam animam exhalavit, jure in Ordinis Calendario hac die inter Beatos relatus. Calendarium SS. Ordinis *hac die.*

In Hibernia Cœnobio Rosseæ-vallis memoria sancti Ermini seu Euchini filii Regis Hiberniæ, vitæ sanctitate celebris, qui successu temporis per suas sacras reliquias ibidem diù asservatas Cœnobio nomen dedit. Ex cartis hujus loci.

In Brabantia B. Gregorius Villarii Prior, qui à juventute totus solitudini deditus, in Claustrum illud Villariense sese contulit, ubi suscepto habitu reclusus, vix inde recessit; rarò enim egrediens è domo, rariùs cum sæcularibus loquebatur, rarissiméque transitoriarum rerum curâ occupabatur: unde omninò purus & à sæculo alienus, cùm Prioris officio ritè functus fuisset ibidem multis annis, letali morbo correptus est. In quo quidem, susceptis Ecclesiæ Sacramentis, cùm jam proximus morti esset, erectis in Cælum oculis, de salute sua speciali revelatione securus, perrexit ad Christum; memoratus in Menologio Henriquei ad hanc diem sicut & in Calendariis Sanctorum apud Molanum & alios. Catalogus Sanctorum Belgii. *Liber de gestis Virorum Villariu.*



TERTIO IDUS MARTII.

Decimo tertio Martii.

Theatrum Catholicæ ac Protestanticæ Religionis.

LAncastriæ in Anglia moritur pro Fidei Catholicæ & orthodoxæ defensione B. Guillelmus Haddocius Monasterii Wallensis insignis Asceta, qui sub primis hæresis Calvinianæ seu Puritanæ temporibus à Novatoribus Religionis & Hæreticis comprehensus & vinculis irretitus, cùm nec minis nec blanditiis imò nec verberibus cedere & eorum perversæ doctrinæ acquiescere vellet, constans in prima avorum suorum Religione quam ab incunabulis suxerat, novo afficitur supplicio crucis, cui affixus est, & in quatuor partes posteà immaniter dissectus; sicque Martyr Christi occubuit, memoratus ipse & ejus martyrium in Theatro Religionis tam Catholicæ quàm Protestantis ad hanc diem tertiam decimam Martii.

Vasconzelius *in Sanctio primo Lusitanorum Rege.* Annales Minorum *1. parte lib. 3. cap. 5.* Chronicon Regis Sanctii primi.

In Lusitania depositio B. Sanctiæ Reginæ, quæ marito & sponso Rege orbata Cellense Cœnobium Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis construxit, & ibidem suscepto habitu & velo vitæ probitate ac sanctimoniâ refulsit, ac post mortem miraculis claruit, ut quidam testantur authores: memorata hac die Calendario Sanctorum Ordinis apud Antonium Vasconzelium Lusitanum, in descriptione Regni Lusitani sub hoc titulo, *Aliquot Lusitanæ feminæ sanctitate nobiles.*

Hugo Floressiensis *in vita S. Iveta Reclusa.*

In Belgio Beatus Eustachius de Huyo oriundus, qui post pravos mores & vitæ dissolutionem in sæculo & precibus ac orationibus Ivetæ matris suæ ad Deum conversus, in Claustrum sese recepit, & sanctæ Religioni nomen habitûs susceptione & solenni professione dedit apud Cœnobium Triumfontium in Gallia, ubi propter vitæ suæ sanctimoniam habitus est à confratribus tanquam Sanctus, & mortuus in senectute bona meritò in communi Sanctorum serie Ordinis est ascriptus ad hanc xiii. diem Martii, & me-

moratus in vita ſupradictæ Ivetæ matris ejus piiſſimæ matronæ.

PRIDIE IDVS MARTII.
Decimo quarto Martii.

IN Gallia Narbonenſi & Cœnobio Fontisfrigidi natalis Beati Petri de Caſtronovo, qui ibidem ab adoleſcentia ſuſcepto habitu Ciſtercienſi ſimul cum Religionis ſpiritu, varia ſuæ futuræ ſanctitatis ſpecimina præbuit; zelo verò Domini & Religionis defendendæ ſuccenſus, cùm emiſſis jam à quibuſdam annis ſolennibus votis audiret Albigenſes Hæreticos in orthodoxam Eccleſiam & Fideles ſævire errores per Vaſconiam propalando, obtentâ à Superioribus veniâ in publicum prodiit, ipſoſque aggreſſus & diſputationibus & colloquiis & concionibus eoſdem devicit ac proſtravit magna ex parte. Apoſtolicâ autem authoritate fretus, inquiſitionis erecto tribunali, in Hæreticos primus omnium Inquiſitoris munus exercuit per Eccleſiam & Galliam; in quo quidem officio tam extitit juſtitiæ tenax, ut nulli niſi de erroribus & erratibus pœnitenti & contrito ignoſceret; peragrata verò tota Narbonenſi Provincia & Vaſconia, ac ut jam diximus pluribus Hæreticis ac Novatoribus ad meliorem frugem redactis, & veritatis lumine reſtitutis, lancea tandem pro juſtitia & Fide ab impiis eſt perfoſſus; in quo quidem tormento ad occiſorem converſus, in hæc verba placido & læto vultu prorupiſſe dicitur; *Indulgeat tibi Deus, Frater, nam & tibi indulgeo.* Mortuus autem in ſuo ſanguine, Chriſti Martyr effectus eſt, ſepultus poſt mortem in S. Ægidii Eccleſia, ex qua poſteà corpus ejus tranſlatum eſt in majorem Eccleſiam ejuſdem oppidi, inventum ſine corruptione & putredine, emanante ex veſtibus ſacris quibus refectum erat ſuaviſſimo odore. Plura autem de Petri ſanctitate ſcripſit Innocentius III. Papa, *in ſua circulari & querimoniali epiſtola*, & Petrus de Valli-

In hiſtoria Albigenſium Petri de Vallibus Cernaii. Ludovicus Pajanus *lib. 1. de origine Inquiſitionis.* Innocentius *in ſua Bulla* vt plures alii.

bus *in sua Historia Albigensi*, & multi alii Authores imo & Calendarium hac die.

Historia Fulliensis seu Catalogus virorum illustrium.

Parisiis depositio venerandi Patris Caroli à sancto Bernardo Monachi Congregationis Fulliensis & Angelicæ puritatis viri, qui inchoato Cœnobio de Fontanis ejusdem Congregationis, de consensu Reverendi Abbatis Cistercii, in ædibus & fundo Tesselini Patris S. Bernardi Abbatis juxta Divionem, ibidem extitit patientissimus in corporis morbis, quibus ob delicatum corpus erat obnoxius: refulgens verò adhuc admiranda puritate tam corporis quàm animæ, magnam vitæ innocentiam est assequutus; vix enim per omnes vitæ annos lethale scelus contraxit, ut ex ultima vitæ suæ exomologesi facta suspicari licet; mortuus hac die, ut in suo catalogo Monachorum Fulliensium pietate illustrium Carolus à sancta Maria annotavit.

Philippus Serarius *in sua nova Topographia Martyrologii Romani.*

In Italia & Cœnobio sancti Bernardi Sineronensis Beatus Petrus hujus loci Abbas vir magnæ sanctitatis, qui suscepto Ordinis jugo simul cum habitu, ad dignitatem Abbatialem pro merito virtutis est sublimatus, ac tandem post felix & pium regimen mortuus est, à multis Authoribus maximè laudatus post mortem, & inter Ordinis Illustres annumeratus ab Henriqueo in suo Menologio.

IDIBVS MARTII.

Decimo quinto Martii.

IOaciin Briena & Diœcesi Senonensi commemoratio imaginis Beatæ Mariæ de Pietate ibidem à Fidelibus peregrinis illuc advenientibus pro sanitatis suæ recuperatione veneratæ, cujus quidem festivitas ab Ecclesia recoli solet feriâ sextâ ante Dominicam Passionis.

Seguinus *lib. 3. SS. Ord. c. 104.*

In Delphinatu & Bonavalle Viennensi beatus Ioannes Monachus, & Beati Hugonis hujus loci Abbatis discipulus, qui in literis apprimè excultus præclaras animi dotes variis virtutum habitibus excolere studuit; assiduâque carnis castigatione corpus domans, animum fortiorem efficit &

Prophetiæ dono clarus, diem ſui exitus & alterius Monachi, ſcilicet Mauritii prævidit; aſcriptus in Menologio ad hanc diem.

DECIMO SEPTIMO CALEND. APRILIS.

Decimo ſexto Martii.

IN Gallia Lugdunenſi natalis Beati Hugonis Abbatis Bonævallis Viennenſis, qui natus in Caſtro-novo Valentinæ Diœceſis ad Rhodani ripas, ex nobilibus parentibus Raymundo patre & Raymunda matre, in ipſa juventute virtutis ſuæ futuræ præclara ſpecimina dedit; traditus enim avunculo ſuo Goduivo de Salis Lugdunenſis Eccleſiæ Canonico & ſancti Iuſti Abbati, ibidem Lugduni ſtudiis operam dedit. Cùm autem aliquando eidem ſcholari occurriſſet quidam Frater Converſus Monaſterii vicini beatæ Mariæ de Miratorio, ac coram eo de rebus cœleſtibus & de ſalute magno cum animi fervore multa retuliſſet, compunctus Hugo eundem Converſum ad Monaſterium ſecutus eſt, & clam ab illo, parentibus & avunculo inſciis, adductus Lugduno in dictum Cœnobium, ibidem habitum Monaſticum induit; ubi in brevi tantæ ſanctitatis famâ ubique claruit, & ad ſancti Patris Bernardi aures perventa eundem Patrem moverit elegantem epiſtolam ad juvenem Hugonem tranſmittere. Qua quidem accepta epiſtola pius tyro fortior adhuc & ferventior factus, in obſervantia regulari ſolennia emiſit vota Religionis: & paulò poſt magis adhuc famâ virtutis novi Profeſſi clareſcente, ex Miratorio de conſenſu proprii Abbatis ab Abbate Leoncellii Brunone de Voiroue ejus propinquo, Leoncellium adductus eſt, ubi tranſactis quibuſdam annis in regulari obſervantia ibidem poſt Brunonis Abbatis mortem meritis exigentibus Abbas electus eſt communi Monachorum ſuffragio. Cui electioni reſiſtens vix à Superioribus perſuaderi potuit, ut aſſentiret: conſtitutus tamen & inſtallatus, cùm Epiſcopi Valentinenſis & Dienſis pro juriſdictione Diœceſcon liti-

Vita manuſcripta in Bona-valle.
Arnoldus Vvion *in Martyrologio Monaſt. 1. April.* Mirçus *in Chronico*, & alii.

litigarent, & uterque prætenderet Leoncellium esse suæ Diœcesis, & hac de re Hugo ab iis benedici non posset in Abbatem ob litem, de Superiorum consilio contulit se Montempessulium, ubi tunc residebat Alexander Papa III. ex Italia pulsus, à quo benignè susceptus & solenni ritu inauguratus est, præsente omni Romana Curia; reversus verò in Monasterium, sicut cœperat meritis & virtutibus refulgere, sic & posteà miraculis claruit ubique admirandus pro signis & prodigiis, multis ægris sanitate restituta, sola manuum impositione; translato verò Goduivo Abbate Bonævallis Viennensis in Cistercium, translatus est è Leoncellio in Bonamvallem Hugo, ubi satis invitus electus est Abbas; qui novis adhuc fulgens prodigiis Petrum quemdam Romanum ruptura gravi laborantem in inguine sputo suo curavit, sicut & alium puerum à chiragra & podagra; Giraudum quoque Monachum à fistulæ morbo, Willelmum sancti Georgii Massiliæ degentem à livore per corpus & vultum diffuso, sicut & alios innumeros ægros variis morbis affectos, quæ quidem miracula ob multitudinem facilè hîc recenseri non possent. Prophetiæ quoque dono insignitus Hugo multa prædixit futura, & plura hominibus ignota perspicaci lumine detegit; inter quæ illud non minimum fuit quòd cùm aliquando mensæ accumberet, illicò interno instinctu illustratus à mensa surrexerit ut cuidam Fratri agonisanti longè absenti adesset, non sine omnium admiratione: tantis autem signis summo Pontifici jam notus cum S. Petro Tarantasiensi Archiepiscopo sibi familiari ad Henricum Angliæ Regem pro acceptanda satisfactione eidem Regi præfixa in ultionem & pœnam violentæ mortis sancti Thomæ Martyris & Archiepiscopi Cantuariensis, ab eodem Papa transmissus, multa egit ibidem laude digna; reversus verò in Gallias cùm suis ditionis seu filiationis Cœnobia de more perlustraret, in Monte-petroso Arverniæ Monasterio Petrum Calvetium Abbatem non ita disciplinæ regularis tenacem deposuit ab officio. De qua destitutione cùm quidam Monachus Stephanus dictus obmurmuraret in Sanctum, factus est illicò insanus, pœnitens tamen posteà, sanitati restitutus est ab Hugone; qui variis coru-

corufcationibus è Cælo illuftratus, ad annum millefimum centefimum octuagefimum fextum cùm aliquando oraret, Sanctorum gloriam & beatitudinem extra fe raptus meruit contemplari. Quâ quidem vifione tanta lætitia animi perfufus eft & oblectatus, ut vix in carne animam potuerit diutiùs retinere; fufpirans enim & afpirans perpetuò ad Sanctorum illorum felicitatem & Dei vifionem, gravi morbo correptus eft; quo poftea invalefcente, Ecclefiæ Sacramenta Euchariftiæ & Extremæ-unctionis piè fufcepit, ac paulò poft plura data fuis Monachis falutis monita, fancto fine quievit, hac die anno reparatæ falutis millefimo centefimo nonagefimo tertio: corpus autem Sancti delatum è communi Fratrum Infirmitorio in Ecclefiam, multis adhuc miraculis refulfit, ubi vix poft triduum ob populi concurfum potuit fepeliri; pofitum tandem juxta majus Altare ad Septentrionalem plagam, in quo loco multùm veneratum eft à Fidelibus: interim verò præoftenfa Hugonis defuncti gloria Petro Ciftercienfi Abbati in Infirmitorio Ciftercii agonifanti vifione quarundam fanctarum Virginum & ipfius Hugonis ad eos fequendum eundem invitantis: Petrus ipfe felici morte eodem tempore fequi meruit & eadem gloria donari.

Villarii in Brabantia B. Gumarus Monachus, qui poft exploratæ vitæ fanctimoniam in Villario ductam, in cameram Beatæ Virginis Monialium miffus, ibidem diù earundem confeffiones ex officio excepit, eafque fanctiffimis Inftitutis & monitis informavit. Quibus omnibus ritè expletis, ad Cælum Sanctorum & Dei gloriam feliciter evolavit, afcriptus hac die Ordinis Calendariis.

Calendaria Ordinis.
Godefridus Villarienfis *ad Idam Monialem.*

In Claravalle venerabilis Frater Conftantius hujus loci Converfus, qui poftquàm quadam animi levitate pluries Religionis jugum excuffiffet, tandem à B. Patre Bernardo Abbate ad pœnitentiam fufceptus eft, ac in tanta aufteritate vixit, & inter graves morbos quibus afflictus eft tantam animi patientiam exhibuit, ut fecurus de fua falute & peccatorum fuorum remiffione, lætus ad Cælos perrexerit; meruitque poft obitum fuarum virtutum habere præconem eundem Bernardum, uti liber virorum il-

Seguinus *in Catalogo Sanctorum Ordinis.*
Ex lib. loci S. Bernardi *lib. 4. c. 16.*
Lib. de initio Ordinis *dift. 4.*

Iuſtrium Ordinis teſtatur, & aſcriptus manet Conſtantius inter Beatos Ordinis ad hanc ſextam decimam Martii diem.

DECIMO SEXTO CALEND. APRLIS.

Decimo ſeptimo Martii.

Tabula Sanctorum tutelarium Poloniæ. Arnoldus Vvion *in annotationibus ad Martyrologium Monaſticum.*

IN Polonia Cœnobio Trebiniaci Sanctimonialium Ordinis beata Gertrudis Virgo & ſanctæ Heduvigis hujus Regii Cœnobii Fundatricis filia, quæ à juventute contemptis ſæculi delitiis, & Chriſtum ſponſum ſequuta, ſanctis moribus propriam animam exornavit; cùmque illa ſuſcepto velo cum cuculla Ciſterciensi inter cæteras ſodales vitæ probitate refulgeret, ab omnibus in Abbatiſſam electa verbo & opere præfuit, facta omnibus omnia ut omnes Chriſto acquireret, abjectiſque operibus dedita, humilitatem inter virtutes alias præcipuam eſt conſequuta; In cujus meriti compenſationem poſt mortem Angelis in Cælo ſociata, propriæ ſanctitatis opinionem poſteris in terra reliquit, aſcripta hac die Martii Sanctorum Ordinis ſeriei & Catalogo. Multos autem habuit ſuæ virtutis poſt obitum præcones inſignes, & tabula Sanctorum tutelarium Regni Poloniæ eandem refert.

Seguinus *lib.* 3. *SS. Ordinis Cap.* 109. Arnoldus Vvion *qui eum Ducis Bavariæ filium nominat.*

In Claravalle Conradus hujus loci Monachus Ducis Bavariæ filius, qui à juventute ſceptro & coronâ contemptis, pro Chriſto pauper extitit, è vita ſublatus poſt plura pia opera & vitæ merita. Quem quidem plures multis laudibus extulerunt; & ſi ſint qui ipſum aſſerunt non alium fuiſſe à Conrado Villarienſi, Henriqueus eundem diſtinguit in Menologio ad xvii. Martii.



DECIMO QVINTO CALEND. APRILIS.
Decimo octavo Martii.

IN Hibernia Beatus Christianus Monachus, qui in his regionibus natus & sub sancti præsulis Malachiæ disciplinâ bonis operibus informatus, factus est ejusdem Sancti Episcopi socius cùm ipse Malachias relictâ Hiberniâ Romam venit, transiensque per Claramvallem ut sanctum Patrem Bernardum inviseret, ibidem Christianum & quosdam alios tradidit educandos & ritibus Ordinis imbuendos. Quantum autem in virtute & Monastica disciplina Christianus profecerit, posteà probavit eventus & tota cognovit Hibernia; nam è Claravalle post aliquot annos probationis idem Christianus in Hiberniam reversus jussu Sancti Patris Bernardi ad instantiam Malachiæ mira egit, & quod apud exteros acceperat docuit ac propagavit, videlicet Cisterciense Institutum: electus verò in Abbatem Melli-fontis intra Diœcesim Armachanam tanta sanctimonia claruit, ut omnis Hibernia eundem voluisset habere in Episcopum. Quam quidem dignitatem tandem invitus suscipiens, bonis adhuc moribus & sedula gregis sui cura illustravit; mortuus in senectute bona post plura edita suæ sanctitatis illustria opera, ascriptusque manet hac die inter Sanctorum Ordinis viros illustres in Calendario Ordinis de Superiorum consensu Divione excuso, recensetque ejusdem Christiani memoriam eo die Germaniæ Calendarium, sicut & Menologium Ordinis.

Arnoldus *in Martyrologio hac die.* Vita S. Malachiæ. Miræus *lib. 5. originum monast. cap. 15.*

In Hispania Cœnobio sancti Spiritus de Olmedo, venerabilis Mater Catharina Paez hujus loci Abbatissa, quæ post plura egregia sanctitatis opera & post plures discipulas piis Institutis efformatas ex hoc mortalitatis stallo egressa, per purgatorias pœnas leviter transiit, & Monialem ibi detentam suis meritis liberavit, & ex his pœnis eripuit, sicut cuidam viro Francisco de Iepes dicitur revelatum, ascriptaque manet ipsa in Menologio Henriquei ad xviii Martii.

Ioseph de Velasco *in vita Francisci de Iepes lib. 2. Cap. 12.*

DECIMO QVARTO CALEND. APRILIS.
Decimo nono Martii.

Cartæ & sepulchra Clarçvall.

IN Claravalle Translatio corporis seu ossium Beatæ Alethæ matris sancti Patris Bernardi Abbatis hujus loci, quæ primò sepulta fuerant Divione in Æde Benigniana, & post multos annos hinc delata sunt in Claramvallem solenni ritu ad instantiam Abbatis Clarævallis, & posita juxta mariti sui Tesselini & filiorum suorum Bernardi, Gerardi, & cæterorum cadavera, ubi adhuc quiescunt & religiosè asservantur, illiusque translationis fit hac die memoria & mentio in præcipuarum solennitatum Ordinis serie.

Calendarium Leodiense. Arnoldus de Raisse *in auctuario SS. Belgii.*

Villarii in Brabantia beatus Abundus hujus loci Monachus, virtutum & gratiarum abundantia celebris, qui ab ipsa juventute sacræ militiæ in hac Villariensi eremo nomine dato, eundem locum meritorum plurium titulo decoravit; cujus quidem sanctitatis priùs in sæculo multa jam dederat indicia: vix enim duodecim annis natus, festivis diebus consortio sodalium Leodiensium segregatus, in Ecclesiæ limina adire, altaria circuire, & coram ejus Crucifixo pluries genua flectere solebat; imò aliis diebus à scholis reversus, solus Ecclesiam adiens ibidem orationi insistebat, nec inde redibat nisi à Ianitore ejusdem sacræ Ædis compulsus. Porrò adhuc puer existens, humi solebat nuda carne super lapideo pavimento decumbere, & grandior factus ac jam Monasticis disciplinis mancipatus ita deditus est orationi, ut sæpè extra se raptus inter divina officia cum Angelis conversari videretur: speciali quoque cultu beatam Virginem prosequens, ab eadem variis gratiis est illustratus, & vix creditur quempiam alium majora ab ea accepisse dona. Prævisâ autem mortis suæ horâ, præostensâ sibi Sanctorum gloriâ, quam post obitum consecuturus erat, corporis molem pio fine deposuit, & Angelis quibus per vitam familiaris extiterat est associatus; de quo quidem plura alia habet Chronicon Villariense & in Calendario Leodiensi Abundus est inscriptus ad hanc diem.

In Claravalle B. Emebertus Monachus, qui diù ibidem sanctissimè conversatus, & piissimis moribus ornatus, in omni virtutum genere extitit celebris: inter quas omnes virtutes emicuit præcipuè patientia, dum ipse pluribus corporis afflictionibus & infirmitatibus vexatus, easdem patienti animo diù toleravit; propter quod à Christo Domino adhuc in corpore positus recreatus, post vitam perrexit ad Cælum pro meritis perpetuò coronandus, & ascriptus post mortem inter Ordinis illustres viros *in libro Exordii*, & in Henriquei Menologio ad decimam nonam Martii.

Catalogus manuscriptus SS. Ordinis.
Lib. de initio Ordinis *dist. 3. Cap. 31.*

DECIMO TERTIO CALEND. APRILIS.

Vigesimo Martii.

MElrosæ in Scotia olim Benedictinorum Monachorum nunc Cisterciensium, Sanctus Cutbertus hujus loci insignis Cœnobita, qui post longum virtutis experimentum & Religionis tyrocinium, communi omnium suffragio electus est Abbas; In qua quidem dignitate studuit suis prælucere exemplo & opere potiùs quàm verbo, locum ipsum futuris Cisterciensibus disponens, & sanctis moribus illustrans: fama verò suæ sanctitatis ubiq; per vicina loca facta, è claustro extractus est & ad Episcopatum Lindisfarnensem assumptus ad annum sexcentesimum quadragesimum octavum ob præcelsa merita; adeptusque possessionem, sanctissimum Prelulatum egit multis signis & miraculis illustrem, mortuus in senectute bona, operibus plenus; in cujus memoriam festivitas illius celebrata est olim per Angliam ex decreto Capituli generalis Cisterciensis, sicut & commemoratio per totum Ordinem ad hæc usque tempora.

Martyrologium Romanum *hac die.*

In Sicilia B. Hugo, qui Monachus Nucariæ factus ita piè vixit, ut in Abbatem eligi meruerit, vir omni virtutum præsidio circumcinctus; In qua quidem dignitate omnibus in exemplum humilitatis, charitatis & pietatis fuit, omnique sanctitate coruscans abiit è vita, ac post mortem pro

Octavius Cajetanus *in libro de Sanctis Siciliæ.*
Mirçus *lib. 5. originum monasticarum cap. 15.*

operum merito ascriptus est communi Sanctorum Ordinis Catalogo ad hanc xx. Martii diem.

Chronicon Villarii.

Villarii in Brabantia B. Thomas Monachus, qui Germanus frater beatorum Monachorum Godefridi & Reyneri secundùm carnem, propinquior adhuc illis fuit per virtutem; diù enim ibidem piè conversatus, signis & sanctis operibus claruit tam in vita quàm post mortem, ascriptus in Chronico Villariensi inter Sanctos hujus loci & in Menologio ad xx. Martii.

Miræus in Chronicis.

In Gallia B. Ebrardus Morimundi Monachus, qui ex Montensi Comiti spretis sæculi divitiis & delitiis vilis opilio factus, in grangia hujus loci incognitus vixit; cùmque a suis ubique quæreretur, tandem agnitus fuit à quibusdam, & ad propria redire compulsus & adhortatus, sed pristinum humilitatis suæ statum deserere recusans, suscepto habitu Monachali sistitit Morimundi, ubi per reliquum vitæ suæ tempus sanctè vixit, ac bonis operibus cumulatus è vita discessit, ascriptus post mortem in Menologio ad hanc diem Martii xx.

DVODECIMO CALEND. APRILIS.

Vigesimo primo Martii.

Martyrologium Romanum.

FEstivitas sancti Patris nostri Benedicti Ordinis Cisterciensis præcipui Legislatoris, qui Nursiæ Provincia exortus ex nobilibus parentibus, Romæ literarum liberalibus studiis traditus est, nulli animum dans ab ipsa juventute voluptati, ne tamen per abrupta vitiorum iret, malorum consortio spretis studiis, relicta domo rebusque patris soli Deo placere studens, insciis parentibus ad Enside locum secessit, ubi cum Nutrice quæ eum arctè diligebat adhuc præsente, miraculi clarescere cepit; Capisterium enim fractum ab ipsa Nutrice mutuatum miraculo restauravit. Hinc autem secretò fugiens ad desertum locum Sublacum dictum, venit in antro quodam tanquàm in sepulchro in quo tribus annis mansit, soli Romano Monacho qui necessaria ei mini-

ſtrabat cognitus; invidens tamen tantæ ſanctitati Dæmon, tintinnabulum quo Romanus Benedictum vocabat fregit, nutrituſque & refectus Benedictus die Paſchatis per miraculum à vicino ſacerdote divinitùs monito, è Sublaci ſpelunca exire cõpulſus eſt. Electus autem in Abbatem à vicinis Monachis cùm eorum mores à diſciplina Monaſtica devios reformare tentaſſet nec valuiſſet, imò mortem ſibi per venenum intentatam in vini vaſculo ſalutiferæ crucis ſignaculo vitaſſet, in alium locum ſeceſſit, ubi multis Monachis congregatis ſanctiſſimas Leges dedit, & duodecim conſtructis Cœnobiis præfuit verbo & opere, factus poſteà ſucceſſu temporis plurimorum Ordinum pater videlicet Cluniacenſium, Camalducenſium, Ciſtercienſium, Cæleſtinorum, & aliorum plurium, multis miraculis per vitam & poſt mortem refulſit; imò prophetiæ dono illuſtratus multa prædixit Totilæ Regi & alia plura nonniſi poſt ſuam mortem longè ventura, inter quæ non exigua fuit ſui Caſſinenſis Cœnobii everſionis prædictio.

Eodem die in Burgundia & Diœceſi Cabilonenſi ac ſilva Ciſtercienſi, die ipſa Dominica Palmarum anno reparatæ ſalutis milleſimo nonageſimo octavo ſub Vrbano II. Summo Pontifice, Philippo I. Rege Francorum, Odone Burgundiæ Duce qui Cœnobium fundavit, inſtitutus eſt & inchoatus Ordo Ciſtercienſis ſub Regula ſanctiſſimi Patris Benedicti à beatiſſimo Patre S. Roberto Abbate Moliſmenſi & poſteà Ciſtercii, qui ſecum aſſumptis ex ferventioribus aſſeclis & diſcipulis Alberico, Stephano Hardingue, Odone, Lethaldo, Petro, Ilbodo & aliis quindecim aut circiter, ut Regulam profeſſam ſtrictiùs obſervarent; Moliſmum deſeruerunt, & de conſenſu Hugonis Lugdunenſis Archipræſulis & ſanctæ Sedis Legati ac Walteri Cabilonenſis Antiſtitis ſilvam illam Ciſtercienſem coluerunt, conceſſo priùs loco cum ſacello adjuncto à Raynardo Vicecomite Belnenſi, ubi erectis ligneis tuguriis ex ramis arborum confectis & fabricatis, ſanctiſſimam vitam mundo quidem & mundi amatoribus odioſam, ſed Deo & Angelis gratam egerunt ſub ſanctiſſimis Legibus & Statutis in plura alia Cœnobia ejuſdem Ordinis ſucceſſu temporis tranſmittendis.

Calendarium SS. Ordinis. Exordium lib. 1. cap. 13.

Calendaria Divione & Salmanticæ excusa.
Vita ejus manuscripta.

Ipsa die in Gallia seu Burgundia & Cœnobio Molismensi depositio sanctissimi Patris Roberti ejusdem loci Abbatis & Ordinis Cisterciensis Institutoris, qui ex nobilibus parentibus ex Theodorico Patre & Ermenguide matre natus in Campania, & ante partum à beatissima Virgine, per annullum matri prægnanti datum, in sponsum futurum spiritalem seu filium adoptatus, ab ipsa juventute plurima futuræ suæ sanctitatis signa dedit. Mundo autem valedicens anno ætatis suæ decimo in Cellense Cœnobium apud Trecas Campaniæ urbem secessit: ubi susceptohabitu Benedictino omnibus in exemplum fuit; factusque hac de re ob præcelsa vitæ merita Prior hujus loci, paulò post in Abbatem Sancti Michaëlis Tornodorensis non diù ibidem præfuit ob liberiorem Monachorum vitam: vocatus verò à quibusdam piissimis Eremitis ut iisdem præesset, & retardatus seu impeditus à suis, ad tempus propositum distulit. Interim tamen abdicato Præsulatu Tornodorensi cùm in Cellense Cœnobium reversus esset, Prior sancti Arnulphi Provinensi in Briena electus est & missus ab Abbate; Ex quo Cœnobio iterùm egredi Apostolico Rescripto compulsus, prædictis Eremitis in silva Molismensi præfuit, ubi ob novos undequaque discipulos accedentes, novum construxit Cœnobium Molismense dictum, caput plurimorum aliorum Cœnobiorum utriusque sexus. Quibus omnibus pias Leges dedit & sanctè præfuit, prædiis verò & reditibus augentibus apud Molismum cùm tepidiores fierent Monachi, nec facilè Robertus Abbas tantam ignaviam compescere valeret, consultis quibusdam ex ferventioribus Monachis Alberico Priore, Stephano & aliis, omnes alibi simul secedere voverunt, ubi strictiorem Observantiam amplecti illis liceret. Pergentes itaque Cistercium ut ibidem novi Ordinis & novæ Oservantiæ fundamenta ponerent, Robertum in Abbatem suum elegerunt, qui omnibus ibidem ritè dispositis, instantibus Molismensibus Monachis prioris vitę pœnitentibus, post annum aut circiter Rescripto Hugonis Lugdunensis & aliorum Episcoporum suffraganeorum apud Petramfictam congregatorum & de mandato Summi Pontificis redire compulsus est Molismum, Cistercio relicto, quod quidem

dem ſatis egit invitus. Suſceptus autem multo cum honore à Barrenſibus civibus in tranſitu & tandem à ſociis Moliſmenſibus, ibidem ſanctè vixit uſque ad mortem & ad annum ætatis ſuæ pluſquam octuageſimum ſive nonageſimum quo piè obiit hac die poſtquàm vivens multa patraſſet miracula; quæ quidem poſt obitum perſeverarunt & viſa ſunt in ejus morte quam plurima in Cælo ſigna, ſed præſertim crux multis ex ſtellis compoſita & pluribus aliis parvis crucibus circumtexta, Roberti ſanctitatem indicantibus: ſepultuſque eſt ibidem multo cum honore aſtantibus multis Epiſcopis, & Abbatibus, & jacent adhuc ibi ſancta ejus oſſa ſolis exceptis brachiis apud Ciſtercium, & Carolilocum Galliæ Cœnobia aſſervatis. Ejus autem vitam ſcripſit primò Ado Moliſinenſis, & Chronologiſtæ penè omnes ejus ſanctitatem notant.

VNDECIMO CALEND. APRILIS.

Vigeſimo ſecundo Martii.

VIllarii in Brabantia obitus pii Patris Henrici Monachi, qui abſtinentia celebris corporis ſui infenſus hoſtis & durus caſtigator extitit; carnem enim cilicio domans adhuc duris verberibus eam dilacerabat. Factus autem Abbas ſeptimus loci Sancti-Bernardi juxta Antuerpiam domum annuo reditu & Monachorum numero auxit; factuſque pro conſilio celebris Legatus Ducis Burgundiæ Ioannis I. ad Anglorum Regem pro nuptiis filiæ prædicti Regis, utrique Principi carus fuit; reverſus verò ad Cœnobium cùm pluribus bonis operibus cumulatus & ditatus eſſet, appoſitus eſt ad patres ſuos, & magnum ſui deſiderium poſteritati reliquit, memoratus in Chronico Villarienſi & Auctuario ad ſanctos Belgii hac die apud Arnoldum.

Chronicon Villarienſe
Arnoldus de Raiſſe *in Auctuario.*

In Suecia B. Benedictus Alvaſtræ Monachus, qui ex Vlphone Nericiæ Principe & ſancta Brigitta claris parentibus & generis nobilitate & vitæ ſanctimonia natus, à juventute piè eſt educatus; ſuſceptoque habitu Monaſtico in eodem

Cœnobio Alvastræ puriſſimam quamvis brevem inſtituit vitam, ubi conſummatus in brevi raptus eſt ne ſæculi malitia mutaret intellectum ejus & innocentiæ pueri prævaleret; cumque poſt obitum mortuum puerum multis cum lacrimis defleret S. Brigitta mater, ejuſdem Benedicti beatitudinis facta eſt per oraculum certa, memoraturque idem Benedictus apud Henriqueum ad hanc Martii diem & apud Arnoldum in Auctuario Sanctorum Belgii ea die.

DECIMO CALEND. APRILIS.

Vigeſimo tertio Martii.

Calendarium Sanctorum Ordinis.

IN Gallia memoria pii amplexus S. Patris Bernardi orantis ab ipſo Chriſto Domino pendente in cruce facti, dum extenſis brachiis & à cruce extractis, magno miraculo divum illum parentem ante ipſam crucem proſtratum amplexu ſibi aſtrinxit, & vulnera ſugenda eidem præbuit: quam quidem viſionem Medardus olim Abbas de Moris in Campania vidiſſe teſtatus eſt; & eam fuſè narrat Hiſtoria Exordii Ciſtercienſis *diſt. 2. cap. 7.*

Seguinus *de viris illuſtribus Ordinis.* Vita S. Bernardi *cap. 13.*

Nannetis in Britannia Armorica Venerabilis Bernardus Epiſcopus olim S. Patris Bernardi apud Claramvallem diſcipulus, qui multum in obſervantia regulari probatus ex hoc Cœnobio ad Epiſcopatum Nannetenſem aſſumptus eſt ob præclara vitæ merita; in qua dignitate gregem ſibi commiſſum verbo & exemplo pavit, mortuus in ſenectute bona & aſcriptus in Menologio ad hanc diem.

Cantipratanus *lib. 7. Apum cap. 10.* Arnoldus de Raiſſe & alii.

In Belgio venerabilis Genta Vallisfloridæ Abbatiſſa, quæ virtutum ſplendore celebris plures ad ſe virgines ſuo exemplo in clauſtrum attraxit; cumque multis bonis operibus cumulata eſſet, viſis in ipſius morte ſignis & prodigiis in commendationem pietatis ejus ſub globi ignei figurà quibuſdam continuis noctibus ante cubiculi jacentis Abbatiſſæ feneſtras tandem feliciter obiit, ut ad Chriſtum, qui ſponſus virginum eſt, recto tramite pergeret; aſcripta eſt Ordinis ſanctorum Menologio ad hanc Martii diem.

NONO CALEND. APRILIS.

Vigesimo quarto Martii.

IN Hispania ipsâ vigiliâ Annuntiationis Dominicæ & die Parasceves anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo sexto obiit piæ memoriæ Iustus de Matienzo nobili familia natus in regno Legionis, qui susceptus in Archi-cœnobio Congregationis & Reformationis Hispanicæ de Monte-Sion, in omni virtute progressum fecit, factusque uti nomine, ita reipsâ justus. Tandem verò in Bonavalle ejusdem observantiæ Monasterio præviis coruscationibus habitis sancto fine consumptus est; ea die qua Christus Dominus cruci affixus est, relictâ probitatis suæ apud posteros illustri opinione.

Fasciculus *l. 2. dist. 39. cap. 2.* Henriquez *hac die.*

Eodem die eodemque anno ac eâdem hebdomadâ sanctâ depositio pii patris Petri à sancto Bernardo Congregationis Beatæ Mariæ Fuliensis Monachi, qui pro vitæ suæ & meritorum ratione, ac rerum humanarum & divinarum experientia Superior Generalis electus, eandem Congregationem piè & sanctè per quinque annos rexisse dicitur; cujus quidem singuli actus, aspectus, verba ac totus exterior homo interni decoris signum & indicium ita fuit, ut totum in eo ordinatum, totum insigne virtutis perfectionisque forma instar sanctissimi Patris Bernardi Clarævallensis (cujus nomen gerebat) omnibus appareret; mortuusque post plura pietatis opera, uti vivens magnam sanctitatis opinionem suis virtutibus sibi conciliaverat, sic post mortem inter beatos spiritus creditur annumeratus & collocatus.

Carolus à Sancta Maria *in Catalogo virorum illustrium.*

In Polonia & quodam Ordinis Cœnobio Cracoviensis Præsulatus beatus Simon Lipniciensis dictus & hujus loci Monachus, qui post multa præclara opera extremum vitæ suæ diem sanctè clausit, relatus in Calendario Sanctorum Ordinis.

Calendarium Ordinis.

In Armoricis obiit piæ memoriæ Ruandus Venetensis Episcopus, qui olim in claustro pietatem sectatus eandem

Chenu *in sua historia Episcoporum Galliæ.*

in Episcopatu retinuit, multis nominibus illustris. Obiit autem in senectute bona ad hanc diem Martii & ascriptus Menologio Henriquei.

Calendarium Ordinis.

In Hispania & Abulensi civitate venerabilis Mater Maria de Christo, quæ ibidem in Cœnobio Monialium Ordinis suscepto velo, humilitate, paupertate & cæteris virtutibus insignis fuit; & purissimam vitam duxit ad mortem usque, quæ quidem anno millesimo sexcentesimo sexto evenisse dicitur; & ipsa ascripta est Calendario Ordinis apud Henriqueum.

OCTAVO CALEND. APRILIS.

Vigesimo quinto Martii.

Hispani authores.

IN Hispania Cœnobio sanctæ Mariæ Lauretanæ regularis observantiæ festum Annuntiationis Dominicæ olim in Lauretana camera peractæ & nuntiatæ ab Angelo, & per totum Ordinem manet illa festivitas celebris; sermone hac de causa habito in Capitulo juxta morem.

Cartæ fundationis.

Ipsa die in Campania Galliæ Provincia anno reparatæ salutis millesimo ducentesimo vigesimo quarto in Diœcesi Suessionensi fundata est à Serenissima Campaniæ Comitissa Domina Blanca Abbatia Sanctimonialium B. Mariæ de Argensolio filiationis immediatæ Clarævallis, & hac de causa dicta Clarævallis primogenita juxta visionem quam eadem Comitissa è cælo habuerat, postquàm à viris probis sed præsertim à beato Arnulpho de Cornibout Converso Villariensi magna sanctitate prædito discussa fuisset.

Vita ejus M M.

Ibi etiam pari die instituta fuit prima Abbatissa S. Ida Leodiensis omni virtute conspicua, & triginta Monialibus præfecta.

Annales Frisiæ. Mirgus *in Chronico Cist. ad annum 1165.*

In Frisia venerabilis Eiso Claricampi Abbas vir eximiæ pietatis; qui illuc à Superioribus transmissus ut per has regiones Cisterciense Institutum dilataret, tantam sibi conciliavit apud exteros authoritatem & probitatis opinionem, ut intra breve temporis intervallum multa Ordinis Cœ-

nobia erecta fuerint; quibus omnibus traditâ regulâ & pio vitæ modo, multos suæ sanctimoniæ post se reliquit æmulatores & discipulos: ascriptus inter viros illustres Ordinis ad hanc diem Martii in Menologio.

In Hispania Blasius Hortensis Abbas, qui calcatis sæculi delitiis, Cisterciensem reformationem est amplexus; in qua tantâ virtute profecit, ut cæteris præpositus Abbas, eosdem vias vitæ docuerit, potiùs exemplo, quàm verbo: mortuus in senectute bona post translatum suum Cœnobium è loco de Cantanos in locum dictum de Horta, memoraturque ab Henriqueo ad hanc diem. Monumenta Hortæ. Vita S. Martini Hortensis.

SEPTIMO CALEND. APRILIS.

Vigesimo sexto Martii.

Populeti in Catalaunia Beatus Petrus Marginet hujus Cœnobii Monachus, qui ibidem suscepto habitu & sanctis moribus informatus multa virtutis specimina sub initio sui tyrocinii & probationis dedit; ac post emissam professionem aliquandiu perseveravit in arrepta regularis observantiæ semita: Paulò post tamen suasionibus Sathanæ illusus & seductus, viam veritatis deseruit, & egressus è claustro ex Monacho vilis Apostata, ac prædonum omnium hujus regionis Coriphæus & Antesignanus factus, purissimam hanc quam hactenùs duxerat vitam multis sceleribus, latrociniis, stupris, homicidiis, aliisque criminibus deturpavit. Pluribus verò in scelere transactis diebus & annis, cœlesti tandem lumine, Deo sic volente, est illustratus, & ad se reversus sceleribus renuntians, sponte rediit ad Cœnobium, ubi benignè ab Abbate ad pœnitentiam susceptus & Ordinis rigori in sustinenda criminum suorum pœna & mulcta subditus, diù primo carcere conclusus est, & duris verberibus percussus. Quâ quidem pœnâ minimè contentus, ipsemet jejuniis, flagellis, cilicio, cæterisque austeritatis exercitiis propria delicta puniri ac emendari curavit: & ita ex prædone justus, ex reo pius effectus, post repara- Vita ejus MM. apud Populetum.

tum ſcandalum fratribus datum, obnixè petiit à Superioribus ut per reliquos vitæ ſuæ annos, in eremum & deſertum ſecederet, & ibi diſſolutionis ſuæ vitæ pœnas elueret. Quo obtento è Monaſterio egreſſus eſt, & in antro ſibi deſtinato ſeſe recipiens, ibidem noctes ducebat inſomnes terrâ nudâ pro lecto utens; ſolis oleribus ſeu herbis victitans, pane pro cibo, & aquâ pro potu contentus; ſicque ad tantam vitæ ſanctimoniam devenit, ut à cœleſtibus ſpiritibus plerumque inter orandum viſitaretur è cælis, dum in terris à Dæmonibus ſub diverſis ſpectris vexabatur. Ipſe verò fiduciâ in Deum poſitâ, coſdem aliquando ſolis fugabat precibus, aliquandò verò ſub aſini figura ſuâ zonâ ligatos ad labores compellebat, & ligna, lapides ac cætera hujuſmodi pro reparatione Cœnobii ſeu cellæ reſtauratione deferre cogebat. Quibus omnibus peractis plenus meritis & virtutibus, ac miraculorum dono inſignis, ſancto fine vitam clauſit. Poſt cujus obitum adhuc fulſerunt ad tumulum miracula, inter quæ non minimum illud eſt, quòd malis imminentibus Cataloniæ audiri ſoleant tumultus & ſonitus, ut ea vitare poſſint vicini. De ejus autem ſanctitate & pœnitentiâ quamplures agunt, ſed præſertim Manriqueus in Annalibus, & Henriqueus in Menologio.

Cartæ Ciſtercii. Ciſtercii in Burgundia pia memoria venerabilis Patris Ioannis de Pontiſara hujus loci Abbatis, qui in ea urbe Pontiſarenſi natus, in Normaniæ partibus & Cœnobio Mortui-maris Diœceſis Rothomagenſis habitum ſuſcepit; ubi pro vitæ merito præfectus & electus Abbas, virilem animum ac omni conſtantia firmum induit, tum pro virtutum acquiſitione, tum pro jurium ſeu Cœnobii ſui Ordinis ſeu Eccleſiæ tuitione; undè altiori dignitate capax, ad infulam Ciſtercienſem omnium Patrum Abbatum & Monachorum eſt aſſumptus. In qua quidem dignitate tam piis operibus & illuſtribus actibus claruit, ut magnæ authoritatis vir apud omnes magnates extiterit; undè ſolâ ſuâ præſentiâ Conciliabulum Pariſiis Philippi Pulchri Regis Galliæ factione factum à faventibus Epiſcopis & Præſulibus contra Bonifacium VIII. Summum Pontificem, ipſi Philippo Regi infenſum, fregit ac diſſolvit. Qua quidem conſtantia à Bonifa-

cio cognita, eidem Abbati ac successoribus apud Cistercium speciale privilegium in cera candida literas suas sigillandi (quod nemini nisi soli Romano Pontifici licet) idem Summus Pontifex concessit, sicut & imaginis in cathedra sedentis in sigillo. Coactus tamen Ioannes, ob Regem in Cisterciensem Ordinem succensum, cedere, plurimorum proborum Abbatum consilio cessit, & vitam privatam ac piam reliquo annorum suorum curriculo egit; mortuus in senectute bona & inter Ordinis Illustres ascriptus ad xxvi. Martii in Menologio & aliis Calendariis.

In Anglia obiit venerabilis vir Walterus cognomento Speck omni virtute conspicuus, Fundator Monasteriorum quorumdam Ordinis, olim Sancti Stephani Hardingi tertii Abbatis Cistercii discipulus, ac ut dicitur Ricvallis Monachus, qui in magna pietate vivens, piè quoque decessit ex hac vita, & meruit ascribi inter Ordinis viros illustres.

Guillelmus Neubrigensis lib. 1. rerum Angliæ cap. 14.

SEXTO CALEND. APRILIS.

Vigesimo septimo Martii.

CIstercii in Burgundia totius Ordinis Archi-cœnobio beatus Petrus hujus loci Archimandrita decimus quartus, qui suscepto Ordinis habitu multum claruit tùm in probatione, tùm post emissa solennia vota. Cognitus autem ubique famâ virtutis volante, & vacante sede Cistercii, communi omnium suffragio ad Abbatialem illam dignitatem est sublatus. Quæ quidem electio & promotio in Ordinis utilitatem & animarum salutem vertit, multùmque illi profuisset, nisi post sex regiminis menses jam senex ad mortis occasum accessisset; gravi enim morbo correptus, in Infirmitorium commune est deportatus, ubi visitatus est ab Abbate Leoncellii & Priore Bonævallis, qui ei mortem B. Hugonis Abbatis hujus Cœnobii Bonævallensis nuntiabant. Iam verò morti proximus, meruit eundem B. Hugonem ad cælos properantem cum duabus sanctis virginibus, & ipsummet ad præmium æternum vocantem conspicere.

Calendarium gallicum hac die Mantique & alii.

Qua visione consolatus & confortatus, pia morte consumptus est, tempore vigiliarum anno reparatæ salutis millesimo centesimo octuagesimo sexto, hac præsenti die qua ascriptus reperitur in Menologio Cisterciensi & Calendario Sanctorum Ordinis.

Calendarium SS. Ordinis. Missale vetus.

In Bituria Galliæ Provincia & Cœnobio Fontis-Mauriniaci B. Robertus Conversus, qui in Claravalle piè educatus & hinc Fontem-Mauriniacum transmissus pro Monasterii reformatione, vitæ austeritate & sanctimonia domum hanc illustravit, cultorque Deiparæ Virginis peculiaris factus, multas è cælo coruscationes accipere meruit; imò ab ipsa sanctissima Virgine & Sancto Patre Bernardo jam in cælesti gloria constituto visitatus, paulò ante obitum non exiguam de salute habuit securitatem, Quinta autem die ab ipsa revelatione æger factus, juxta prædicti Patris Bernardi datum oraculum, sancto fine quievit, ad supernam felicitatem post obitum sublatus, & in dipticis Sanctorum Ordinis annotatus; extat verò ejus memoria in veteri Ordinis sanctorum Catalogo & Calendario hac die Martii.

In Valesia Galliæ Provincia venerabilis Pater Paulus S. Lazari Monachus, qui post constructum suo ingenio & arte Monasterium, ibidem piè vixit; nunquam enim è Monasterio egressus nisi sub primis religionis annis urgente & cogente obedientiâ bis aut ter, tandem de licentia Superiorum sub clausura perpetua vixit. Vir in choro assiduus, in vita austerus, & in omnibus humilis, qui pluribus scriptis utilibus clarus & piis operibus celebrior, in senectute bona post prævisam & prædictam mortem, pio fine obiit hac die anno salutis 1661.



QVINTO

QVINTO CALEND. APRILIS.
Vigesimo octavo Martii.

Cistercii in Burgundia obitus Sanctissimi Patris nostri Stephani Abbatis hujus loci, qui Hardingus vulgari cognomine dictus & natione Anglus, pietati ab ipsa juventute addictus est: grandior verò factus, habitum Ordinis sancti Benedicti suscepit, & tanto perfectionis desiderio est succensus, ut strictioris observantiæ cupidus, de consensu Abbatis sui proprium solum deseruit & ad Sanctorum Apostolorum limina Romam venit. Qua peregrinatione facta, in reditu per Galliam rediens, quorundam Anachoretarum in Campaniæ partibus piè viventium socius factus est. Volante autem fama virtutis sancti Roberti tunc Abbatis sancti Michaëlis Tornodorensis, ex eis fuit Eremitis qui eundem Robertum in Abbatem seu Superiorem postularunt. Cùmque Monachi Tornodorenses reniterent, ipse iterùm Romam pergens per Rescriptum Apostolicum ad Abbatem Cellensem directum eundem Robertum tunc Priorem S. Arnulphi Pruvinensis obtinuit in Superiorem; sub quo cum cæteris Eremitis vitam Angelicam instituens multos in brevi habuit asseclas & socios. Quibus omnibus peractis novoque constructo Cœnobio in silva Molismensi ibidem sistit in magna regulari observantia sub tanto Magistro. Institutus autem Molismi Pro-prior & Decanus præcipuus à B. Abbate Roberto, cùm paulisper crescentibus opibus multos à Regulæ observantia deviare adverteret, & eos cum zelo discretionis negligentiæ argueret, malè ab eis exceptus est verberibus; è carcere tamen solutus cùm eosdem devios non corrigi cerneret, de consensu Abbatis Molismum deseruit ad tempus, & in Prioratum seu Conventum de Variis secessit. Sed cùm jam à multis cognita esset ejus sanctitas, vanam gloriam fugiens rediit Molisinum; ubi quibusdam ex ferventioribus Regulæ æmulatoribus junctus, acceptâ ab Abbate licentiâ in Cisterciensem sil-

Martyrologium Romanum.
Calendarium Ordinis.

Q

vam post obtentum consensum Hugonis Legati & Odonis Ducis devenit, ubi simul cum B. Alberico & aliis, ac paulò post cum B. Roberto, qui eorum exemplo illuc venit, sub ridigissimis legibus novam vitæ formam tenuit. Factus autem ob insignem pietatem illustris, institutus est ejusdem loci Prior, Alberico in Abbatem à sancto Roberto substituto: Alberico verò è vivis sublato, sublectus est Stephanus in Abbatem; in qua dignitate multos suscepit & instruxit discipulos, sed præsertim Bernardum & alios triginta socios, postquàm è cælo de propagatione Ordinis futura, oraculum accepisset per Monachum recenter mortuum, cui ex obedientia, an Deus Ordinem gratum haberet, ut sibi renuntiaret, junxerat. Fundatis autē pluribus Monasteriis & transmissis illuc Abbatibus & Monachis, eisdem sanctissimas Leges dedit, quas vulgari vocabulo *Charitatis Cartam* nominavit. Instar verò Alberici patris & antiquorum patrum quotidiè Psalterium ex integro persolvebat, & spiritu prophetico clarus, cordis secreta pluribus revelabat.

Cùmque Bernardus adhuc Novitius solitas preces, quas pro matre sua defuncta solebat recitare, omisisset, Stephanus divina luce illustratus, defectum & negligentiam novit & arguit. Miraculis clarus cùm aliquando infirmaretur, nec Cellerarius haberet undè Abbatem ægrum reficeret, ejusdem Patris meritis inventus est pisciculus ex rostro cujusdam avis volantis delapsus; & cum alio tempore Cistercium inopiâ magnâ laboraret, nec Stephanus, undè paupertati subveniret, haberet; fiducia in Deum posita, quosdam fratres Vezeliacum ad nundinas proximas cum tribus solis denariis transmisit ut necessaria emerent. Cui obedientes fratres, hominem in extremis laborantem invenerunt, qui ex pietate eisdem subministravit pecunias, quibus omnia victualia & sibi necessaria emerunt, ac cum quadrigis cunctis ad Abbatem redierunt. Quod resciens S. Abbas, simul cum Conventu eisdem obviam adiit, ut misericordiam à Deo sibi transmissam susciperet. Plurimis autem aliis virtutibus ornatus & senio confectus, cùm jam per viginti quatuor annos aut circiter feliciter Monasterium & Ordinem rexisset; caligantibus oculis præ senectute, digni-

tatem suam deposuit, accepto priùs à Patribus primoribus Ordinis consensu: cui cùm sublectus fuisset quidam Guido, ejusdem electi nequitiam sibi divinitùs cognitam aperuit patribus; qui eundem ab officio amoventes, Raynaldum virum insignem substituerunt, & sic in pace Stephanus plenus dierum & virtutum, sanctissimo fine quievit, anno salutis millesimo centesimo trigesimo quarto, sepultus primò in minori sacello aut Cœmeterio Cistercii, Basilicâ & majore claustro nondum constructis: posteà verò translatum est corpus sancti viri in majus claustrum cum aliis cadaveribus Sanctorum Patrum, ubi nunc altare est erectum & ejus festum per totum Ordinem celebrari jussum est à Capitulo generali Cistercii anno 1624. habito, non quidem hac die ob quadragesimale officium, sed decima septima Aprilis, qua die Sanctorum numero solenni ritu ascriptus dicitur à quibusdam. Ejus autem nomen reperitur in Calendario Romano, & ab innumeris authoribus ejus sanctitas laudatur.

QVARTO CALEND. APRILIS.

Vigesimo nono Martii.

IN Agro Cameracensi & Cœnobio Valcellensi beatus Hugo Monachus, qui cùm esset Cameracensis præcipuus Canonicus & aliorum Decanus ac bonis operibus refulgeret, ne tunc temporis mortuo Episcopo succederet, suâ dignitate relictâ, Valcellas aufugit, ubi mundo cum flore despecto, humilis sub Monastico habitu delituit; & tandem vitæ probitate ad mortem usque emicuit, & suavi bonorum operum suorum odore apud posteros transmisso, sancto fine vitæ suæ diem ultimum clausit. Ascriptus hac die in Calendario Ordinis & memoratus in Molani Auctuario & apud alios authores. *Cantipratanus lib. 1. Apum. c. 20. Seguinus lib. de SS. Ord.*

Comberonæ in Hannonia solennis Supplicatio celebranda ultimo Paschatis festo seu feriâ quartâ post Pascha propter ingens miraculum hac die ibidem factum, cùm Mo- *Ex cartis hujus Cœnobii.*

nasterium ab Hæreticis & Novatoribus in odium fidei obsessum, Beatissimæ Virginis auxilio cujus opem Monachi imploraverant, non sine miraculo ab eorum præda ereptum est & liberatum, anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo octuagesimo primo.

Ex vita ejus MM.

Savigniaci in Normania depositio B. Aymonis Monachi, qui ex Britannia Armorica in pago de Laudaco oriundus à juventute Monasticæ vitæ rudimentis sub B. Vitalis primi Abbatis hujus loci Magisterio se subdidit. Vbi non exiguum fructum spiritalem ex Abbatis sui monitis & adhortationibus retulit; nam orationi ferè continuè diù noctùque vacans inediâ, verberibus, cilicio, aliisque pœnis corpus castigabat; os à verbis otiosis & superfluis reserabat; leprosis quoque Fratribus qui tunc frequenter aderant in Monasterio humiliter ministrabat, & quicquid vile & abjectum erat operandum adimplebat. Grandior autem factus, & ætate ac virtute capax, sacros suscepit ordines, jussu potiùs Abbatis quàm desiderii impulsu; nec facile esset omnes quas habuit coruscationes seu visiones recensere, sive inter missarum solennia, sive in privatis suis orationibus: sæpè enim & cælos apertos, & Iesum celebrantis sacrificio benignè annuentem advertit; sæpè animas quæ ejus imploraverant auxilium, è purgatoriis locis in quibus detinebantur suis precibus egressas & sublevatas, per revelationes resciebat; intima cordium sibi divinitùs nota proximis revelabat, ac tandem post habitum Benedictinum seu griseum aut (ut quibusdam placet ceruleum quem priùs susceperat) in Cistercienscm mutatum, & Savigniaci associationem ad Ordinem, quæ ad annum Domini millesimum centesimum quadragesimum octavum evenit, post informatos à se quamplures discipulos & Novitios (quorum cura sibi demandata fuerat,) piis & sanctis operibus cumulatus, felicissima morte diem ultimum clausit, anno reparatæ salutis millesimo centesimo septuagesimo tertio hac præsenti vigesima nona die Martii ut notat Barberii Menologium. Corpus verò ejus sepultum primò cum aliis sanctis cadaveribus Beatorum Vitalis, Godefridi, & aliorum Abbatum & Monachorum in sacello S. Catharinæ Virginis, succes-

ſu temporis ſub Stephano Abbate effoſſum eſt è terra, & translatum ſolenni ritu ab Epiſcopo Abrincenſi & aliis Antiſtitibus in Baſilicam ejuſdem Cœnobii, poſt notificationem eorundem ſanctitatis per viſibile ſignum & coruſcationem è cælo tranſmiſſam in ſepulchra eorundem ſanctorum ut alibi dicitur; manet verò aſcriptus B. Aymo in omnibus Calendariis Sanctorum Ordinis. Extat adhuc vita ejus manuſcripta apud nos, ex Savigniacenſibus archiviis deſumpta.

In Belgio & Cœnobio Belliprati Venerabilis Soror Agnes de Chaſtillon ibidem non longè ab oppido Gerardimonte Sanctimonialis inſignis; quæ poſt plura pietatis opera & multas perpeſſas in oratione ecſtaſes & innocentiſſimam vitam ductam, ita ut nullum verbum proferret quod in peculiarem Dei honorem ſeu proximi ædificationem & utilitatem non cederet, pio fine obiit, annotata inter cæteras mulieres Belgii ſanctitate claras ab Arnoldo wouveo in Auctuario ad Molanum, & aſcripta Henriquei Menologio ad hanc diem Martii.

Ex actis ejus ibidem aſſervatis. Arnoldus de Raiſſe *in ſuo Auctuario.*

TERTIO CALEND APRILIS.

Trigeſimo Martii.

IN Burgundia & Cœnobio Clarævallis B. Raynaldus Monachus, qui ab utero matris ſelectus à Deo, & quaſi ab aliorum maſſa ſegregatus per peculiarem deſignationem, ac magna puritate donandus, ut in Exordii Ciſtercienſis libello legitur, futuræ ſanctitatis ſigna dedit: undè ab ipſa juventute ad clauſtrum à Deo vocatur. Primò quidem S. Amandi Cœnobii Ordinis Benedictini Monachus fuit: poſteà verò auditâ S. Bernardi ſanctitatis famâ ſtrictioris obſervantiæ gratiâ ad Ciſtercienſem reformationem, tranſivit ubi apud Claramvallem ſub eodem S. Patre Bernardo piè vixit; factuſq; antiquorum patrum virtutum æmulator inſignis, multis piis operibus claruit: imò revelationibus è cælo illu-

Exordium Ordinis *lib. 3. cap. 11.* Rulca *in ſuo Compendio SS. Ordinis.*

ſtratus, cæleſtes ſpiritus habuit per apparitionem familiares. Cùm autem aliquando in ſpiritu Beatiſſimam Virginem quaſi Monachorum in agro laborantium ſudorem abſtergentem advertiſſet, tanto cum fervore labori inſtitit, ut tandem corpore fatigatus & fractus, animam Creatori per felicem obitum reddidit; aſcriptus poſt mortem inter viros illuſtres Ordinis, ad hanc diem in Calendario Sanctorum Ordinis.

Ibidem in Claravalle commemoratio cujuſdam pii Converſi & ſupradicti Raynaldi Monachi, virtute inſignis & probitate conſpicui; qui è mortali hoc ſtallo ſublatus, perrexit ad cælum hac die memoratus in ſupradicto Beatorum Ordinis Menologio.

Chronicon Villarii.

Villarii in Brabantia B. Walterus Converſus, qui in ſæculo dives, paupertatem Monaſticam maximè coluit in clauſtro; Chriſtoque ſoli adhærens per aſſiduam cæleſtium rerum meditationem, in virum ſanctiſſimum evaſit; ac depoſita carnis ſarcina, animam tranſmiſit ad Cælos, aſcriptus Menologio ad hanc Martii diem.

PRIDIE CALEND. APRILIS.

Trigeſimo primo Martii.

Cæſarius lib. 1. cap. 25.

IN Germania B. Ludovicus Heiſterbacenſis Monachus, qui miraculosè converſus & à gravi morbo illicò liberatus & ſanatus, poſt conceptum religionis votum ibidem Ordinis habitum ſuſcepit, ac poſteà puriſſimam vitam in clauſtro duxit; & ſic omni virtute inſtructus, nonniſi pietatis & ſanctimoniæ ſigna dare potuit: mortuus in ſenectute bona, & aſcriptus poſt obitum inter Ordinis Illuſtres in Menologio ad hanc diem.

Gilemannus in vita S. Iuliana. Bivarius lib. de mulieribus illuſtribus.

In Regione Leodienſi B. Sapientia Monialis & Prioriſſa Montis-Cornelii, quæ B. Iulianam & plures alias virgines ad habitum Ordinis ſuſcipiens, eaſdem ſuo exemplo & ſacris ſuis documentis ad virtutem efformavit; pietateque ſu-

pra cæteras clara obiit, non sine sanctitatis nota, & ascripta est in Clendario Sanctorum Ordinis ad hanc diem.

Cistercii in Burgundia B. Gozvinus quintus hujus loci Abbas; qui primò susceptus in claustro Cistercii ad probationem tanta claruit sanctitate, ut hinc extractus ob vitæ meritum, Bonævallensi Cœnobio in Delphinatu præfectus fuerit Abbas: posteà autem crescentibus donis & meritis, ad altiores dignitates vocatus est. Nam Cistercii Abbas & Patriarcha est renuntiatus; in qua quidem dignitate verbo & opere præfuit & profuit, ac plura suo tempore Statuta salubria & utilia toti Ordini dedit. Mortuus in senectute bona & inter Prædecessores sanctos computatus, ac sepultus in maiori claustro Cistercii, memoratus est Gozvinus in epistola xxvii. S. Patris Bernardi. Calendarium Gallicum *hac die.*



MENSIS APRILIS.

CALENDIS APRILIS.

Primo Aprilis.



NAETI in Sicilia Translatio corporis B. Nicolai Monachi Ordinis Cisterciensis, qui natione Siculus mira sanctitate floruit ac miraculis & signis refulsit, ut ad hanc diem notat Octavius Cajetanus in Idea operis de Sanctis Siciliæ ex Monasterio Naetensi, sicut & Menardus in suo Martyrologio Benedictino hac die. Menardus *in Martyrologio Ben. dictino.*

Iongelinus *in notitiis.*

Romæ Cœnobio sanctorum Anastasii & Vincentii seu Trium-Fontium ad Aquas Salvias non longè ab urbe, Consecratio & Dedicatio Basilicæ hujus loci recenter reparatæ facta ab Honorio III. Summo Pontifice hac die prima Aprilis & anno salutis millesimo ducentesimo vigesimo primo, septem astantibus purpuratis Patribus & totâ Curiâ Romanâ, ut fert inscriptio lapidea ibidem posita ad sinistram Ecclesiæ partem juxta crates ferreas, ut notat Iongelinus.

Cæsarius *lib. 1. cap. 23.*

Ipso die in Germania memoria beati Theodorici de Lureke Monachi Heisterbacensis, qui in terris degens conversabatur cum Angelis in cælis, cogitatione & aviditate ad superna continuè suspirans. Multis autem laboribus in claustro pro Deo perpessis, æternæ felicitatis coronam piâ morte promeruit; insertus Menologio ad hanc primam Aprilis diem à Cæsario Heisterbacensi memoratus, ubi dicitur miraculis clarus.

QVARTO NONAS APRILIS.

Secundo Aprilis.

Exordium Cistercii.

IN Arverniâ beatus Pontius Claromontanus Episcopus, qui suscepto Ordinis habitu in Cœnobio Grandisilvæ, ibidem in probitate vitæ claruit. Vndè posteà eidem loco præfectus Abbas, pluribus illuxit virtutibus, quibus Ordo irradiatus, ad altiorem adhuc dignitatem eundem extulit: nam mortuo Abbate Claravallense Godefrido, sententiâ datâ ab Alexandro Cistercii Abbate substitutus est Pontius, ut præluceret pluribus Monasteriis verbo & exemplo; notiorque factus per Galliam & adjacentes regiones, postquàm plures in claustro efformasset suæ virtutis æmulatores & discipulos, in Episcopum Claromontensem est à Clero postulatus. In qua dignitate multa cum laude vixit, gregem sibi commissum pascens in spiritualibus; nec solùm suis profuit, sed & toti Ecclesiæ, imò & regno. Missus enim à Christianis Principibus pluries in Ecclesiæ utilitatem & regni

regni commodum ad alios Principes & Magnates, sibi commendata negotia ritè peregit; & sic animi prudentiâ clarus, & vitæ sanctitate illustris, obiit in senectute bona, multùm post mortem ob animi dotes laudatus in libello Exordii Cistercii, & jure communi Beatorum Albo ascriptus. Ei autem olim sua volumina dicavit Thomas Cisterciensis ad annum millesimum ducentesimum secundum aut circiter.

In Claravalle B. Gerardus Monachus, qui Portarii munere fungens, gratum & humile responsum omnibus ad portam pulsantibus dabat. In pauperes largus, in Deum pius, omnibusque virtutibus coruscus, beato fine quievit, ac post mortem cuidam juveni Monacho Germano nuncupato, simul cum S. Ioanne Euangelista gloriosus apparuit; ascriptusque pro merito in Menologio ad hanc diem. Exordium *lib. 5. cap. 26.*

In Hispania Venerabilis Mater Bernarda Abbatissa S. Spiritûs de Olmedo, quæ multis virtutibus celebris & peculiari sanctimoniâ insignis, omnibus in exemplum fuit, Deoque soli placere studuit. Vndè charismatum gratiis irrorata, sæpè inter orandum è terra elevabatur, & ad cælestia spiritu rapiebatur, astantibus cæteris Monialibus, quibus tandem præfecta est. Sed quamvis corpore constituta in hac peregrinatione, degere in terris videretur, cum Angelis tamen conversari credebatur, per continuam quam habebat in Deum attentionem. Mortuaque ultimo sæculo & anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, suarum virtutum & piorum operum Præconem habuit Iosephum de Velasco in vita Francisci Iepes, instriptaque est Menologio ad hanc diem. Ioseph de Velasco *in vita Francisci de Iepes lib. 1. cap. 11.*

TERTIO NONAS APRILIS.

Tertio Aprilis.

IN Germania Cœnobio Paludis-Comitis olim Guillelmitarum Monachorum nunc Cisterciensi reformationi subdito, dedicata est Ecclesia à Coloniensi E- Ex actibus hujus loci.

piſcopo ſuffraganeo, qui diem anniverſarium in feriam ſecundam ſolennitatis Paſchalis tranſtulit.

Vita ejus conſcripta à Bernardo de Brito Luſitanico idiomate tom. 1. Chronicorum lib. 6. c. 34.

In Luſitania B. Giomaria Virgo Sanctimonialis Converſa, quæ ſpretis ſæculi delitiis, Chriſti jugo collum ſubjecit & in Cœnobio Lorvanienſe Ordinis habitum cum velo ſuſcepit: ubi poſtquàm multis jejuniis, verberibus, ciliciis ac vigiliis corpus domaſſet & fregiſſet, animã puriſſimam tranſmiſit ad cælos. In cujus tranſitu auditus eſt Angelorum concentus, Hymno ipſo *Te Deum laudamus* auribus aſtantium Monialium reſonante, in illius beatitudinis ſignum; viſuſque fuit ſplendor quidam inſtar ſolis, ab ipſo loco ejuſdem dormitionis ad cælum uſque radios protendens. Quam ob cauſam aſcripta remanet Giomaria in Menologio ad hanc diem.

Chronicon Villarii.

In Brabantia B. Hermannus Villarii Converſus, qui pauperum curæ & miniſterio deputatus, cum mira humilitate iiſdem ſubvenit; plenuſque bonis operibus ac divinâ luce illuſtratus, factus eſt de propria ſalute ſecurus, impertranſito purgatorii loco ad cælum ſublatus eſt ab Angelis, poſt mortem olim dum viveret cultui beatæ Virginis deditus; memoraturque in Chronico Villarienſi & in Menologio Henriquei ad hanc diem annotatus.

PRIDIE NONAS APRILIS.

Quarto Aprilis.

Vita S. Bernardi cap. 1.

IN Burgundia Caſtro de Fontanis non longè à Divionenſi civitate depoſitio beatæ Aleidis ſeù Alethæ Sancti Patris Bernardi genitricis, quæ nobili ſtirpe nata & Teſcelino viro nobili in pubertate nupta, ſic in matrimonio piè & ſanctè vixit, ut liberos quos ex eodem conjuge ſuſcepit, non tàm viro & ſæculo quàm Deo & cælo genuit. Mox enim ut patri eos ediderat, ipſa propriis manibus eos Deo offerebat; nec fruſtrà quidem, nam ipſi in pietate ſic à matre nutriti & educati ac groſſioribus cibis aſſueti in juventute, Ciſtercienſis Eremi poſteà cultores evaſerunt: totque Sancti

extiterunt quot erant Fratres & Liberi. Nec solùm suis utilis fuit B. Aletha, sed & aliis, externis & inopibus; nam charitate plena domos ægrorum frequenter invisebat; de pauperum numero diligenter inquirebat per urbem & oppida vicina, sicut & de infirmis ut iisdem subveniret, & de suis bonis, quod vitæ & remediis necessarium erat, subministraret. Quid plura? Claudorum & debilium maximam habebat curam; non servis nec famulis nec aliis ancillis ad hæc charitatis opera utens, sed semetipsa ad eorum domicilia pergebat & unicuique quod opus erat, præbens, per Xenodochia conversabatur; & ibidem infirmis ministrans vilia exercebat, cibum porrigebat, calices & crateras diluebat, & cætera alia hujusmodi quæ famularum & ancillarum erât, agebat. Pia etiam S. Ambrosii cultrix existens, per singulos annos in ejusdem Sancti solenniis universos Clericos, qui reperiri poterant in vicinis locis, vocare solebat; quos eâdem die quidem in honorem S. Præsulis cibo & potu post sacra reficiebat. Ipsam verò Aleydis pietatem remunerare volens Deus, eandem ad se eâ die sancto Doctori sacrâ vocare voluit. Quod quidem divinitùs eidem renuntiatum est. Sicque præscia mortis suæ & jam mori parata, convocatis Clericis per Guidonem Filium primogenitum & sacris Ecclesiæ sacramentis munita, inter psalmos & preces eorundem Clericorum, dùm hæc litaniæ verba proferret, *per Passionem & crucem tuam libera eam Domine*, sanctissimo fine vitam clausit. Ejus corpus Divionem delatum in Benigniana Æde à Monachis Benedictinis primò reconditum est, uti vivens constituerat; ac tandem hinc Claramvallem asportatum sub honorifico tumulo juxtà filios & sponsum Tescelinum adhuc repositum est.

Mediolani in Basilica sancti Ambrosii hujus civitatis Episcopi olim Cistercienfibus Monachis tradita & concessa Festivitas ejusdem Doctoris eximii omni cum honore recolenda.

In Hispania B. Gunzelinus Morerolæ Abbas; qui quondam à gravi morbo curatus & sanatus S. Patris Bernardi precibus & meritis, suscepto habitu Ordinis tantâ virtute enituit, tùm animi patientiâ tum vitæ puritate, ut sublatus *Seguinus in Catalogo Sanctorum Ordinis.*

è mortali vita felici transitu ascribi meruerit post mortem huic seriei Sanctorum Ordinis, & Catalogo Beatorum ejusdem Instituti apud Henriquecum ad hanc diem.

NONIS APRILIS.

Quinto Aprilis.

Vita S. Andreæ. Manrique *in Catalogo*, & alii.

IN Claravalle beatus Andreas Monachus & sancti Patris Bernardi germanus frater, qui ab adolescentia miles factus, & à sancto Patre Bernardo posteà salutaribus monitis conversus, ac ad claustri ingressum excitatus, disruptis sæculi nexibus, cum eo & aliis suis fratribus apud Cistercium secessit, & ibi Monasticum habitum induit. Missus autem post probationem & professionem in novam constructam seu construendam Claramvallem à S. Patre Stephano Cistercii Archi-Abbate, insignis illius Cœnobii cum aliis prima fundamenta posuit: & ibi tantâ sanctimoniâ refulsit, ut factus à beato Patre Bernardo Cœnobii Portarius, in omnibus obsequentissimus extiterit. Vndè piâ morte consummatus, post mortem tanquàm sanctus est existimatus, & jure Catalogo illustrium Ordinis virorum est ascriptus, sepultusque cum sanctis fratribus in Cœmeterio Abbatum.

Monumenta hujus loci. Arnoldus *in Auctario ad Molanum.* Calendarium *SS. Belgii.*

In Belgio B. Ioanna Belli-Prati propè Gerardi montem Sanctimonialis, quæ susceptâ ibidem Monasticâ veste, piis operibus ita se dedit, ut magnam animi demissionem in omnibus sit consecuta. In cujus virtutis signum & sui cultus in sanctissimam Trinitatem, post mortem exultans & insigni gloria coruscans, ac gemmâ eximii splendoris insignita, sorori suæ etiam Moniali apparuit, eique felicitatem quam consecuta fuerat in cælis, significavit. Memoratur autem ipsa ab Arnoldo in Auctuario ad Molanum & ab Henriqueo ad quintam Aprilis diem.

Vita ejus apud Villarium. Miræus *in Chronico*, & alii.

Eodem die in Belgio & oppido Fossensi feria tertia & hora diei nona, depositio beatæ Iulianæ Corneliensis Sanctimonialis & Priorissa; quæ à juventute vix quinque aut sex

annis nata, Cistercienſibus Virginibus Montis-Cornelii in Leodio tradita eſt inſtruenda: ubi multis dotibus animi & virtutibus in brevi ornata, ſub Sapientia hujus loci Priorisſa multum profuit cum Agnete ſorore. Vndè grandior facta, religionis habitum ſimul cum velo ſuſcepit. Tyrocinio autem ritè expleto, & multis datis futuræ ſuæ ſanctitatis ſignis & indiciis, ſolennia vota emiſit: creſcentibuſque donis & chariſmatum gratiis, omnibus in admiratione fuit; defunctæ verò Sapientiæ Priorisſæ, ſucceſſit in officio pro vitæ merito beata Iuliana in ejus locum à Monialibus electa. Quæ quidem ſuarum inferiorum utilitati & profectui ſpiritali invigilans, ne nimiâ Leodienſium illuc advenientium converſatione & libera familiaritate minueretur obſervantia regularis in hoc Cœnobio: oſtio intercluſo Leodienſibus civibus facta eſt iiſdem infenſa; à quibus hac de re multa probra & opprobria pro juſtitiæ & diſciplinæ Monaſticæ conſervatione & defenſione perpeſſa eſt. Imò vi & violentia hinc cum ſuis & Confeſſario Ioanne viro peritisſimo, alio liberioris vitæ ſubrogato, expulſa, & conceſſo Cœnobio, contra jus, Monialibus alterius Ordinis, coacta eſt ipſa beata virgo per varia loca & Ordinis Cœnobia divagari, nullam habens certam manſionem, videlicet in Roberti-monte, in Valle-benedicta, in Valle beatæ-Mariæ, ac tandem in Salſinienſi Cœnobio, ubi ad tempus pedem fixit, ubique pauperiem ſufferens, ſanctitate celebris & revelationibus inſignis. Inter quas revelationes non minima fuit illa quam de Auguſtiſſimi Sacramenti feſto habuiſſe dicitur, cùm inter orandum ſæpe ſæpius luna quædam ſeu globus ſidereus quadam macula defæcatus eidem præoſtenſus eſt. Quo ſigno temporis ſucceſſu & poſt plures hac de re effuſas preces, Eccleſiæ corpus miſticum per lunam ſignificatum quendam defectum in Feſtorum celebratione habere cognovit, ipsâ Eccleſiâ ſolennitatem Auguſtiſſimi illius Sacramenti feſto aliquo peculiari nondum adhuc celebrante. Viris autem quibuſdam & piis & doctis communicata viſione, ipſi rem probantes, apud plures Eccleſias ſed præſertim in Leodienſi tale feſtum Corporis Chriſti Domini celebrare procuravit, & Ioannes Cornelienſis Prior ad inſtan-

tiam Iulianæ ſuum quod de ipſo Feſto compoſuerat officium, ſub hoc initio, *animarum cibus*, edidit & evulgavit. Quod quidem uſque dum aliud juſſu ſummi Pontificis compoſitum à ſancto Thoma Aquinate fuerit, Eccleſiæ inſervivit. Promulgatâ autem poſteà celebratione Feſti per totam Eccleſiam ab Vrbano IV. S. Iuliana ejuſmodi Solennitatis cenſenda eſt prima Inſtitutrix. Quæ quidem ad mortem uſquè perſeverans in arrepta ſanctitatis ſemita, poſt plures paſſas ærumnas, & prædictam Salſinienſis Cœnobii everſionem à Namurcenſibus, ac futuram Ioannis Cornelienſis Prioris mortem; tandem gravi morbo correpta & Eccleſiæ Sacramentis munita, ac omni ſanctitate decora prædictaque mortis ſuæ hora ipſa 2. die Aprilis, ad cæleſtis ſponſi nuptias hac præſenti die & ſupradicta hora feliciſſima morte perrexit & introivit, Angelis quidem ſocianda, utpotè quæ in hac vita pro animi & corporis puritate non inferior Angelis extiterat.

OCTAVO IDVS APRILIS.

Sexto Aprilis.

Surius & Baronius.

IN Dania & Cœnobio Eſron Diœceſis Roſchildenſis ſanctus Guillelmus Abbas, Canonicus quidem Regularis olim ex Galliis & Cœnobio ſanctæ Genovefæ Pariſienſis in has plagas emiſſus, ſed Ordinis Ciſtercienſis Familiaris, qui in hoc Cœnobio ſepeliri voluit ſignis & virtutibus admirandus. Monachus enim quidam hujus loci à pluribus diebus æger ſanatus eſt illius Sancti meritis; qui quidem Sanctus ſucceſſu temporis Albo ſanctorum aſcriptus eſt ab Honorio III. Summo Pontifice, anno reparatæ ſalutis milleſimo ducenteſimo vigeſimo quarto. Ejus autem vita legitur apud Surium & Baronium.

Miræus *in Chronico.* Chronica Montalbi *lib. 5. c. 42.*

In Hiſpania depoſitio venerabilis Patris Martini de Vargas primi Ordinis Ciſtercienſis Reformatoris in his regionibus, qui ſuſcepto Ordinis jugo in Monaſterio de Petra cùm Ordinem collapſum in temporalibus & ſpiritualibus cerne-

ret, inter deplorandum Commendatariorum Abbatum statum, honoris Dei, animarũ salutis, & strictioris observantiæ zelo succensus post studia expleta & Baccalaureatûs gradum adeptum, Primorum Ordinis Patrum æmulator fieri studuit. Abstinentiam enim à carnibus perpetuam, juxta Regulæ præceptum, jejunia regularia amplectens, indusium laneum induit, ac in omnibus antiqua Ordinis Statuta suscepit observanda. Impeditus tamen à pluribus & maximè à Superioribus, speciale Rescriptum à sancta Sede obtinuit; munitusque tantâ authoritate, multos alios antiquæ observantiæ Monachos sibi associavit, quibus leges reformationis suæ dedit. Cùmque integra Monasteria sub initio reformanda habere non posset, constructo novo Cœnobio Montis-Sion ex fidelium eleemosinis, ibidem pedem fixit, & Novitios ad ipsam reformationem accedentes suscepit. Pluribus autem congregatis discipulis, & pluribus successu temporis reformatis Cœnobiis, cùm multis annis piè & sanctè hanc Congregationem rexisset, & multis piis legibus munivisset, obiit in senectute bona post plures perpessos labores & vexationes, ad annum 1440. aut circiter.

Villarii in Brabantia B. Henricus de Gest hujus loci Monachus, qui mundo & sæculo valedicens, corde compunctus, vitam Monasticam ibidem suscepit; tantamque vitæ innocentiam adeptus est plurimarum virtutum exercitio, ut mortuus in senectute bona, ascriptus fuerit inter Villariensis eremi Sanctos. Memoratusque in Menologio Ordinis, meruit ut corpus ejus inter cætera alia Sanctorum hujus loci cadavera decenti cum honore reponeretur. Chronicon Villariense

---

SEPTIMO IDVS APRILIS.

Septimo Aprilis.

IN Campania Monasterio Monialium sancti Iacobi de Vitriaco Festivitas sancti Clotarii Confessoris, ob Reliquias ejus ibidem repositas: ubi memoria ejus est celebris ob peregrinos illuc advenientes. Ex ejus loci traditione.

Cæsarius lib. 7. cap. 52. & plures alii.

In Germania & Hemmerodensi Monasterio beatus Hermannus Monachus, virtute & cælestibus coruscationibus repletus, qui specialis Beatæ Dei Genitricis cultor factus, solita precum pensa eidem Virgini persolvere neutiquàm omittebat. Vndè ei gratus existens ejusdem meritis & auxilio, multis gratiis & favoribus è cælo est insignitus. Inter quos exiguus ille favor non videtur, quòd ab ea de salute securitatem per oraculum acceperit, mortisque suæ præscius extiterit. Meritis autem & miraculis, ut dicitur, clarus, corpus exuit, ut anima Sanctorum gloriâ frueretur. Ferturque vivens ad obedientiam sibi reddendam bruta coëgisse in signum innocentiæ suæ, & hac die ejus memoria recolitur in Calendario Sanctorum Ordinis.

Sacrarium Leodiense & vita B. Iulianæ.

Prope Leodium in Monte-Cornelio B. Ermentrudis Monialis hujus loci, quæ fideli imitatione & æmulatione adhærens beatæ Iulianæ Priorissæ multa cum ea pro Christo sponso probra est perpessa, facta exul per plura Cœnobia Ordinis; ubi tandem pluribus probata pœnis & vexationibus, in pace quievit: ascriptaque manet inter Sanctas in sacrario Leodiensi & in Henriquei Menologio ad hanc diem.

SEXTO IDVS APRILIS.

Octavo Aprilis.

Vita ejus M M. Chronicon Villariense & Claravallis.

CLaravalle in Burgundia beatus Guillelmus Abbas, qui habitu suscepto Ordinis apud Villarium in Brabantia, & ibidem bonis moribus imbutus, ac pro meritorum gloria & ratione, post quosdam annos à professione emissa præfectus Abbas, virtutis exemplo & bonæ famæ odore longè lateque diffuso, refulsit. Vndè nobiliore adhuc dignitate donatus & factus Abbas Claravallis, insigniori etiam virtute illuxit. Liberalis enim in pauperes, austerus sibi, benignus ad omnes, omnium benevolentiam facilè sibi devinxit & conciliavit. Pro Ecclesiæ urgentibus negotiis Romam à summo Pontifice vocatus ad Concilium Lateranense

nense sub Gregorio IX. celebrandum, cum Bonifacio Abbate Cistercii simul cum pluribus aliis Episcopis & Abbatibus, pro libertate Ecclesiastica tuenda à militibus Friderici Imperatoris tunc infensi Ecclesiæ authoritati, incarcerem trusus est. Vbi expleto triennio, plures ærumnas perpessus, egregius Confessor occubuisse dicitur, sive adhuc in carcere detentus, sive jam solutus; & laboribus carceris fractus in Gallias revertens, morbo ex prioribus pœnis contracto; corpus verò Claramvallem relatum & juxta morem lotum, magno miraculo splendidum penitùs visum fuisse dicitur, ut nequidem sexus potuerit cognosci in signum puritatis. Ejus verò beatitudo cuidam piæ Sanctimoniali revelata fuit: Imo vivens ipse miraculis fulsisse fertur, Deo ipso, bovem quem Abbas aliquando charitativè concesserat & dederat pauperi, alium gregi substituente. Meritò itaque Guillelmus ipse in Calendario Beatorum Ordinis reponitur cum aliis ad hanc diem Aprilis.

QVINTO IDVS APRILIS.

Nono Aprilis.

IN Wasconia & Cœnobio Grandisilvæ B. Guillelmus Monachus de Montepessulio dictus, qui nobili prosapia ex Regibus & ferè omnibus orbis Christiani Principibus ducta genitus, ac Montispessulanæ urbis Dominus & Marchio spretis sæculi pompis, honoribus ac opibus, sæcularique fastu contempto, humilis factus est Grandisilvæ Monachus. Vbi tantis claruit virtutibus, ut omnibus adhuc vivens in admirationem fuerit: Nullus enim eo humilior, nullus obsequentior, nullus rigidior. Missus verò in varia loca per Wasconiam & Navarram seu Hispaniam ut plurima fundaret Ordinis Cœnobia, suavem ubique vitæ suæ reliquit odorem. Reversus verò in pristinum suæ stabilitatis Cœnobium, in arrepto perfectionis tramite perseveravit; nec mirum si eum Bernardus Abbas Claræ vallis vivens honore prosequutus fuerit. Senio autem fractus Guillelmus & bonis

Ioannes Abbas Cistercii *in Catalogo SS. Ordinis.*

S

operibus dives, felici transitu sublatus est ad cælos: multaque suis temporibus, ut dicitur, patravit miracula. Hac de causa Calendario Sanctorum jure ascriptus est ad hanc præsentem Aprilis diem.

QVARTO IDVS APRILIS.

Decimo Aprilis.

IN Pictavia Cœnobio de Columna seu Columba dedicatio Ecclesiæ hujus loci omni anno solemniter ibidem recolenda.

Firmitatis schedulæ.

In Burgundia Cœnobio Firmitatis B. Bertrandus primus hujus loci Abbas, qui post sanctissimam vitam apud Cistercium ductam inter Primarios Ordinis Patres & Institutores sanctis Abbatibus Roberto, Alberico & Stephano, tandem ab ipso ultimo transmissus est in vicinum agrum Cabilonensem seu Matisconensem ut Ordinem dilataret; fundatoque Cœnobio Firmitatis primogenitæ Cistercii filiæ, præfectus est Abbas; in qua dignitate, pietate, humilitate & cæteris virtutibus claruit, & consummatus in brevi trium aut quatuor annorum regimine, explevit tempora multa. Mortuus in senectute bona in primævo adhuc Ordinis fervore, ascriptus hac de re apud Henriquem ad hanc diem.

Baronius, tom. 12. ad annum 1148.

In Gallia & Cœnobio Clarævallis moritur beatus Eschillus Lundensis Archiepiscopus, Daniæ ac Sueciæ Primas, qui ex nobilissima stirpe natus in juventute sæculi delitias est sequutus; studiis tamen incumbens cùm aliquando in gravem morbum incidisset, visione sibi facta è cælo terribili quidem sed salubri, voto facto plures sacras Ædes sub beatæ Virginis invocatione construendi, sanatus est & conversus. Quod votum adimplens, plura fundavit Cœnobia in propria diœcesi. Postquàm autem oves sibi concreditas salutari pabulo per multos annos pavisset, multa pro libertatis Ecclesiasticæ defensione sustinuisset: jam senex è propria sede pro constantia pulsus, venit in Claramvallem, uti jam à pluribus annis voto exoptaverat; ubique humilis

factus hospes seu Monachus, magnæ humilitatis, religionis & totius honestatis speculum se exhibuit, ut in ejus elogio legitur. Mortuus autem in senectute bona, honorificam pro meritis sepulturam accepit in eadem Claravallensi Basilica sub arcu lapideo ad aræ sancto Salvatori sacræ sinistram, anno reparatæ salutis millesimo centesimo octuagesimo primo hac die Aprilis.

TERTIO IDVS APRILIS.

Vndecimo Aprilis.

IN Wasconia B. Stephanus Abbas, qui ab hæreticis Albigensibus, quibus erat infensus propter fidei constantiam & publicam confessionem, in odium ejusdem fidei aggressus simul cum Ildebrando Converso, triginta vulneribus confossus gloriosè occubuit. Memoratur à Seguino Montalbo & aliis, ac præsertim ab Henriqueo ad 10. diem Aprilis.

Bzovius *in Annalibus ad annum 1209.*

Seguinus & Fasciculus *lib. 2. dist. 39. cap. 3.*

Ibidem B. Ildebrandus supradictus Conversus, qui ob similem constantiam ac Stephanus ab iisdem hæreticis exosus, pro fide sex vulneribus est impetitus, sicque Martyr effectus, pia morte quievit ad annum reparatæ salutis millesimum ducentesimum nonum, ut annotavit in Annalibus suis Bzovius & Henriquecus in suo Menologio ad hanc diem & in Calendario Ordinis, suppressis tamen nominibus.

Bzovius *ibid.*

In Hispania Venerabilis Pater Angelus de Victoria Monachus Ferrariensis, qui ob vitæ probitatem variis in locis & Monasteriis dignitatem Abbatialem exercuit, videlicet in Ferrariensi & Superatensi, & alibi. Posteà autem præfectus & electus Reformator Generalis totius Hispanicæ Congregationis, novos virtutis radios in subditos suos transmisit. Moriensque in suæ sanctitatis signum, lucidissimam stellam super locum ubi jacebat subsistentem habuit. Memoratur apud Henriqueum ad undecimam Aprilis.

Fasciculus *lib. 2. dist. 39.*

PRIDIE IDVS APRILIS.

Duodecimo Aprilis.

Calendarium SS. Ordinis.

IN Germania persecutio multorum Monachorum Ordinis Cisterciensis, qui ab universis Imperii plagis relegati tempore Friderici Imperatoris tranquillum Ecclesiæ statum suo schismate perturbantis, ad annum millesimum centesimum sexagesimum secundum quòd Victori Antipapæ non obedirent, sed Alexandrum III. tanquàm verum Pontificem colerent & agnoscerent, multa perpessi sunt vitæ incommoda, probra & opprobria. Memorati in Calendario Ordinis Divione excuso ad hanc diem, quâ fortè promulgatum fuit expulsionis Edictum.

Munsterus lib. 3. Cosmographiæ universalis.

Britus tom. 1. Chronicorum lib. 5. cap. 20.

In Dania memoria pii Regis Daniæ Erici, qui relicto sceptro & regni opibus pro Christo, in Monasterio B. Mariæ de Fyonia à se constituto & constructo, postquàm suscepisset Monachos Claræ vallenses ad se destinatos, cum iisdem vivere voluit assumpto Ordinis habitu. Ibique post purissimam vitam sancto fine quievit: insertus Menologio Henriquei ad hanc diem.

In Germania B. Theodoricus Eberbacensis Monachus Sacerdos & vir admodùm simplex & tanquam verus Israëlita in quo non erat dolus; cui multa divinitùs ostensa sunt, & post mortem concessa æterna felicitas pro meritorum gloriâ inscriptus inter Ordinis Sanctos ad 12. Aprilis.

IDIBVS APRILIS.

Decimo tertio Aprilis.

Vita ejus M. M. in Rubra Valle quam Gallicè edidit Ioannes de Assigny.

IN Belgio Cœnobio Vallis-Rosarum Monialium Ordinis Cisterciensis B. Ida Lovaniensis, quæ ab incunabilis gratiarum charismate à Deo præventa, cùm vix esset septem annorum nata, plura signa futuræ suæ sanctitatis dedit. Nam

cùm aliquando in supradicta ætate missæ sacrificio pia interesset; stella quadam lucidissima undequaque lumen emittente illustrata est & notata. Vndè devotior adhuc & ardentior in pietate facta, Christi Domini mortis meditationi tota est dedita; quâ consideratione tanto amore in ipsos dolores cælestis sponsi affecta est, ut sponso ejus votum exaudiente, quinque vulnerum stigmata manibus, pedibus nec-non & lateri sanctæ Virginis impresserit, & quæ dudum in cruce pro totius mundi salute Salvator noster IESVS CHRISTVS ex clavorum confixione sustinuit, horum sponsæ suæ gratissima monumenta non tam in memoria, quàm in suo corpore perferenda, insigni satis miraculo commendaverit. Sicque particeps dolorum Christi facta & miraculis clara extitit insignis. Sororem enim quamdam mortuam, sola sua oratione ad vitam revocasse dicitur; & extra se sæpè sæpiùs inter orandum rapta, plura sibi nota è cælo fecit arcana. Tandem autem postquàm multis annis in Valle-Rosarum charitatis operibus & bonis moribus eluxisset, ad amplexum sponsi divini suspirans, suavi morte extincta est, ut Agnum quocunque iret cum aliis Virginibus sequeretur. Ascripta post mortem in Calendario Sanctorum Belgii apud Arnoldum in Auctuario ad Molanum, & in Menologio Ordinis. Miræus & alii.

In Delphinatu Galliæ Provincia B. Hilarius Monachus Bonævallis Viennensis, qui ibidem vitam monasticam professus à juventute sub B. Hugone Abbate, magnam vitæ sanctimoniam successu temporis adeptus est. Nam factus in Deum pius, in præceptorem & Abbatem obediens usque ad mortem, in omnes Confratres benevolus & amabilis, evasit omni virtute conspicuus per vitam, etsi brevissima fuerit. Vix enim tribus annis transegerat in claustro, ut in cælum raptus fuerit è terrâ, ne malitia mutaret intellectum ejus. Post mortem verò apparuit gloriosus B. Hugoni Abbati, cui beatitudinis suæ notitiam dedit; ascriptus in Menologio Sanctorum Ordinis ad hanc diem Aprilis. Seguinus *lib. 3. SS. Ordinis.*

DECIMO OCTAVO CALEND. MAII.

Decimo quarto Aprilis.

Britus *tom. 1. lib. 2. cap. 6.*

IN Claravalle Ioannes Monachus, qui post probatissimam vitam quam ibidem duxerat à sancto Patre Bernardo in Lusitaniam transmissus est cum pluribus aliis, ut ibidem ferventi animo Cisterciense Institutum propagaret & foveret. Quod ita feliciter egit, ut consummatus in brevi, tempora multa suis piis operibus expleverit; ascriptus Menologio Cisterciensi ad hanc diem.

Monumenta Cadunii.

In Petragorio diœcesis Sarlatensis & Cœnobio Cadunii Ordinis Cisterciensis festivitas sanctissimi Sudarii Christi Domini, quod anno reparatæ salutis millesimo nonagesimo octavo Antiochiæ inventum in vase argenteo cum lancea quâ Christi Domini latus percussum est, datum est post captam ipsam urbem à Christianis Ademaro Episcopo Podiensi & in his partibus tunc temporis sanctæ Sedis Legato, qui Episcopus idem sanctissimum munus in Gallias transimisit per quemdam suum Capellanum Petragoricensem Sacerdotem; ac tandem repositum in quodam sacello, & per incendium hinc translatum, nostris Cisterciensibus est concessum, anno salutis millesimo centesimo decimo nono: multumque ibi à peregrinis veneratum, peculiarem solennitatem pro fidelium devotione habere meruit, cum proprio officio, die lunæ sequente secundam Dominicam post Pascha; quâ quidem die & sequentibus explicatum omnibus accedentibus ostenditur, ac multis semper claruit & claret miraculis; & nunc ejus cultus revivíscere videtur curâ & devotione Patrum strictioris observantiæ Ordinis Cisterciensis ibi commorantium, restituta antiqua ejusdem sacri pignoris confraternia.



DECIMO SEPTIMO CALEND. MAII.

Decimo quinto Aprilis.

IN Hispania & Cœnobio Hortensi crescente fidelium devotione & cultu ex signis & miraculis factis ad B. Martini, olim hujus loci Abbatis, & posteà Episcopi Seguntini sepulchrum, facta est anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo ejusdem B. Viri corporis elevatio cum solenni ritu & populi magno concursu; & in suis Annalibus annotavit Manriqueus, & in suo Beatorum Ordinis Calendario ad hanc diem Aprilis Henriqueus. Monumenta Hortæ.

In Germania B. Christina Sanctimonialis montis sanctæ Walburgis, cui Christus Dominus & alii Cælicolæ ob admirandam ejus sanctitatem plura abdita & hominibus prorsus incognita revelavit; variisque coruscationibus illustris, aliquandò puerum Iesum quasi recenter natum speculari, deosculari & gestare meruit. Peroptans verò de die in diem dissolvi & esse cum Christo sponso, hora mortis suæ priùs prænuntiata, feliciter expiravit; memorata apud Henriqueum ad decimam quintam Aprilis. Cæsarius *lib. 7. cap. 21.* Montalbus *tom. 1. Chronic. lib. 2.*

In Claravalle B. Goduinus Monachus, qui è Monasterio Aquicinctino egressus, ut in strictiori Regulæ observantià apud Claramvallem sub sancti Patris Bernardi magisterio viveret; non sine luctu omnium suorum Confratrum & proprii Abbatis, quos deserebat, hoc egit. Consummatus tamen in brevi in Claravalle per specialem in virtute profectum, explevit tempora multa. Mortuus cum sanctitatis nota, meruit post mortem à beato Bernardo multis præconiis sanctitatis laudari, ac tanquam sanctus existimari, ut Epistolâ suâ 65. declarat ipse Bernardus, & eum Henriqueus jure suo Menologio ad hanc diem inseruit. S. Bernardus *epist. 65. ad Alvisium.*



DECIMO SEXTO CALEND. MAII.

Decimo sexto Aprilis.

Cartæ hujus loci.

IN Agro Carnotensi in Gallia Cœnobio Sanctimonialium de Aqua filiationis Cistercii festivitas sanctæ Honoratæ virginis & martyris; quæ cum sancta Vrsula & aliis consodalibus pro Christo sponso ad eremi ostium trucidata est, ejusque sacrum corpus è sacro Coloniensi Cœmeterio allatum in Gallias, ibidem quiescit in Sacello ad cornu Epistolæ à peregrinis frequentato, & habet ibi proprium officium.

In Cenomania & Cœnobio de Pietate-Dei dedicatio Basilicæ ejusdem loci hâc præsenti die solenni ritu celebrata.

Calend. Ordinis.

Monumenta Clarævallis.

In Claravalle beatus Guillelmus Abbas olim sancti Albini Andegavensis Ordinis sancti Benedicti, qui abdicata dignitate Abbatiali, ut Cisterciense Institutum profiteretur; sub sancto Bernardo Abbate factus est humilis Asceta Claræ vallis: ubi tanto charismatum gratiarum rore perfusus est, ut continuè cælestium rerum meditationi insistens, plures è cælo acceperit illustrationes. Factus autem Angelis & cælestibus illis spiritibus familiaris, eorum puritatem æmulari studuit: imò inter orandum plerumque visis ipso Christo Domino, sanctis Patribus Benedicto, Bernardo, Malachia, ac pluribus aliis cælitibus, dum adhuc viveret in hoc mortali corpore, non mirum si prævisa seu præostensa sibi mortis hora, virtutibus clarus obierit, & inter cæli cives ascriptus fuerit in Calendario Ordinis hac die & à plurimis Authoribus cum laude memoratus.

Arnoldus Vvion *ligno vitæ lib. 1. cap. 45.* Montalbus *lib 1. Chronicorum c. 45.*

Pontigniaci in Agro Antissiodorensi moritur pius pater Guarinus seu Warinus de Girardo dictus, tertius hujus loci Abbas, qui pro vitæ suæ ratione & merito, post longum & pium regimen ad Archipræsulatum Bituricensem est sublimatus, ubi multis sanctis operibus claruit. Albigensibus autem hæreticis pro zelo suo infensus, quo potuit modo, eosdem coërcuit disputationibus & concionibus. Amplitudini etiam

etiam & dignitati suæ primariæ Ecclesiæ cathedrali consulens, Canonicorum suorum præbendas & numerum auxit, ut divinis Officiis instantiùs & frequentiùs adessent. Visitata verò Burdegalensi Ecclesia tanquam Aquitaniæ Primas, Clericorum mores reformari & corrigi studuit. Imò ad Concilium Lateranense vocatus, ad annum Domini millesimum centesimum octogesimum graves sententias dixit. Quo finito jam senio confectus, rediit in Gallias; ubi plenus meritis & virtutibus, obiit in senectute bona. Corpusque ejus uti vivus exoptaverat, Pontigniacum delatum est, & ibi sepultum creditur; non longè à præcipua Basilicæ ara ad cornu Evangelii hac die anno à reparata salute millesimo centesimo octogesimo primo.

In Germania & Hemmerodensi Cœnobio fulgentibus & coruscantibus miraculis ad beati Davidis hujus loci Monachi insignis sanctitatis sepulchrum hac die Aprilis anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quarto, obtentâ priùs à Superioribus Ordinis licentiâ, sanctissimum corpus ejusdem viri è Capitulo, in quo priùs pro dignitate sepultum fuerat, in locum decentiorem translatum est solenni ritu, & in lipsanoteca plumbea repositum, ut testantur Chartæ Hemmerodenses, visiturque adhuc idem sepulchrum ab omnibus qui hoc Cœnobium adeunt. *Monumēta Cœnobii Hemmerodensis.*

In Anglia beatus Silvanus Rievallis Abbas tertius, qui post susceptum Ordinis habitum multis virtutibus claruit; hacque de causa communi Fratrum suffragio ad Monasterii Rievallis regimen vocatus, multis profuit vitæ suæ exemplo; mortuusque cum sanctitatis opinione, pluribus præconiis à Nicolao Rievallis Monacho multum laudatus est & celebratus. Ascriptusque est Calendario Ordinis ad hanc diem. *Nicolaus Rievallis. Picardus in notis ad Epistolas S. Bernardi & alii.*



QVINTO DECIMO CAL. MAII.

Decimo septimo Aprilis.

Decretum Capituli gen. an. 1618.

CIstercii in Burgundia festivitas S. Patris Stephani tertii Abbatis hujus loci in hanc diem translata propter diem migrationis ejus quadragesimalis seu paschalis officii impeditam, qua quidem præsenti die Sanctorum Catalogo solenni ritu ascriptus dicitur. Festivitasque illa annotatur, & inserta est Martyrologio Romano, quæ nonnisi hoc præsenti sæculo millesimo sexcentesimo in Ordine celebratur; edito hac de re Decreto in Capitulo generali Cistercii habito anno 1618. aut circiter, & paulò post super sepulchrum hujus Sancti Patris erectum est altare in majori claustro Cistercii ad Ecclesiæ fores.

Chronicon Villarii. Arnoldus de Raisse. Ioannes de Assigny *in vitis SS. Ordinis.*

In Brabantia beatus Bernardus Villarii Monachus, qui multis virtutibus decoratus, & forti patientia munitus, gravissimos & acutissimos dolores ita tranquilla mente sustinuit, ut diù in fornace tribulationis & ægritudinis decoctus & probatus, vas purissimum totius gratiæ & sanctitatis evasit. Mortuus autem in senectute bona, beato Abundo ejusdem loci Monacho gloriosus apparuit. Memoratus in Menologio Henriquei ad hanc diem Aprilis & in Chronico virorum illustrium Villarii.

QVARTO DECIMO CALEND. MAII.

Decimo octavo Aprilis.

Buttius *in Chronic. Dunensi.* Arnoldus de Raisse. Theodorus Pybes Doctor.

DVnis in Belgio depositio beati Isdebaldi hujus Monasterii tertii Abbatis, qui suscepto Ordinis habitu apud Dunas, omni vitæ sanctimonia conspicuus extitit, sicut & B. Bernardi Claræyallensis Abbas adhuc in vivis sedulus æmulator. Electus autem in Abbatem Cœnobii suæ stabilitatis præfuit & præluxit suis verbo & exemplo. Ca-

nonizationem verò Bernardi quondam magiſtri ſui apud ſummum Pontificem Alexandrum III. omni modo quo potuit procuravit; ſed mortuus poſt plura data ſuæ ſanctitatis teſtimonia, perpetuum adhuc ipſius ſanctitatis ſignum poſteris reliquit, dum magno miraculo ab illis temporibus Sanctum ejus corpus ab omni corruptione illæſum, quamvis variis in locis ſepultum ſub undis, & pluries ſub terra ſeu potiùs arena maris reconditum, ad noſtrum hoc præſens ſæculum & annum 1624. perſeveravit; illæſis etiam veſtibus quibus indutum aliàs fuerat.

In Germania B. Everardus Converſus miraculis clarus, qui ollam æneam ignis calore ſolutam & fractam, ſolâ oratione ſuâ reparavit: pluribuſque aliis ſignis & piis operibus illuſtris, ſancto fine quievit; memoratus apud Cæſarium Heiſtorbacenſem libr. 10. Dialog. cap. 14. & apud Henriquеum ad hanc diem Aprilis.

Cæſarius lib. 10. dial. cap. 14.

Ciſtercii in Burgundia memoria pii Patris Iacobi vigeſimi primi hujus loci Antiſtitis, qui toti Ordini præfectus, ſuæ pietatis & virtutis ſcintillas omnibus tranſmiſit; fractuſque vitæ auſteritate & ætatis ſenio, appoſitus eſt ad Patres; annumeratus poſt mortem inter Ordinis Viros illuſtres tùm apud Ciſtercium tùm apud Menologium Ordinis ad hanc diem.

Calendaria Ordinis hac die & alii.

TERTIO DECIMO CALEND. MAII.

Decimo nono Aprilis.

IN Germania Cœnobio Hemmerodenſi alio nomine de Clauſtro beatus Vernerus hujus loci Monachus & Prior, qui zelo Dei & Ordinis ſeu Religionis ubique ſuccenſus, non ſolùm traditionum & ſtatutorum antiquorum Ordinis Patrum æmulator extitit: ſed & ea ab aliis ſibi commiſſis inferioribus obſervari curavit. Vndè opere implens quod verbo docebat faciendum & agendum, multis bonis operibus inter ſuos eluxit; mortuus in ſenectute bona non ſine ſanctitatis notâ: viſus enim eſt poſt obitum à beato Mey-

Calendarium Salmanticæ & gallicum hac die. Cæſarius lib. 11. hiſt. cap. 5.

nero Monacho gloriosus, undè amplissimam suorum priorum operum mercedem eum accepisse suspicari licet, & merito hac die nomen ejus insertum est Calendario Gallico.

DVODECIMO CALEND. MAII.

Vigesimo Aprilis.

Ex Cartis Cister. & Catalogo Abbatum.

ATtrebati in Artesia depositio beati Petri Episcopi, qui quondam Ordinis Monachus factus, ob præclara vitæ merita electus est Abbas Cistercii. In qua quidem dignitate verbo & opere præluxit, & sanctissimas leges pro regularis observantiæ conservatione condidit, condique à Patribus Capituli curavit. Quas quidem primus adimplens, boni Pastoris humeros habere demonstravit. Verùm ex Ordine raptus & ad sublimiorem dignitatem, videlicet ad Attrebatensem Episcopatum, etsi invitus, sublevatus, arreptam vivendi formam non deseruit nec mutavit: Imò austerior & ferventior adhuc factus, charismata meliora est æmulatus, & Veronæ consecratus à Guillelmo Cardinali Blesensi, sanctis moribus claruit in præsulatu. Multisque laboribus & ærumnis perpessus pro Ecclesiæ suæ juribus & animarum salute, non diù superstes fuit sui gregis paci, sed mortuus in senectute bona, suavem vitæ suæ odorem apud omnes reliquit.

Molanus ad Vsuardum 20. Aprilis. Arnoldus de Vvion *hac die* Thritemius & alii.

In Germania beata Hildegundis virgo Sanctimonialis, quæ matre orbata, & literis ac scientiis instructa ab ipsa juventute, patris sui consilio se virum simulans per habitus & nominis mutationem, Iosephi nomen assumpsit. Profecta verò cum patre è Germania in Palæstinam, ut sacra loca in civitate Ierosolymitana inviseret; patrem in itinere amisit per mortem, postquàm ipse famulo cuidam, quem sibi fideliorem existimabat, eam commendasset. Sed ipse nummos quos filiæ pater reliquerat furatus, noctù aufugit. Ipsa verò sic relicta & omni subsidio destituta, scholas tenuit, & pueros seu puellas docuit incognita, ut undè vitam susten-

taret necessaria haberet. Aliquo tamen tempore elapso, iter prosequens Ierosolimam venit, ubi casu cognatum quemdam patrem ejus quærentem inveniens, ab eo necessaria vitæ accepit, & sub ejus præsidio reversa in Germaniam, ipsum adhuc antequam patriam attingeret per mortem deperdidit. Verùm ipsa non animo cadens, Canonico cuidam se tanquam servum dedit, ut cum eo pro quibusdam negotiis urgentibus Romam pergeret. Sed ipsa pro latrone quodam, qui ei furtum suum fraudulenter & dolosè commiserat capta à satellitibus, jussa est à judice tanquàm rea suspendi in patibulo. Verùm Deo innocentiæ famulæ suæ favente, ab Angelis miraculosè sustentata est; & invento intereà reo furti, liberata est. In cujus miraculi gratiarum actionem, in Sconaugiæ Monasterium Monachorum cum virili habitu accessit. Vbi ementito sexu suscepta ad Ordinis habitum, in magna pietate & vitæ sanctimonia ad mortem usque perseveravit, post emissa vota. Placida autem morte consumpta, cùm in corporis ablutione sexus virilis non apparuisset, suspectam habuissent Monachi sanctitatem ejus, nisi signis pluribus Deus ingressum & propositum tantæ filiæ probasset, cujus tamen miranda potiùs quàm imitanda virtus posteritate relinquitur.

In Gallia Ioannes Archiepiscopus Mithelensis, qui sancto Ludovico Regi carus ob vitæ suæ probitatem, eumque ejusque curiam est sequutus tùm in ejus coronatione Rhemis facta, tùm in dedicatione Basilicæ Longi-Pontis ubi cum ipso Rege & serenissima matre ejus Blanca, ac regni Proceribus interfuit. Constructam verò pauló post ab eodem Principe Regali-montis Basilicam, ipse Archiepiscopus solenni ritu sacravit in honorem sanctæ Crucis. Sæculo autem valedicens, in Claramvallem sese recepit, ut ibi tanquàm Familiaris seu Hospes aut Monachus degeret. Quod & feliciter egit; humilem enim & purissimam vitam ibidem ducens, multis virtutibus claruit, ac tandem beato fine quievit; sepultus in Basilica, & memoratus in Menologio Beatorum Ordinis ad 20. Aprilis, ubi tamen mendosè Abbas Claræ-vallis nominatur. Dedicatio Regalis montis.

VNDECIMO CALEND. MAII.
Vigesimo primo Aprilis.

Exordium Cist. *lib.* 2. *cap.* 24. Ioannes Cistercii *in Catalogo Sanctorum Ordinis.* Molanus *in natalibus SS. Belgii.*

LVTETIÆ Parisiorum depositio Beati Fastredi Cistercii Abbatis; qui in partibus Belgicis nobilis prosapia natus, & ab ipsa pueritia jejunio ac carnis austeritate deditus, post dilatam habitus Ordinis susceptionem, quòd nimis adhuc tenerum & delicatum juvenem eum adverteret sanctus Pater Bernardus Claræuallis Abbas, cujus disciplinæ jam se devoverat; tandem quibusdam elapsis annis, ad primam petitionem rediit, & in Claravalle sub tanti Patris magisterio susceptus est Novitius. Vbi sacris Institutis Religionis imbutus, & paulatim in virtute radicatus, ab eodem Patre post emissa solennia vota, in Belgium & natale solum est transmissus, ut ibidem Camberonæ præficeretur Abbas. Sed cùm virtutis suæ lumen ubique diffunderet, fama sanctitatis ejus facta B. Roberto Claræuallis Abbati è vivis sublato, electione canonica est subrogatus. Quod quidem resciens, & onus ac dignitatem timens & respuens, ne invitus promoveretur, aufugit: diùque delituit in vicino quodam Carthusiensium Patrum Monasterio, donec divina voluntate speciali revelationis nota, & manifestata Deiparæ virginis, puerum Iesum Fastredo tradentis, visione, coactus est ipse oneri humeros submittere. Qua quidem dignitate & Abbatis munere ita ritè perfunctus est, ut ubique per Monasteria idoneos præsules & Abbates sua animi prudentia eligi curaverit. Alexandrum enim Coloniensem à Bernardo conversum in Saviniaco, Henricum in Altacumba, & quam plures alios pietate illustres, ovium sibi commissarum saluti & utilitati ubique consulens, nominavit Abbates seu proposuit eligendos. Verùm Lamberto Abbate Cistercii cedente, ad infulam Cisterciensem in ipsius locum assumptus est Fastredus, qui suo more satis invitus tàm grave onus suscipiens, multa cum pietate præfuit, verbo & exemplo probos & tepidos monens. Revelata autem tan-

ti patris morte beato Petro Tolosano Claraevallis Monacho, Fastredus à proprio Coenobio absens, & Parisiis pro quibusdam Ordinis & Ecclesiae negotiis degens, jam senio & labore fessus, in gravem morbum incidit; mortique proximus, ob tanti viri probitatem & virtutis famam, tum à Ludovico Rege VII. tum ab Alexandro Summo Pontifice tunc Parisiis versante, visitari meruit: & sacro oleo ab ipsomet Ecclesiae Capite inunctus, magno desiderio ad vitam aeternam aspirans, feliciter expiravit. Relatumque est ejus sanctum corpus Cistercium paulò post Paschatis festum, ubi sepultum est cum sanctis Praedecessoribus Abbatibus, quos tam religiosè per vitam aemulatus fuerat. Ipsemet Fastredus in omnibus Ordinis dipticis cum laude annotatus.

Lorvanii in Lusitania beata Maria Peregrina dicta, & Ordinis Cisterciensis Conversa; quae visis & visitatis nostrae redemptionis locis, in sancta civitate Ierosolymitana post reditum Ordinis habitum suscepit, & multa virtutis opera edidit. Fini verò suae proxima, flexis genibus ante sacram Eucharistiam, quam in viaticum erat susceptura, oculis ac manibus in caelum erectis, animam innocentissimam Creatori reddidit, & post mortem multis miraculis claruit, ut à multis Lusitanis Authoribus refertur, vestibus ejus & habitu in sacras reliquias piè asservatis. Hac autem die ejus memoria recolitur in Calendario Ordinis, etsi ab Henriqueo ad 3. Iunii translata sit.

Britus *in suis Annalibus Ordinis tom. 1. lib. 6. cap. 34.* Manrique *in suo Compendio SS. Ordinis.*

In Germania B. Henricus Hemmerodensis Monachus, qui ab initio suae conversationis in sancto Religionis proposito à Beatissima Virgine, quae ei apparuit, confirmatus, acta omni laude digna peregit, suscepto Ordinis habitu in supradicto Coenobio; cùmque diù sub Christi vexillo militasset, exacto corpore ad eundem Ducem Christum migravit. Inscriptus post mortem Menologio Cisterciensi ad hanc diem.

DECIMO CALEND. MAII.

Vigeſimo ſecundo Aprilis.

Vita ejus apud Henriquezum.

IN Luſitania Cœnobio ſancti Ioannis de Tarouca beatus Aldebertus ſancti Patris Bernardi apud Claramvallem diſcipulus, qui poſt ſuſcepta diſciplinæ monaſticæ ſimul cum habitu rudimenta, ab ipſo ſanctiſſimo Patre in Luſitaniam cum ſociis tranſmiſſus ad B. Ioannem Cintam, per hæc tempora in his regionibus ſanctitate conſpicuum, ibidem novum Cœnobium de Tarouca dictum, & ſub ſancti Ioannis Baptiſtæ invocatione Deo ſacrum, loco priùs divino quodam fulgori deſignato, condidiſſe dicitur. Et ibi ſub Boëmundo Abbate Prior inſtitutus, non vulgari virtute præditus, omnibus præluxit. Tanta verò ejus ſanctitate non ſolùm domeſticis ſed externis nota, non mirum ſi Alphonſus Luſitanorum Princeps, collecto exercitu in Saracenos & Infideles bellum ſuſcepturus, in prædictum Cœnobium adierit, Monachorum ipſorum ſed præſertim Aldeberti auxilium & ſuffragium imploraturus. Quem quidem Aldebertum de Abbatis conſenſu ſecum ducens, tanquam alterum Moyſen Alphonſus habuit. Nec quidem fruſtra; nam ipſe extenſis manibus pro Chriſtianis pugnantibus, Deum deprecabatur: & juvante eos Deo, hoſtes magno miraculo terga verterunt ac profligati ſunt; ſicque victor extitit Alphonſus. Qui poſteà abſente Patre Aldeberto, ſuſcepto bello fugatus & ab hoſtibus proſequutus; eundem Patronum ad exercitum revocare coactus eſt. Qui quidem reverſus & exercitui præſens, militibus & Duci animum ac robur addidit. Propulſiſque iterùm hoſtibus, ovans è prælio rediit Alphonſus.

Repetens verò ſolitudinem Aldebertus non pauló poſt Boëmundo Abbati mortuo ſuffectus eſt, communi omnium Fratrum voto electus. Quam quidem dignitatem egregiâ virtutis praxi decoravit. Miraculorumque gloria celebris Sancto Ioanni Cintæ morbo detento, ſanitatem reſtituiſſe dicitur.

dicitur. Et juveni à nativitate cæco lucem reddidisse, ac Teresiam Reginam periclitantem & quasi ad extrema redactam sanasse. Sicque magnis operibus & meritis fulgens, deposita corporis sarcina, sanctorum gloriam perpetuò possidendam creditur adeptus, æterna memoria apud posteros commendandus.

In Italia Beatus Hubertus, qui primò Monachus apud Claramvallem & sub sancti Patris Bernardi magisterio ritè educatus, nominis sui famam per virtutis splendorem longè latèque diffudit. Vndè ad Sedem Nepensem communi Clericorum suffragio vocatus, nonnisi ægrè dignitatis onus suscepit. Persuasus tamen sancti Patris rationum pondere, hujus Ecclesię curam subire, & eam novo virtutis & sanctitatis lumine reflorescere studuit. Meritisque pluribus cumulatus, viam universę carnis piâ morte ingressus est: memoratus ab Arnoldo Bonavallensi in vita S. Bernardi lib. 2. & ab Henriqueo ad hanc Aprilis diem, imò à Seguino titulo de sancto Huberto Nepesino Episcopo. *Lib. 2. vita S. Bernardi cap. 8.* Seguinus *in Catalogo Episcoporum Ordinis.*

Tolosæ in Wasconia piæ feminæ Antoniæ Aurelianensis, quæ Ducis Longæ-Villæ filia, & uxor Marchionis de Bella-Insula in anno pubertatis facta, quosdam ex eo suscepit liberos. Mortuo autem marito, & adhuc juvencula sub habitu simulato ad Moniales Fullienses apud Tolosam accessit & ibi facta est Sanctimonialis. Quod resciens Rex Christianissimus Galliæ simul cum Tolosano Senatu, per Decretum impedire conatus est. Sed tandem uterque victus & persuasus ardenti ipsius desiderio, ab inceptis destitit. Ipsa verò emissis votis anno Domini millesimo sexcentesimo primo multis virtutibus claruit; facta posteà Institutrix Monialium Benedictinarum primæ Regulæ sub nomine Congregationis Beatæ Mariæ de Calvario & sanctæ Scholasticæ: multis sororibus humilitatis, caritatis, aliarumque virtutum exemplum præbuit; sicque plurimis discipulis ad regularem disciplinam informatis, & pluribus piis operibus locupletata, obiit in senectute bona ipso mense Aprili, & ascribi meruit inter illustres Ordinis Mulieres in Menologio Henriquei ad hanc diem. In Catalogo Illustrium Fulliensis Congregationis.

V

NONO CALEND. MAII.

Vigesimo tertio Aprilis.

Ex cartis Signiaci.

SIgniaci in Campania & Rhemensi præsulatu beatus Gerardus hujus loci Monachus, qui primò suscepto habitu Ordinis Benedictini, ac posteà pro vitæ merito Abbas Florinensis factus; opere & sermone omnibus suis præfuit. Strictioris tamen adhuc observantiæ desiderio succensus & charismata meliora æmulatus, ac fama sanctitatis Monachorum Signiacensium, sed præsertim eorum Abbatis Bernardi excitatus: abdicato præsulatu & adductis secum plurimis ex ferventioribus discipulis è Florinensi Cœnobio, Signiacum secessit. Vbi humilis Monachus factus, vitam omninò angelicam duxit. Sed invidente forsan diabolo tantæ sanctitati, à suis Florinensibus Monachis est revocatus. Et hac de re obtento Rescripto Apostolico, coactus est Romam adire, ut anathema in se intentatum à Summo Pontifice nisi Floriniacum rediret, levari curaret. Aselloque utens venit in urbem, sed cùm pluries censuram levari supplicasset, nec supplicationi annueret Pontifex: ipse in stabulum secedens simul cum Asino, panem doloris comedit tanquam per anathema à fidelium consortio segregatus, humiliterque pluribus diebus perseveravit. Quod resciens Summus Pontifex, intrinsecùs compunctus cessit: victusque & precibus & humilitate pii Abbatis, Rescriptum revocavit, ac animum mutavit. Et sic victis omnibus sui pii propositi adversariis, Gerardus rediit Signiacum, ubi inceptam vivendi formam est prosecutus; & post plura vitæ merita mortuus est in senectute bona. Post obitum autem cùm plura miracula ad tumulum Sancti viri fierent, & magnam populi frequentiam ad Cœnobium adducerent: Bernardus hujus loci Abbas, ne suorum Monachorum solitudo & observantia regularis tanto concursu turbaretur, sub salutari obedientia mortuo injunxit ut à miraculis desisteret. Cui quidem

mandato Gerardus obedivit, nec amplius signis claruit. Sacrum tamen ejus corpus è terra effossum, successu temporis decenti loco cum aliis quorundam Sanctorum exuviis est positum & cultui publico expositum.

In Campania Trium-Fontium Cœnobio B. Rogerius Abbas, qui patriâ Catalaunensis à sancto Patre Bernardo est conversus, & in Claravalle Monachus susceptus, transmissusque in novum Trium-Fontium Cœnobium, à Guillelmo de Campellis Episcopo Catalaunensi fundatum, ibidem præfectus est Abbas, & multis claruit virtutibus. In brevi tamen consummatus, explevit tempora multa, multis discipulis ad sanctitatis viam informatis verbo & exemplo: meruitque post mortem annotari in Ordinis Dipticis, & in Menologio Henriquei ad hanc diem.

OCTAVO CALEND. MAII.

Vigesimo quarto Aprilis.

IN Germania non longè à Colonia & Cœnobio Sanctimonialium Ordinis B. Elizabetha Monialis, quæ à primis annis suscepto habitu monastico & velo sacrarum Virginum, per innocentissimam vitam cælesti sponso Christo placere studuit, & quam plurima virtutis & sanctitatis signa suis temporibus dedit, pietate in Deum insignis, charitate in proximum decora, & vitæ austeritate in seipsam illustris; sicque expletis pluribus annis in claustro & in virtutis exercitio, disruptis corporis nexibus, ad Christum pia morte perrexit, ut quem vivens coluerat, mortua possideret. Ascripta communi Ordinis Sanctorum Catalogo hâc præsenti die Aprilis.

Calendarium SS. Ordinis. hac die. Mantique in Calendario.

In Claravalle B. Honoratus Conversus, qui cùm ab ipso suæ conversionis exordio multa sanctitatis specimina dedisset, totius probitatis culmen est adeptus: factusque per longam rerum cælestium speculationem spiritibus cælestibus familiaris, eorum consortio adhæsit. Solo corpore ibi positus & mente cælo præsens, cùm pluribus annis in

Lib. virorum illustrium Ordinis, apud Auream-vallem. Exordium Cist. dist. 4. cap. 10.

magna vitæ probitate degisset, felici fine quievit; inscriptus Menologio Henriquei ad hanc diem.

Varii viri docti hujus pii Præ ulis meminerunt.

In Germania Veteri-monte Cœnobio obiit vir vitæ venerabilis Bruno Archiepiscopus Coloniensis; qui ex illustri Comitum Altenaæ & Marchæ apud Germanos natus, & ad sæculi dignitates ob nobilitatem evectus, ejusdem sæculi divitias sprevit. Factusque hospes seu Monachus in supradicto Cœnobio, vitam tranquillam & piam duxit, Deoque adhæsit per reliquos vitæ suæ annos; & appositus ad Patres memoratus est in Calendario Virorum illustrium Ordinis ad hanc diem.

In Normania dedicatio antiquæ Ecclesiæ B. Mariæ & S. Ioannis Evangelistæ de Fuldicardimonte.

SEPTIMO CALEND. MAII.

Vigesimo quinto Aprilis.

Annales Ecclesiæ Placentinæ. Bzovius *ad an. 1218.* Breviarium Ordinis apud Venetias.

PLacentiæ in Italia depositio sanctæ Franchæ Virginis Sanctimonialis & Abbatissæ, quæ antequàm nasceretur, per catulam candidam, quæ suo tempore latratus sacros emitteret, præsignata, (uti aliàs sanctus Pater Bernardus) nobili prosapiâ Comitum de Vidalta originem duxit. Piis autem operibus ab ipsa infantia dedita, tandem adulta, manum suam misit ad fortia. Nam cùm toto mentis affectu virtutem coleret & solitudinem appeteret: in Monasterio vicino Sanctimonialium sancti Siri Ordinis Benedictini monasticam vestem, cum sacro virginum velamine suscepit. In quo quidem loco cùm piissimum religionis & virtutis duxisset tyrocinium, & solennia vota emisisset, ac quod Deo voverat piè solvisset: transactis quibusdam annis à professione; mortua est ejusdem Cœnobii Abbatissa. Cui communi Sororum suffragio substituta Francha, etsi invita promotionem acceptaverit; sic tamen aliis præfecta fidelis catulæ ritè munus obivit, ut nec dictu facile sit, quot animas errore delusas, suis piis latratibus, argu-

tionibus & monitionibus ad salutis viam reduxerit, enarrare. Cùmque adhuc ad strictiorem observantiam anhelaret & aspiraret, ac tunc temporis per Italiam Cisterciensium virginum Institutum vigeret; associatis sibi quibusdam ex ferventioribus, sancti Siri Cœnobium deseruit, post multas perpessas ab Episcopo Diœcesano, qui Sororis Sanctimonialis suæ ambitioni favebat, persecutiones. Valeriamque primò se transtulit, ubi suscepto Ordinis habitu, & ad ritus ejusdem Ordinis instructa; aliud Cœnobium virginum Plectolem dictum, ex dote cujusdam virginis, quam ad religionem adduxerat & docuerat, fundatum, iterùm adivit: ubi novis adhuc virtutibus fulgens, multas alias virgines suo exemplo ad religionem allexit. Facta autem constans in arrepto virtutis itinere, omnibus tum domesticis, tum externis in admirationem fuit. Miraculorum enim gratia illustris, suis aliquando precibus duo vini dolia vacua & exsiccata, mero optimo replevit. Sibi etiam non semel clausam Ecclesiæ januam per noctem miraculosè reseravit, ac tandem post tam multa patentia signa sanctitatis, emenso vitæ suæ stadio, sanctissimam animam piâ morte emisit anno reparatæ salutis millesimo ducentesimo decimo octavo, & corpus ejus in æde Deo & eidem virgini sacra religiosè asservatur. Ad cujus tumulum magnus fit quotidiè populi concursus propter miraculorum multitudinem. Mulier enim Mediolanensis civitatis à pluribus annis oculorum lumine orbata, ad sanctæ virginis sepulchrum accedens, pristinum luminis usum sibi recuperavit: sicut & latro, qui inter furandum magno miraculo lumine privatus fuerat, cùm pœnitens criminis ad sacras exuvias accessisset, visum recepit. Plures quoque Energumeni sanati sunt, sicut & alii langui-di qui à plurimis morbis simul curati sunt: sed præcipuè oculorum dolore laborantes, dum quodam collirio è sacris ossibus Sanctæ emanente proprios abluunt oculos, sospitatem reperiunt. A multis verò annis ipsius virginis festum ex decreto summi Pontificis, in ditione Placentina celebratur sicut & nunc in Gallia.

Avenione in Gallia depositio pii Patris Benedicti XII. Summi Pontificis, qui olim Iacobus Furnerius nominatus

Ejus acta referunt omnes qui

de Pontificibus Romanis scripserunt. Montalbus *in vita ejus, & tom. 5. Chronic. Ord. Cist. lib. 5.*

ex humili stirpe natus, ex Patre videlicet Molitore in Wasconia, factus est post prima studia in adolescentia Bolbonæ Monasterii in diœcesi olim Mirapicensi & nunc Tolosana, Monachus. Ubi emissis solennibus votis, & multis datis futuræ virtutis indiciis, hinc in Parisiense Gymnasium ejusdem Ordinis à Superioribus est transmissus: in quo tanto cum labore studiis Philosophicis & Theologicis incubuit, ut intra quosdam annos Magisterii seu Doctoris gradum in Sorbona & almæ Facultatis Parisiensis schola adeptus fuerit. Insuper pietatem sapientiæ jungens, easdem sibi indissolubili vinculo copulavit; tantaque posteà probitate vita enituit, ut factus primò Abbas Fontis-frigidi, & posteà Episcopus Apamiensis, ac tandem Mirapicensis, virtute adhuc ad altiores dignitates sibi viam fecit. Factus enim & renuntiatus Cardinalis à Ioanne Summo Pontifice, in ejus locum posteà electus est ipse Iacobus Furnerius, Benedicti nomine assumpto. In qua dignitate præclara in utilitatem Ecclesiæ gessit, nobilioraque statuit in animarum salutem. Loci verò seu prioris status non immemor, in Pontificatu Monachale sagum sibi retinuit. Cilicium sub sacris vestibus gerens, sua solita pietatis pensa & exercitia non deseruit. Suæ sortis etiam prioris non obliviosus, parentes ditare noluit; quinimò proprio fratri, qui duplici Canonicatu gaudebat, unum abstulit. Infensus etiam factus Episcopis à propriis Ecclesiis absentibus, eosdem è Curia ad proprias diœceses alligavit. Quid plura? Totus in restauranda & Clericorum & Monachorum disciplina collapsa positus, saluberrimas leges edidit pro eorum reformatione, quas sub severis pœnis tradidit observandas. Inter quas non exigua fuit Bulla ipsa ad Cisterciensem nostrum Ordinem reformandum, data, quam vulgari nomine *Benedictinam* vocitamus. Cumque Collegium Parisiense Ordinis Cisterciensis, in quo studuerat, novis ædificiis ampliare & illustrare vellet; ac Basilicam illam, quæ nunc sub imperfecto opere conspicitur, ex integro construere cogitaret: transmissis hac de re pecuniis, morte præventus est; & distractis ipsis per viam pecuniis, opus inchoatum absolvere non potuit. Laborum tamen suorum plurimis ditatus meritis, in cælis mercedem recepit.

Meruitque, ut post mortem inter illustres Ordinis viros in communi Catalogo seu Menologio hac die quâ obiit, reponeretur. Patrata autem ad ejus tumulum leguntur miracula. Scripsit verò vivens in Evangelia; quod quidem opus adhuc in Claravallensi Bibliotheca asservatur.

In Brabantia B. Ioannes Rost Villarii Monachus, qui mundo & sibi penitùs mortuus, vitam angelicam in Monasterio duxit; divinarum verò rerum speculationi deditus, ad cælestia continuè suspirabat. Vndè piâ morte consumptus, meruit inter Ordinis Beatas mentes recenseri, & annotari in Menologio Henriquei ad hanc diem. Chronicon Villarii.

SEXTO CALEND. MAII.

Vigesimo sexto Aprilis.

IN Delphinatu Galliæ Provincia Beatus Ioannes Valentinensis Episcopus, qui ex nobilibus parentibus natus, è studiis revertens terribili visione conversus est. Proposito enim sibi primò religionis ingressu, & voto de eo facto, revocato tamen posteà, seu in aliud votum ad limina sancti Iacobi Compostellanensis commutatum, visum est sibi Christi tribunali adesse; ubi ferè ad gehennam damnatus, à sanctis Iacobo & Ioanne Apostolis est liberatus: nomineque ejus ex vitæ libro non deleto, confirmatus est in proposito religionem ingrediendi. Suscepto itaque Ordinis habitu apud Cistercium pòst longas moras, ibidem in magna vitæ austeritate vixit. Transmissus verò in Bonamvallem Viennensem noviter fundatam à Guidone Cardinale posteà Calixto II. summo Pontifice, ipsi Monasterio à sancto Stephano Cistercii Abbate præfectus est Abbas, ubi multâ sanctitate claruit, adductis illuc piæ vitæ suæ exemplo, pluribus discipulis magnæ sanctimoniæ: inter quos fuit S. Petrus Tarantasiensis Archiepiscopus, qui velut alter Bernardus, secum Fratres & Patrem ad vitam monasticam allexit. Factus autem Ioannes pro merito Episcopus Valentinensis, multum vexatus est à quodam Eustachio Pseudo-

Vincentius BelIovacensis lib. 26. cap. 42. Cartæ Bonævallis.

Episcopo, & post ipsum mortuum ab ejusdem Nepotibus. Verùm prævalescente patientiâ, omnium virtutum suis exemplum præbuit. Mortuusque in senectute bona, pluribus signis refulsit, tum in morte, tum post obitum. Sicque tanquàm Sanctus habitus est; annumeratus jure inter Ordinis Sanctos ad hanc diem qua creditur obiisse.

Molanus *in catalogo SS. Belgii.*

In Frisia Cœnobio Beatæ Mariæ Advertensis juxta Groningam beatus Richardus Monachus, qui insignis vitæ suæ ratione per totum Belgium notus, & doctrinæ suæ præstantia coruscus, tum suis tum aliis ob Magisterii sui gradum ita pluribus in exemplum fuit, ut disruptis sæculi & carnis nexibus, ad felicem religionis portum commigraverint plurimi. Prophetiæ etiam dono insignis multa prædixit futura. Imò, si quibusdam authoribus credatur, miraculis clarus meruit inter Sanctos connumerari: piaque morte vita exutus, securus perrexit ad Christum, ut laureolam immarcessibilem gloriæ coronam sibi pro Doctoratu & pietate debitam, reportaret. Dies autem mortis ejus in Calendario festorum Ordinis, præsens assignatur, etsi etiam alii ad Decembris trigesimam referant, ut inter alios Molanus in sanctorum Belgii Natalitiis habet.

Lib. illustrium Ordinis *dist. 2. cap. 11.* Seguinus. Montalbus *tom. 1. Chron. lib. 2. cap. 39.*

In Longo-Ponte Valesiæ Provinciæ Venerabilis Pater Gerardus Clarævallis Monachus, qui diù sancti Patris Bernardi vestigiis inhęrens, eundem tàm in pietate, quàm in vitæ austeritate est æmulatus: & Longo-Ponti præfectus Abbas, opere & sermone præluxit, ac multis clarus operibus sancto fine quievit; ascriptus Menologio Henriquei ad hanc diem.

QVINTO CALEND. MAII.

Vigesimo septimo Aprilis.

Missale vetus Ordinis. Ioannes Cistercii *in suo Catalogo SS. Ordinis.*

IN Limocinio & Cœnobio Obazinæ filiationis Cistercii beatus Stephanus Abbas hujus loci sanctissimus, qui ex parentibus mediocris fortunæ natus, à juventute pietatem coluit; factusque adultus exigentibus meritis, sacris ordinibus

bus est initiatus: sed cùm vitam non satis puram & austeram in sæculo pro Sacerdotii ministerio & Sacerdote dignam ducere non crederet, eremiticam est amplexus. Eremumque pergens cum socio Petro tanta cum austeritate ibidem vixit, ut sanctitatis suæ fama ubique facta multos sui Instituti æmulatores habuerit. Quibus cum certas leges austeritatis & pietatis dedisset, aliæque à solitis Monachorum hujus temporis viderentur: consultis quibusdam Chartusiensibus patribus, qui vitæ spiritualis puritiam habebant, Cisterciensem vestem simul cum Regula & ritibus suscepit; quos quidem ritus à Dalonensibus Monachis accepit. Submittensque suum Cœnobium, & plura alia ab eo pendentia, regimini Abbatis Cistercii: quosdam ex suis discipulis Cistercium transmisit sub B. Raynaldo Abbate, ut ibi Statuta & cæremonias Ordinis meliùs adhuc & perfectiùs rescirent. Cæterùm de Eugenii Summi Pontificis consensu, sedente Capitulo Generali, eidem & aliis Ordinis Superioribus propria Obazinæ domo, & aliis, ut diximus, sub se congregatis, utriusque sexus Monachorum & Sanctimonialium subjectis Monasteriis, juxta Ordinis consuetudinem simul cum suis omnibus vixit. Mutato tamen habitu, pristinam quam amplexatus fuerat austeritatem non mutavit. Nam carnibus uti nolens inter ægritudinem, vix aliis uti concedebat; sed semper sibi severus, cæteris exemplo prælucebat. Miraculis autem admodum clarus, infinita penè signa dedit; Latomis enim inter Obazinæ ædificia læsis, sanitatem restituit & vulnera curavit: quod non semel, sed pluries contigit. Plura quoquè humanis viribus non possibilia factu est operatus; immensis rupibus in alium locum translatis. Sicque signis & virtutibus, ac prodigiis venerandus & gloria cumulandus, naturæ debitum solvit: sibique nomen & titulum Sancti post obitum conciliavit apud omnes. Nam mortuus circa quadragesimæ tempus in Monasterio quo erat profectus pro novi Abbatis electione, multa patravit miracula. Vnde ejus corpus in proprium relatum Cœnobium, ibique per pagos & oppida multo cum honore est susceptum, & honorificè postea tumulatum astante magno populorum concursu. Revelata tandem ejus gloria cuidam

Abbati de Farneda Roberto dum mœstus de morte sancti Patris sederet in Refectorio, meruit ut suum nomen in dipticis Ordinis ascriberetur. Extat verò ejus vita manuscripta ab ejusdem Sancti discipulo, & dicata Abbati cuidam hujus temporis, ac in Annalibus variis in locis relata; ejus etiam sacrum corpus è terra elevatum ibidem adhuc quiescit, à peregrinis visitatum & frequentatum. Hâc autem die memoria ejus recolitur in Calendario Gallico Sanctorum Ordinis.

In Picardia Cœnobio Fusniaci diœcesis Laudunensis B. Raynaldus sancti patris Bernardi apud Claramvallem discipulus, & ejusdem Sancti comes individuus per Italiam, dum ibi pro Ecclesiæ negotiis ageret; ac testis plurimorum miraculorum quæ sanctus Abbas in his regionibus est operatus. Verùm pro vitæ merito præfectus Abbas Fusniaci Raynaldus, præclaris operibus extitit celebris. Ac tandem obiit piè & sanctè: inscriptus post obitum in Menologio Henriquei ad hanc diem 2. Aprilis.

QVARTO CALEND. MAII.

Vigesimo octavo Aprilis.

Catalogus virorum illustrium Fulliensium.

IN Aquitania & Pago Cadurcensi depositio piæ memoriæ Ioannis Barrerii Congregationis Fulliensis Institutoris, qui die sancti Roberti Abbatis Cisterciensis natus ex nobilibus parentibus Bartholomæo de la Barriere & Leonarda Amadon in Fano sancti Siri Cadurcensis Provinciæ oppido anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, à juventute scientiam & alias humaniores literas coluit: successu verò temporis factus Abbas Commendatarius Cœnobii beatæ Mariæ Fulliensis, in remotis Wasconiæ partibus & diœcesi Rivensi, primò eremum coluit spretis sæculi delitiis, posteà verò cùm Monachos Abbatiæ suæ à Regula & Statutis Ordinis Cisterciensis deviantes, reformare studuisset, & ipsi Abbati sæculari obsequi renuerent: de suscipiendo habitu ejusdem Ordinis cogitabundus &

corde compunctus, quibusdam annis in deserto piè transactis, cùm non satis tutam salutis viam sibi esse in hac Commenda Monasterii adverteret, ex eremo emersit. Et satis in bello Domini exercitatus tùm ut sibi consuleret, tùm ut suos Monachos ad strictiorem observantiam reduceret; monasticum habitum induit in suo supradicto Monasterio, vbi sola quindecim dierum probatione facta, ex dispensatione Summi Pontificis & Abbatum hujus temporis privilegio, vota professionis solennia emisit. Ac paulò post die Maii tertia suæ novæ Congregationi & reformationi initia dedit. Ingresso enim Capitulo & apertâ suâ mente, solitum Ordinis habitum quem non satis religiosum censebat, deposuit, & solam sibi tunicam candidam cum cingulo reservavit. Et depositis calceis, nudis pedibus & discalceatus incessit. Relictisque ferculis lautioribus, in mensa solis leguminibus vixit. Quæ quidem legumina solo sale condita non in mensa sed humi comedebat. Et has omnes leges discipulis suis tradens observandas, sine caputio & aperto capite in choro & alibi existens, omnia humanæ vitæ incommoda sustinuisse videtur. Cùmque per plures annos hunc vivendi modum tenuisset, & plures suæ austeritatis æmulatores & discipulos congregasset, ac à Summis Pontificibus Congregationem quam instituerat confirmari curasset; ab Ordinis Superioribus primariis cum suis exagitatus, quòd contra Ordinis solita instituta seu exercitia tantam vitæ austeritatem observaret, Romam profectus est. Vbi multas ærumnas & labores tùm à suis, tùm ab externis est patienter perpessus. A quibusdam enim satis injustè incusatus & ad Summum Pontificem tanquam reus delatus, per undecim aut duodecim annos urbem pro carcere habuit: intra quos nunquàm sibi licuit objectis probris respondere ab adversariis impedito. Mortuusque in senectute bona ætatis suæ quinquagesimo sexto anno Domini millesimo sexcentesimo, jubilæi plenarii tempore creditur adeptam fuisse meritorum suorum coronam & mercedem. Corpus verò ejus sepultum Romæ in Monasterio sancti Bernardi de urbe suæ Congregationis ibidem primò positum est sub odeo retro majus altare, posteà translatum in Ecclesiam & sub marmoreo sepulchro re-

positum, corde ejus in theca argentea incluso in Fulliensem Abbatiam transmisso, & quibusdam aliis ejusdem pii viri reliquiis per diversa Cœnobia ipsius Congregationis asservatis.

Varia instrumẽta Monasterii S. Ioannis de Tarouca.
Britus tomo 1. lib. 2. cap. 1. & lib. 5. cap. 15.

In Lusitania B. Bernardus sancti Ioannis de Tarouca Abbas, qui diu sub sancti patris magisterio educatus, & tandem in has Lusitaniæ plagas ab eo transmissus, sub beato Aldeberto secundo Abbate hujus loci Prioris munere ritè perfunctus est. Hincque Ioanne Zirita Abbate cedente; communi Monachorum voto subrogatus in Abbatem, verbo & opere præfuit, miraculis, ut dicitur, clarus & in vita & post mortem; ascriptus inter Ordinis Illustres ab Henriqueo ad hanc diem Aprilis.

Arspheldius in historia Anglia. Vita S. Edmundi.

In Anglia beatus Stephanus de Langtona Cantuariensis Archiepiscopus & Ordini familiaris ac amicus, qui pro Ecclesiæ libertate è regno & propria Ecclesia pulsus in exilium, Romam venit; ubi benignè susceptus à Summo Pontifice, & Cardinalis renunciatus pro virtutis merito, rediit in Galliam. Et Pontigniacum antiquum suorum prædecessorum asilum secedens, ibidem aliquandiù stetit piè vivens, & Instituta Ordinis observans, ac tandem sancto fine quievit. Primusque fuit qui bibliam sacram in diversa capita distribuit; memoratus apud Henriqueum ad hanc diem.

Fasciculus SS. Ordinis. Cartæ Clarævallis.

In Claravalle pissima oblatio Lusitanici regni facta ab Alphonso primo Lusitanorum Principe, cunctis regni primoribus consentientibus, anno Domini millesimo centesimo quadragesimo secundo sub S. patre Abbate Bernardo. Quod quidem regnum sic Clarævallis Cœnobii feudatarium, ab ipsis temporibus singulis annis quinquaginta morabitinos auri probati solvit per ducentos annos ab oblatione.



TERTIO CALEND. MAII.
Vigesimo nono Aprilis.

SVB Campaniæ finibus & Rhemensi præsulatu dedicatio Basilicæ beatæ Mariæ de Eslantio Ordinis Cisterciensis filiationis Cistercii : cujus tamen dedicationis anniversarium in alium diem ob sancti patris nostri Roberti solennia hac die occurrentia, transfertur, licentiâ hac de re data à præsule dedicante, seu ab Ordinis Superioribus. Cartæ Eslantii.

Eâdem die Molismi in Campania seu Burgundia & in vniverso Ordine Cisterciensi solennitas sancti patris nostri Roberti olim Molismensis Cœnobii Abbatis & primi Ordinis Institutoris, qui licet hac præsenti die non obierit, sed 21. Martii, uti alibi diximus, ob quadragesimale tamen officium in illam diem Martii occurrens, in hanc præsentem translata est solemnitas ista. Quâ forsan die instantia ferè totius gallicani cleri & universi Ordinis Cisterciensis ab Honorio II. Summo Pontifice Sanctorum albo solenni ritu est ascriptus ad annum reparatæ salutis millesimum ducentesimum vigesimum secundum. Ordinis consuetudo. Martyrologium Romanum & alii.

Ipso die in Burgundia B. Robertus Claræuallensis Abbas, qui Brugis in Belgio ex clara stirpe natus, pietatem à juventute coluit; adultamque ætatem adeptus, cùm adhuc in virtute & vitii bivio positus existeret, è sæculo pedem retraxit. Et auditâ sancti patris Bernardi sanctitate, sese tanti præsulis magisterio monastici habitûs susceptione submisit. Cùmque in dies probitate vitæ & sanctimonia clareret, ac Cœnobium Dunense in Belgio Ordini aggregatum fuisset, ibidem beatus Robertus à sancto Patre transmissus, primus Ordinis Abbas est institutus, suoque angelicæ vitæ exemplo Belgio & Gallia illustratis, paulò ante sancti patris Bernardi obitum, ab eodem patre propter ejusdem viri meritum Claræuallis Abbas est designatus. Et sic ad ampliorem segentem à Deo vocatus, verus Bernardi Meyerus, Sanderus & alii.

anteceſſoris æmulator extitit. Multaque cum pace & quiete, gregem & Cœnobia ſibi commiſſa per tres annos & anni dimidium regens, inſtitutam diſciplinam Ordinis ubique ſuis legibus conſervavit. Expleto autem regimine ſuo, cùm quandam Abbatiam ſuæ filiationis viſitaret, & die paraſceves nudis pedibus juxta Ordinis conſuetudinem inceſſiſſet, etſi ſenex & jam æger, ex vehementi frigore gravem morbum contraxit. Sed quaſi æger non eſſet, ſequenti die ad vigilias accedens, febrem auxit. Vndè è proprio ſtallo chori fratrum manibus & brachiis & in Infirmitorium deportatus, aggraveſcente morbo Sacramentis Eccleſiæ ſuſceptis, paulò poſt in paſchali feſto, hac præſenti die, non ſine Congregationis luctu ſanctè obiit extra Claramvallem. Corpus verò in proprium Cœnobium relatum, ibidem in majore clauſtro ſub decenti mauſeolo & intra murum poſito & excavato, cum aliis plurimorum Sanctorum Ordinis oſſibus eſt tumulatum.

Cartæ hujus loci.

In Campania Cœnobio de Tribus-Fontibus feſtivitas translationis ſancti Huberti Trajectenſis Epiſcopi, cujus quædam reliquiæ hîc aſſervantur.

Cartæ Caroli loci.

In Gallia Cœnobio Caroli-loci memoria pii Patris Andreæ de Baudimontio hujus loci Abbatis, viri puritate & integritate eximii, Deo & hominibus dilecti, & claris parentibus nati; qui factus Pontigniaci humilis Monachus ſub ſancto Hugone Abbate, variis virtutibus refulſit, & Cœnobium S. Lupi Trecenſis cum beato Hugone reformavit. Vndè novo Cœnobio Caroli-loci propè Silvanectum erecto à Ludovico Galliæ Rege, Abbas ibidem eſt præfectus. Illucque miſſus cum Chriſtiano Priore & pluribus aliis, innocentiſſimam vitam duxit; meritò poſt mortem inter illuſtres Ordinis viros annumeratus à Seguino, & ab Henriqueo ad hanc diem.



PRIDIE CALEND. MAII.

Trigesimo Aprilis.

IN Normania & Cœnobio Brolii-Benedicti filiationis Vallium-Cernaii, diœcesis Ebroicensis, memoria solennis sancti Eutropii Xantonensis Antistitis & martyris; cujus scapula ibidem religiosè asservatur, olim ex Xantonensi Cœnobio, post longam litem, authoritate Apostolicâ allata, postquam quidam nobilis ex Fundatorum Brolii familia in bello sacro inclusus fuisset à Turcis in quadam arca, magno miraculo meritis sancti Eutropii, quem ipse nobilis ferventer invocaverat, illicò Angelorum ministerio in Basilicam ejusdem Sancti translata. In cujus rei gratiarum actionem, ipse sacellum apud Brolium sancto Eutropio sacrum construxit, & ibi scapulam reposuit. Ad quod continuus fit populi concursus pro sanitate recuperanda, communique vocabulo prædictum Cœnobium sancti Eutropii Brolium nuncupatur. Cartæ Brolii.

In Germania & diœcesi Spirensi Anniversarium dedicationis insignis Ecclesiæ Malbrunensis filiationis Mori-mundi solenni ritu ibidem celebrandum.

In Burgundia diœcesi Augustodunensi dedicatio B. Mariæ de Busseria filiationis Cistercii.

Savigniaci in Normania solennis translatio sanctorum corporum Vitalis primi hujus loci Cœnobiarchæ, Gaudefridi secundi Abbatis, Aymonis & Petri Monachorum ac Guillelmi novitii facta sub Stephano Abbate anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio à Reverendissimo Patre Gaudefrido Sagiensi Episcopo, præsentibus plusquam centùm mille viris, coruscantibus miraculis, & cælo eorundem gloriam confirmante, fulgore quodam super ipsorum tumulis transmisso, Episcopo illo præsente, & quibusdam aliis. Sacra itaque corpora è sacello sanctæ Catharinæ nomine sacro, in Basilicam delata sunt, & sub congruis ac decentibus mausceolis posita. Fitque hâc de causa annis Monumenta Savigniaci.

singulis ibidem solennis supplicatio in hujus translationis memoriam & signum perpetuum, de licentia & consensu Capituli Generalis ab eodem Abbate Stephano obtenta.


In Gallia beata Hoildis virgo Sanctimonialis, quæ sæculo renuntians ut Christo sponso adhæreret, angelicam in Monasterio vitam duxit. Vndè corpore soluta, iisdem Angelis jure creditur sociata, hac præsenti die Calendario Sanctorum Ordinis inscripta. Extat verò Monasterium Monialium Ordinis hujus nominis sanctæ Hoildis in Gallia seu Campania in diœcesi Catalaunensi ubi fortè ipsa vixit.

Thesaurus perfectionis monasticæ.

In Hispania venerabilis pater Ambrosius Ferrariensis Monachus, Regularis observantiæ professus, charitate, humilitate & obedientia in juventute præcipuus: successu verò temporis cælestibus coruscationibus irradiatus, propter eximiam virtutem electus est Superior generalis hujus Congregationis; in qua quidem dignitate inferiores multis virtutum exemplis informavit. Mortuusque anno salutis millesimo sexcentesimo decimo tertio, creditur beatis mentibus associatus: & memoratus in Menologio apud Henriquem ad hanc diem.



MENSIS



MENSIS MAII.

CALENDIS MAII.

Primo Maii.



EGALI-monte in Gallia ad Isaræ ripas sub diœcesi Bellovacensi, repositio capitis sancti Iacobi minoris Christi Domini Apostoli; quod sancto Regi Ludovico Carolus Romanorum Rex & Imperator è suo sanctarum reliquiarum sacrario extractum transmisit, illoque pientissimus Ludovicus Francorum Rex suum Regalis-montis Monasterium recenter fundatum decoravit; ut testantur literæ ejusdem Imperatoris adhuc in hoc Cœnobio asservatæ. Cartæ hujus loci.

In Belgio sancta Sapientia Monialis Monasterii de Rameya, quæ cælestibus visionibus illustrata & multis virtutibus decorata, facta est una ex prudentibus virginibus, quæ sponso Christo perpetuo adhæsit, minimè ab eo posteà separanda, ob meritorum copiam, & annotata Menologio Ordinis ad hanc diem. Vita B. Iulianæ.

SEXTO NONAS MAII.

Secundo Maii.

Calendarium Ordinis Gallicum. Vasconzelius *in descriptione Lusitaniæ regni.* Rodericus Toletanus *lib. 9. cap. 2. rerum Hispaniæ.*

IN Lusitania depositio beatæ Mafaldæ Reginæ, quæ nupta Henrico Castellæ Regi sine ulla prævia dispensatione à Summo Pontifice accepta, & ob vetitum consanguinitatis gradum in nuptiis, publicâ judicis ecclesiastici sententiâ disjuncta, matrimonio nondum consummato, facta est Monialis in Cœnobio Sanctimonialium sancti Petri de Arouca; ubi per reliquos vitæ suæ annos reclusa, diu noctuque per orationem Deo adhæsit. Feriisque secundis, quartis & sextis, solo pane & aqua contenta, rudi cilicio corpus & carnem vexavit; & indicto sibi strictissimo silentio, vitam innocentissimam duxit. Sicque signis in vita, & post mortem celebris, immortalitatis gloria donata est hac die mortis suæ, ut testatur Vasconzelius: etsi sint qui hanc mortem ad præcedentem Maii diem referant.

Calendarium Ordinis.

In Hispania Alcantaræ militiæ sub ritibus Cisterciensibus erigitur militia de Truxillo dicta, ut hac die testatur Calendarium Ordinis Divione excusum.

Fasciculus *lib. 2. dist. 33.* Bivarius vitam ejus compendiosè edidit.

In Hibernia venerabilis Pater Candidus Nucalensis Monachus, qui natione Hibernus, & ab ipsa pueritia sanctis moribus imbutus, in Hispania eam pietatem quam primò hauserat, non deposuit. Imò reversus in Hiberniam, omnibus in exemplum fuit; totus enim saluti proximorum addictus, plures ad veritatis viam concionibus & privatis colloquiis, ex hæretica pravitate reduxit. Multorumque priorum operum manipulo ditatus, ovans pervenit ad Christum. Memoratus ab Henriqueo inter Ordinis Sanctos ad secundam Maii; ubi eum miraculorum gloria illustrem, & spiritu Prophetiæ dono insignem prædicat.

QVINTO NONAS MAII.

Tertio Maii.

Regali-monte in Francia solennis commemoratio sanctæ Crucis Christi Domini, cujus ligni sanctissimi particula ibidem religiosè asservatur, olim illuc à sancto Rege Ludovico è Palestina seu Siria transmissa. Fitque hac de re ibi innumerus populorum hâc die concursus ad tria aut quatuor ferè millia hominum singulis annis cum vicinis parochiis & Canonicis Ecclesiæ sanctorum Cosmæ & Damiani de Luzarchiis, qui illuc sacra supradictorum martyrum & aliorum corpora solenniter in Crucis occursum deferunt. Tabulæ hujus loci.

Brugis in Belgio translatio corporis beati Ildesbaldi tertii Dunensis Abbatis, quando è Bogardio Dunensium Monachorum hospitio Brugas solenniter est translatum, integrumque penitùs & à putredine illæsum repertum est; quamvis à quatuor sæculis & ampliùs sub terra fuisset reconditum: quod non sine miraculo factum credi potest. Tabulæ Dunarum.

In Scotia ascriptio seu canonizatio publica sancti Walleni Mibrosensis olim Abbatis facta ob ingentia miracula ad Sancti hujus tumulum patrata, & purissimam vitam quam olim ibidem duxit. Arnoldus Vuion.

In Wasconia Fulliensi Cœnobio prima institutio Congregationis Fulliensis à Domino Ioanne Barrerio ex Abbate Commendatario regulari, facta, sub insolita vitæ austeritate & strictissima disciplina.

Fusniaci in Picardia depositio beati Alexandri Conversi & Scotiæ Principis, qui spreto paterni regni sceptro cum corona, & omni sæculari pompa contempta, suasione suæ propriæ sororis Mechtildis incognitus è Scotia in Galliam venit: factusque humilis Conversus apud Fusniacum ibidem diù latuit, & multa suæ sanctitatis signa dedit. Vilibus enim exercitiis vacans, caseos efformans, & animalibus pabulum ministrans, tantam gratiam apud Deum sibi conciliavit; ut præostensa illi gloria quam disposuerat Deus, tan-

Cantipratanus *lib. 2. de Apibus.* Robertus Rusca *in compendio SS. Ordinis.* Henricus Gran *in speculo exemplorum dist. 5. 5. 35.*

dem ex hoc mortali ſtadio evocaverit. Mortuuſque cuidam Monacho apparuit, duplicem coronam gerens, unam quidem præ manibus, aliam verò in capite pro duplici aureola quam tanquàm Princeps qui ſæculum calcaverat, & tanquàm Monachus, qui Deo adhæſerat, ſibi promeruerat. Sepultuſque jacet in antiquo Fuſniaci Cœmeterio, ubi adhuc lapis ſepulchralis conſpicitur, diùque locus à peregrinis ob ſolatium quod hinc habere ſolebant, eſt frequentatus: etſi Ciſtercienſes pii hujus fratris oſſa retrò majus Altare in propria Baſilica tumulata fuiſſe credant; ob antiquum ibidem poſitum epitaphium ſeu vitæ compendium Alexandri hiſtoriam referens; quod tumuli teſtimonium non ita certum eſt, cum aliundè adhuc Fuſniaci videatur.

QVARTO NONAS MAII.

Quarto Maii.

Cæſarius lib. 2. hiſtoriarum memorabilium ſui temporis cap. 26.

IN Brabantia beata Catharina Virgo Sanctimonialis, quæ ex Iudæis parentibus nata & ritibus Chriſtianis minimè imbuta, à juvenilibus annis quaſi in benedictionibus dulcedinis præventa, beatæ Virginis quam quoquo modo coluerat apparitione ad fidem orthodoxam eſt inſtructa. In cujus rei gratiarum actionem, Catharina apud Parcum-Dominarum Sanctimonialium Ordinis Cœnobium non longè à Lovanio monaſticam veſtem cum ſacro virginis velo ſuſcepit. Vbi Rachelis nomine mutato in Catharinæ nomen, longo religionis martyrio & diuturnâ Regulæ ac Statutorum obſervantia, patronæ ſuæ facta eſt æmulatrix. Tantaque extitit in fide & ſanctitate conſtans, ut ad mortem uſquè quod Chriſto ſponſo voverat, reddiderit. Ac tandem felici morte ad eundem in cælum perrexit; aſcripta pro merito Calendario Sanctorum Ordinis hâc quarta Maii die coruſcans miraculis ad tumulum.

Cartæ hujus loci.

In Leodio & Alnæ Cœnobio elevatio corporis B. Werrici Prioris, & ſociorum ejus ſanctitate illuſtrium, ut ad hanc diem annotavit Ordinis Calendarium.

In Hispania Vallis-Paradisi Cœnobio obiit beatæ memoriæ Didacus Donatus, qui diù ibidem piissimè conversatus, admiranda simplicitatis & humilitatis exempla posteris reliquit: assuetisque cælestibus delitiis inter orandum quàm plurima didicit arcana, quę passim pro præsentium pietate evulgavit. Factus autem vitæ austeritate & morum sanctitate dæmoni infensus, ita ut ad ejus præsentiam territus fugeret, extitit Deo & hominibus carus. Vndè post mortẽ habitus est ut sanctus, & in claustro decẽti donatus est sepultura, ac ascriptus Menologio Henriquei ad hanc diem. *Thesaurus perfectionis Monastica.*

TERTIO NONAS MAII.

Quinto Maii.

IN Andegavia Galliæ provincia & diœcesi Andegavensi dedicatio B. Mariæ de Oratorio, Cœnobio filiationis Cistercii ab anno millesimo centesimo vigesimo primo condito, & inter alia Cœnobia Ordinis vigesimo secundo. *Tabulæ hujus loci.*

In Hispania & Ecclesia Seguntina commemoratio beati Martini Hortensis Abbatis & hujus Ecclesiæ Seguntinæ Episcopi; cujus caput Angeli ministerio è propria fossa extractum, cuidam Canonico datum est, ut ibidem istius Sancti sub nomine sancti Sacerdotis festum celebraretur singulis annis pari die; quod quidem ab his temporibus est observatum. Sed ut magis veritas Sancti innotesceret, effossa iterùm terra, corpus beati Martini acephalum apparuit; quod Angeli revelationem firmavit. *Martyrologium Romanum cum Baronio.*

In Gallia passio plurimorum Monachorum Ordinis variis in locis ultimo sæculo (quod millesimum quingentesimum nominamus) in odium fidei à Novatoribus & Ecclesiæ orthodoxæ infensis hostibus multis suppliciis vexatorum, qui tandem martyres occubuerunt: annotati Calendario Gallico, & in literis quas Abbas Cistercii ad universos Ordinis Abbates scripsisse dicitur, inserti. *Mirçus in Catalogo SS. Ordinis.*

In Belgio venerabilis Aleydis prima Vallis-Ducis Antistita, quæ nobilibus parentibus in Brabantia nata, multis *Miræus in chronico Ordinis.*

naturæ & gratiæ dotibus eluxit. Factaque Ordinis Monialis, & ob eximiam vitam hujus novi Cœnobii Abbatissa, plures suæ virtutis hæredes Christo acquisivit. Insigni verò charitate decorata, omni modo pauperibus subvenit; quibus humiliter ministrabat, sicut & cæteris omnibus, qui cultum Dei promovere sive verbo sive exemplo, videbantur. Mortua tandem sanctè post piissimam vitam, ut ad sponsum Christum secura pergeret; annotataque est inter Ordinis Sanctas ab Henriqueo ad hanc diem.

PRIDIE NONAS MAII.

Sexto Maii.

Henricus Gran *in speculo exemplorum.* Bzovius *in Annalibus.*

IN Hannonia depositio B. Henrici Episcopi temporibus Guidonis Abbatis Cistercii miraculosè ad Ordinem conversi, & in Cœnobio Camberonensi Monachi, ubi reliquos vitæ suæ annos in senectute bona peregit. Meruitque à pluribus authoribus post mortem laudari, & inscribi Menologio ad 6. Maii; ubi tamen levi satis fundamento Parisiensis Episcopus nominatur.

In Ostrogothia beatus Petrus Prior Monasterii de Alvastra, vir paupertatis, abstinentiæ & observantiæ regularis amantissimus; cùm enim extra septa Monasterii viveret, vivendi monasticam rationem severiorem semper religiosè servabat, in vigiliis, jejuniis, abstinentia & mortificatione carnis. Famem, sitim, labores, contumelias & persecutiones æquo animo tolerabat; super nudam terram sæpius recumbebat. In seipsum severus, in alios benignus erat. Cùmque bonum certamen certasset & cursum consummasset, ad repositam sibi cælestem coronam, plenus dierum, emigravit anno salutis humanæ 1378. ut in suis Annalibus ad eundem annum testatur Bzovius.

NONIS MAII.

Septimo Maii.

Bituricis in Gallia elevatio sacri corporis sancti Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi, & olim Abbatis Fontis-Ioannis ac Caroli-loci Ordinis Cisterciensis, facta à Gerardo successore Archiepiscopo ad annum millesimum ducentesimum decimum septimum. Fulgentibus enim ad ejus tumulum miraculis, Gerardus Archiepiscopus Romam adierat ut eundem catalogo Sanctorum ascribi procuraret. Cùmque negotium protelaretur & retardaretur Romæ, visione facta Summo Pontifici Honorio III. & cuidam Archidiacono Hiberno, qui vexatus ab adversariis quibusdam, tutelam & securitatem à sancta Sede postulabat; idem monitus est ut sancti Guillelmi auxilium imploraret, ac in ejus honorem collectam ***Exaudi quæsumus*** recitaret simul cum psalmo ***Iudica Domine nocentes me***; cui visioni ter reiteratæ credidit tandem Archidiaconus. Ea autem exposita Summo Pontifici, qui priùs similem ferè visionem per noctem habuerat, petitioni Archidiaconi annuit, & de consilio Cardinalium canonizationem sancti Pontificis faciendam decrevit. Tabulæ Caroli-loci & Longi-pontis.

In Normania beatus Adamus de Trappa Sagiensis diœcesis Abbas, vir pietate clarus; qui nobili prosapia natus nobilem animum induit, relictoque in ipsâ pubertate sæculo & suscepto Ordinis habitu, magnam sanctitatis opinionem suis piis operibus sibi apud alios conciliavit. Vndè post aliquot annos à monasticâ professione Trappensi Cœnobio Abbas præfectus, multos sibi & Christo aggregavit discipulos; quibus in omni virtute, verbo & exemplo edoctis, abiit ad cælos, perpetuò apud posteros commendandus. Seguinus *in compendio SS. Ord. Cisterc. lib. 3. cap. 48.*

OCTAVO IDUS MAII.

Octavo Maii.

Martyrologium Romanum.

IN Comitatu Burgundiæ & Cœnobio Bellævallis diœcesis Bisuntinæ & per totum Ordinem Cisterciensem festivitas sancti Petri Archiepiscopi Tarantasiensis, olim ex Monacho Bonævallis Viennensis, & Abbate Stamediensi intra Sabaudiam, ad ipsum Archiepiscopatum Ecclesiæ Tarantasiensis ob præcelsa vitæ merita sublimati, & continuis miraculis in vita & post obitum conspicui; qui licet non hac die, sed decima quarta Septembris, ubi de ejus actibus agemus, obierit: ob impeditam tamen illam mortis ejus diem propter festum Exaltationis sanctæ Crucis, de mandato Summi Pontificis, ipsius festum in præsentem diem est translatum. Fiebat autem olim solennis supplicatio per claustrum cum stationibus & responsoriis tribus, ut ex antiquis Capituli generalis Ordinis decretis colligere licet. Imò proprio colitur officio in Cœnobio supradicto Bellævallis, propter sacra hujus sancti Patris ossa ibidem asservata.

Liber virorum illustrium Ordinis *dist. 4. c. 15.*

In Claravalle beatus Galterius Conversus, puritatis & innocentiæ jubar; qui literis ignarus, doctis tamen minimè inferior fuit ob præclaras illustrationes è cælo acceptas. Vestiariusque factus in supradicto Cœnobio, mira cum charitate & justitia, prout unicuique opus erat, cum gaudio distribuebat; visitatus verò aliquando ab Angelo, plura ab eo didicit arcana: sicque meritis & gratiis dives, felici morte perrexit ad cælum.

SEPTIMO IDUS MAII.

Nono Maii.

Britus tom. 1. sive Vasconzelius in descri-

IN Lusitania obiit piæ memoriæ illustrissimus Princeps Petrus Alcobaciæ Monachus, & Alphonsi Lusitanorum Regis

Regis frater; qui post sequutam sęculi militiam jam bellicis operibus clarus, contempto mundi schemate & opibus, Bernardi Abbatis Claraevallensis sanctitatis rumore ad Ordinem attractus est, deposito prophanae militiae cingulo, ut sacrae Christi Regis nomen daret. Sicque factus humilis Monachus in Alcobacia, multis virtutibus claruit, cultui Deiparae Virginis deditus, quo fervore Petrus eandem coluit; cùmque tantae Virginis imaginem aliquando attenta mente contemplaretur, & in ea mirabiles ejusdem virginis dotes perpenderet, extra se factus totus in amoris suspiria diffluxit, & caelestibus misteriis plerumque intentus, noctes aliquando ducebat insomnes in oratione persistens. Sobrietati etiam deditus, unicam refectionem per diem sumebat. Silentii quoque amator, per sex menses aliquando siluit. Humilis denique in omnibus existens, nunquam sacris ordinibus initiari voluit, etsi ei consulerent Superiores. Tanto enim gradu indignum sese existimabat, ut in statu laïco voluerit perseverare, non alta sapiens, sed abjectis & vilibus exercitiis libenti animo vacans. Cùmque multarum virtutum cumulum sibi comparasset, spoliis hostium suae salutis ditatus, ovans perrexit ad Christum, hac die in Calendario Sanctorum Ordinis annotatus.

ptione regni Lusitaniae. Britus *tom. I. lib. 5. cap. 28. & 29.*

In Claravalle beatus Petrus Conversus S. patris Bernardi discipulus; qui spreta saeculi militia, delitiis & opibus, habitum monasticum assumpsit; ibique spiritalibus exercitiis quàm maximè deditus, ex illiterato homine, doctus in salutis studio evasit: & sic virtutibus conspicuus, sancto patri Bernardo extitit charissimus. Mortuus in senectute bona hac die aut sequenti, ut ex Calendario Sanctorum Ordinis suspicari licet.

Calendarium Gallicum *hac die.*

SEXTO IDUS MAII.

Decimo Maii.

IN Regno Valentiae procurante Ioanne Aragoniae, Cataloniae & Valentiae Rege, anno Domini millesimo tre-

Tabulae hujus loci.

centesimo decimo septimo, vel, ut volunt alii, decimo nono ex Templariorum Militum spoliis instituitur Ordo militaris de Montesia sub ritibus Cistercienſibus, authoritate Ioannis XXII. summi Pontificis; qui quidem datur regendus in temporalibus Guillelmo Erilio primo Præfecto & viro clarissimo: in spiritualibus verò Abbati de sanctis Crucibus candida veste cum cruce rubra militibus pro habitu & insignibus data.

Petrus de Vreeyo Abbas in suo Itinerario Hispanico
Seguinus lib. 3. SS Ordin. cap. 121.

In Hispania S. Theresa Sanctimonialis Cœnobii de Gradefes quod construxerat & cui præfecta in Abbatissam, sicut ex Regio Aragoniæ sanguine erat nata, ita Regium animum induit. Fuit enim sanctitate illustris, multis dotibus animi decorata, & piis operibus ornata; quæ migrans ad sponsum, hac die decima Maii in Menologio annotata est.

QVINTO IDVS MAII.

Vndecimo Maii.

Vita S. Bernardi lib. 1. cap. 3.
Gonzalus de Silva lib. 1. cap. 11. & pluribus aliis.

IN Gallia Cœnobio Pontigniaci depositio beati Guidonis sancti Patris Bernardi Clarævallis Abbatis fratris, qui omnium suorum fratrum primogenitus existens, & hac de causa ditior & locupletior omnibus, illis videbatur sæculo tenaciùs inhærere. Sed monitis sancti fratris sui Bernardi compunctus, illicò mundum affectu reliquit, Religionique nomen libenter dedisset, nisi conjux ejus pertinaciter proposito restitisset. Morbo tamen gravi correpta, uti ei prædixerat Bernardus, coacta est voto mariti consentire. Datoque consensu, Guido liberè fratribus aggregatus Cistercium adivit; ubi ducto Religionis tyrocinio sub sancto Patre Stephano Abbate Cistercii, & emissis solennibus votis, posteà in Claramvallem transmissus est cum sancto Abbate Bernardo. Hincque post probatissimam vitam Pontigniacum translatus, uti ei longè spiritu prophetico prædixerat Bernardus, virtutibus quibusvis ornatus sancto fine quievit, hac die ut in Calendario Sanctorum Ordinis licet col-

ligere. Ejus autem gloria post obitum S. Patri Bernardo revelata est, quam aliis posteà Bernardus renunciavit.

QVARTO IDVS MAII.
Duodecimo Maii.

IN Gallia Cœnobio Regalis-montis die Dominica infra octavas Ascensionis commemoratio sancti Sulpitii pii dicti à mansuetudine, & Archiepiscopi Bituricensis; in cujus honorem olim sacellum portæ fuerat sacratum, extatque ibi manus ejus in theca argentea reposita.

Alnæ in Leodio obitus beati Verrici Prioris, qui ab adolescentia jugum Religionis suscipiens, disciplinâ morum claruit; & factus liberalis in pauperes, eisdem quæque præ manibus occurrebant, erogabat. Vnde cùm aliquando nihil amplius quod distribueret, haberet; instar S. Martini, ut nudum sibi obvium tegeret, propriam tunicam exuit. Tantæque austeritatis fuit, ut sæpè sæpiùs è choro exiens secretò, virgis & funibus propria membra dilacerabat in Capitulo. Nec penso officii diurno ac nocturno contentus solito, psalterium adhuc per diem in Ecclesia ex integro persolvebat retro majus altare latitans, ne ab aliis videretur in Dormitorio pausantibus. Cùmque multis prænuntiatis spiritu prophetico clareret, & miraculis ut dicitur coruscaret, redditâ pluribus languescentibus sanitate, qui hujus sancti viri in Missarum solenniis ablutiones cum fide potabant: bonis cumulatus operibus, migravit ad Christum, anno Domini millesimo ducentesimo decimo septimo, sepultus in claustro lectionis, is qui fuerat lectionis amator. Hacque die in Calendario Sanctorum reponitur.

Vita MM. apud Alnam. Sacrarium Leodiense. Arnoldus de Raisse *in Auctuario suo ad Molanum.*

In Germania Cœnobio Veteris-montis Ioannes Herechim Conversus & vir eximiæ virtutis; cujus laudem præco fuit Cæsarius lib. 7. historiarum sui temporis, sicut & Surius. Claruitque Ioannes spiritu prophetico, & obdormivit in Domino hac die insertus Menologio.

Vita S. Engelberti Coloniensis Archiepiscopi. Cæsarius *lib. 7. hist. cap. 7.*

TERTIO IDVS MAII.

Decimo tertio Maii.

Communis traditio apud Castellionem & in Ordine.

CAstellione in Burgundia oppido ad Sequanam in Ecclesia S. Berolo sacra, ablactatus est spiritali lacte Bernardus Abbas à beatissima Virgine, dùm ante ipsius Virginis imaginem, in sinistra altaris parte cujusdam sacelli positam, totus amore flagrans oraret, & hæc verba proferret, *Monstra te esse matrem*, ut varia testantur manuscripta, ab authoribus pluribus relata, & ejusdem loci Castellionis monimenta.

Tabulæ hujus loci.

In Picardia & comitatu Boloniensi non longè à Monstrolio oppido ad mare, dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ de Longo-Villari Ordinis Cisterciensis & filiationis Claræ vallis ac Saviniaci; cujus quidem dedicationis anniversarium, nunc temporis non hac die quâ esset celebrandum, sed eâ quâ Doloniensis Ecclesia suam celebrare solet dedicationem, recolitur.

Theodorus Pybes *ubi de inventione corporis S. Isdebaldi.*

Dunis in Flandria B. Thomas Monachus, qui è Belgio in Angliam transmissus à Superioribus pro quadam Ecclesia Ordinis administranda, comprehensus est ab hæreticis. Et primò quidem incarceratus pro fide multa sustinuit; postea verò constans in eadem fide, capite plexus est & patibulo suspensus, semivivus in frusta divisus; & sic felici agone consummatus, ascriptus est Menologio ad hanc diem.



PRIDIE IDVS MAII.

Decimo quarto Maii.

IN Bohemia Cœnobio Aulæ-Regiæ plures B. Monachi martyres, qui à fidei christianæ & orthodoxæ hostibus intercepti, trucidati sunt pro Christo Domino; in quorum martyrii signum, perpetuum creditur vigere miraculum, in arbore cui suspensi sunt ipsi martyres, dùm folia ejus habitus monastici formam referunt. Annotati sunt isti in Menologio ad hanc diem. Bruschius in sua Cronologia.

In Claravalle B. Petrus Monoculus dictus, Abbas sanctus, qui genere clarus & regio sanguine natus, illustrior adhuc sanctitate extitit. Nam spretâ mundi pompâ, & relicto patrio solo ac sæculi fastu simul cum studiis, Igniacum Campaniæ Cœnobium venit; ubi per visionem quandam B. Virginis in throno residentis & puerum ipsum ad se vocantis, ac teterrimum canem ingressum impedientem repellentis, conversus: suave Religionis jugum suscepit bonæ indolis adolescens. Variis autem gratiarum donis irradiatus, in brevi totius sanctitatis culmen attigit. Factus enim successu temporis pro merito Igniaci Prior, tanta probitate vitæ adhuc refulsit; ut præhabitâ à quodam Monacho visione (dum in Ecclesia oraret) cujusdam præcipuum candelabrum ex Ecclesia per fenestram transferentis, futura ejus promotio ad Vallem-Regiam designata fuerit; quod quidem accidit. Nam electus Abbas prædicti loci, onus jussu potiùs & Superiorum imperio, quàm spontaneâ voluntate suscepit. Et hoc Cœnobium tantâ cum prudentiâ rexit; ut totius virtutis & sanctimoniæ jubar sese omnibus exhibuerit. Totus quoque in lacrymas, quas pro delictis propriis & aliorum effundebat, oculorum alterum deperdidit. Quam ob causam Monoculus est cognominatus. Et hanc quidem jacturam tantò patientius tulit, quantò cum animi hilaritate dicere solebat, sese ab uno prædone deinceps liberatum, ex duobus quibus anteà vexabatur. Cùmque aliquandò per Vita ejus MM. Tabulæ Claræ-vallis.

spiritum quosdam rusticos Monasterio infensos, quandam villam & grangiam comburere velle monitus fuisset; eosdem per Monachum & moneri & ad se accersiri jussit in Infirmitorium, ubi æger decumbens eos cum tanta benignitate alloquutus est, ut malitiam eorum detegens, eosdem à perpetrãda malitia non sine miraculo dissuasit, & contentos remisit. Mortuo autẽ Abbate Igniaci, è Valle-Regia Igniacum concordi fratrum suffragio translatus est. Quod quidem onus nisi invitus suscepit. Verùm sub ipso sancto Patre Gerardo Claravallensi Abbate nequiter occiso apud Igniacum à Pseudo-Monacho Hugone de Bazochiis, vix à lacrymis & à cordis mœstitia sese temperare valuit; ducto enim sancti martyris corpore in Claramvallem, tristitiæ solatium non admisit, donec è cælo consolatus inter missarum solennia per visionem sanctorum Bernardi, Malachiæ, & ejusdem Petri gloriâ refulgentium, rediit ad suos. Paulò post tamen novo iterùm Abbate Clara-vallensi defuncto, ipse in ejus locum assumptus est. Raptusque potius Claramvallem quàm ductus, à priori vita non destitit; imò interioribus omninò deditus, & columbina simplicitate præditus, relictis externis Cellerario, iis quæ ad animarum salutem pertinebant, vacavit. Externa tamen non spernens, eorundem curam Philippo Regi sibi consanguinitate propinquo ac charissimo, per Cellerarium tractanda commisit. Nam cùm aliquandò Rex ipse sanctissimum illum virum pro externis sui Monasterii negotiis egressum è solitudine, & quasi tædii pertæsum quòd tandiù per sæculum manere coactus esset, conspiceret: eidem compatiens, hæc ei verba dixisse refertur. *Curet Claravallis Abbas quæ intus Monasterii sunt, ego quæ foris sunt curabo.* Sicque reversus Abbas ad Monasterium, quietiùs & liberiùs Deo adhæsit; imò totus in internis positus, à primo sui novitiatus rigore & primæva disciplina minimè tepuit: sed in dies evadens sanctior, etsi in hac abbatiali dignitate esset, in magna tamen paupertate vivebat, unica veste contentus, quam viliorem sibi dari curabat. Ortam verò litem pro prædio sui Monasterii à vicino quodam Nobili usurpato, sola sui animi mansuetudine sopivit. Nam cùm sanctus ille Abbas soli adver-

ſario ſuo litem ſuſceptam dirimendi jus mira cum ſimplicitate ſolo verbo reliquiſſet, & impunè adverſarius prædictum prædium illicò contra propriam conſcientiam ad ſe pertinere aſſeruiſſet, ac in domum lætus revertiſſet, monituſque ab uxore ut ablatum reſtitueret prædium, nè quidpiam pejus in ultionem injuriæ ſancto viro illatæ domui ſuæ contingeret; ad Abbatem contritus & pœnitens rediit, ablatum reſtituit, & damno ſatisfecit. Sicque ſanctus Abbas tantis illuſtribus operibus inſignis, tàm apud Deum, quàm apud homines depoſita carnis mole, laboribus ſuis finem impoſuit, ut Sanctorum gloria pro vitæ merito frueretur. Sepultum autem eſt tanti viri corpus in majori clauſtro Claræ-vallis, intra Eccleſiæ murum ſub arcu lapideo juxta alia Sanctorum corporum oſſa. Memoratur autem Petrus hac die in Calendario Sanctorum Ordinis, quamvis ad aliam diem referat ejus memoriam Henriqueus.

IDIBVS MAII.

Decimo quinto Maii.

IN Belgio & Cœnobio Vallis-Roſarum non longè à Mechlinia depoſitio bonæ memoriæ Margaretæ ibidem Sanctimonialis, quæ variis chariſmatum donis illuſtrata, diverſa virtutum exempla præbuit. Plerumque verò rapta in oratione & extra ſe poſita per ecſtaſim, poſteà cum Angelis & cæleſtibus ſpiritibus per ſuam converſationem, non cum hominibus eſſe videbatur. Morbo autem lethali correpta, quaſi proprii ſui doloris immemor, Antiſtitæ ſuæ paralyſi tunc temporis laboranti, compatiebatur. Cui cùm promiſiſſet per Confeſſarium poſt obitum ſanitatis illius recuperationem, ſancto fine quievit; ac poſteà ſuis precibus eidem Abbatiſſæ ſanitatem reſtituit. Mortua verò ipſa anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo hac præſenti die, inſerta eſt Calendario Sanctorum Ordinis & Molani annotationibus ubi de Belgii Sanctis.

Calendarium SS. Belgii. Arnoldus de Raiſſe *in Auctuario ad Molanum hac die.*

DECIMO SEPTIMO CAL. IVNII.

Decimo sexto Maii.

Tabulæ hujus loci.

IN Picardia Galliæ provincia, juxta Compendium & Cœnobio B. Mariæ de Gaudio, commemoratio solennis B. Claræ Virginis & martyris, quæ cum Vrsula & sociabus pro sponso Christo & castitate conservanda, fundere sanguinem & vitam meruit, ejusque ossa successu temporis allata sunt ad hoc Cœnobium; ubi coruscant miraculis, sed præsertim in gratiam ophtalmia laborantium. Hacque de causa videtur Claræ nomine insignita.

Tabulæ ejusdem loci.

In Parco-Dominarum idem festum sanctæ Claræ Virginis feriis Pentecostes celebratur, ob caput ipsius Sanctæ ibidem repositum in theca argentea, olim ex priori Cœnobio de Gaudio translatum, cùm Moniales ejusdem Cœnobii in Parcum translatæ sunt.

Calendarium SS. Ordinis. Ioannes Abbas Cistercii *in suo catalogo Sanctorum Ordinis.*

Cistercii in Burgundia B. Raynaldus Abbas quartus, qui Comitis Barrensis filius, factus est ab adolescentia Monachus Claravallis, sub sancto Patre Bernardo. Cùmque ejus virtus ubique refulgeret & nota esset Ordinis Patribus, ab ipsis simul cum Cistercii Cœnobitis & seniore Abbate sancto Stephano adhuc vivente, electus est Cistercii Abbas. In qua quidem dignitate antiqua Ordinis Statuta colligi, & ad praxim ab omnibus redigi tùm verbo tùm exemplo, curavit. Ejus autem sanctitatem novit B. Christianus Monachus Eleemosinæ, dum ad ejus mandatum pergens Cistercium, meruit in spiritu Raynaldum Abbatem inter Angelos residentem & psallentem conspicere. Mortuus verò in senectute bona, sepulturam obtinuit juxta sanctos prædecessores Albericum & Stephanum in claustro Cistercii; & nomen ejus meritò insertum est in veteri Calendario Sanctorum Ordinis & in Menologio ad hanc diem.

Cæsarius *lib.* 7. *cap.* 20. & 21.

In Germania beatus Eustachius Hemmerodensis Abbas, qui paternarum sui Ordinis traditionum sedulus imitator factus, Cœnobium suum piè rexit. Cùmque aliquandò vigilis

giliis & nocturnis precibus intereſſet, quaſi extra ſe raptus ſalutis ſuorum indicium certum accipere meruit à Deo. Pius verò in beatiſſimam Virginem multa chariſmatum dona per ipſam ſuſcepit. Et pòſt piiſſimam mortem immortalitatis corona inſignitus eſt. Memoratur autem in Menologio ad hanc diem.

DECIMO SEXTO CAL. IVNII.

Decimo ſeptimo Maii.

IN Germania beatus Giſilbertus Abbas Hemmerodenſis, qui ſæculo divina & cæleſti gratia ſubductus, & ad clauſtrum vocatus, ſtuduit hominibus abſcondi. Dono verò miraculorum ob eximiam humilitatem inſignitus, ſuis precibus beatum Mengoſum Monachum mortuum ad vitam revocavit. Sicque miraculis inſignis & meritis plenus, hominem exuit, ut novâ Sanctorum gloriâ veſtiretur; aſcriptus in Menologio ad hanc diem.

Cæſarius *lib. 5. ſuarum hiſtoriarum cap. 4. & lib. 11. cap. 11.*

In Brabantia beatus Laurentius Monachus Claræ vallis ac ſancti Bernardi diſcipulus, qui miſſus in Brabantiam, & primus Abbas Villarii conſtitutus, multa vitæ incommoda diù patienter ſuſtinuit, tùm ob Cœnobii paupertatem, tùm propter vicinorum vexationem. Verùm factus ſub vitæ fine ſecretioris vitæ cupidus, onus ſibi impoſitum ab eodem Patre, ejuſdem conſenſu depoſuit; conſummatuſque omni virtutum ſplendore, appoſitus eſt ad Patres, piâ morte ex hac vita ſublatus, & poſt mortem meritò annotatus inter viros Ordinis ſanctos ad hanc diem.

Gaufridus Villarienſis *in epiſt. 1a ad Idam.* Chronicon Villarii.



DECIMO QVINTO CAL. IVNII.
Decimo octavo Maii.

Tabulæ hujus loci.

IN Normania & diœcesi Ebroicensi ad Sequanæ ripas propè Rothomagum dedicatio Ecclesiæ beatæ Mariæ de Bono-portu, filiationis Vallis B. Mariæ.

In Lusitania dedicatio novæ Ecclesiæ sancti Ioannis de Tarouca ab illustrissimo Braccarensi Episcopo facta, præsente innumera populi multitudine.

Ioannes Gillemannus *in suo Hagiologio Sanctorum Brabantiæ.*

In Belgio Cœnobio de Rameya beata Margareta virgo illustris, quæ post susceptum habitum Ordinis cum velo, innocentissimam vitam, etsi brevissimam duxit. Nam adhuc Novitia immaculatum spiritum transmisit ad cælos, anno ætatis suæ undecimo: apparensque beatæ Idæ Nivellensi sibi familiari, eam de sua beatitudine certam reddidit; annotata ad hanc diem Maii in Menologio.

DECIMO QVARTO CAL. IVNII.
Decimo nono Maii.

Chronicon Antissiodorense. Cartæ Longi-Pontis.

IN Valesia Galliæ provincia & Cœnobio Longi-Pontis depositio piæ memoriæ Petri Cantoris Parisiensis, qui jam in sæculo pius & illustris, multis utilis fuit in spiritualibus. Electus autem Attrebatensis Episcopus, electioni nunquam voluit assentire; imò sæculum omninò fugiens, venit Longum-Pontem: ubi factus humilis Monachus, à priori pietate non destitit. Imò etsi celebris esset tum in dicendi peritiâ, tum in vitæ probitate, etsi tamen nihil unquam pium egisset, pluribus adhuc studuit operibus cumulari. Consummatus tamen in brevi, ad annũ reparatæ salutis millesimum centesimum octuagesimũ aut circiter, migravit ad Christum, & ejus corpus sepultum est in majori claustro

Longi-Pontis ad Ecclesiæ ingressum juxta murum; ubi adhuc quiescit, & ejus sepulcrum visitur.

In Claravalle moritur piæ memoriæ Guillelmus de Monte-acuto dictus, qui primò factus Clarævallis Monachus, ac posteà Firmitatis Abbas, ob præcelsum vitæ meritum, tandem factus est Cistercii vigesimus secũdus Abbas. In qua quidem dignitate tantâ virtute excelluit, ut post obitum inter Ordinis viros illustres inseri meruerit; paulòque ante mortem cedens, ut quietiùs Deo vacaret, Claramvallem rediit, ubi sancto fine quievit hac die qua in Menologio refertur.

Calendarium SS. Ordinis *hac die.*
Manrique *in suo Calendario.*
Tabulæ Cistercii.

In Italia B. Ioachim Curacii seu Florensis Abbas & Propheta, qui ab infantia sequutus curiam Principis, non diu ibi sistit, sed solitudini & orationi deditus, primò Monachus factus est in Sambucina, posteà verò Curacii sub Columbario Abbate, ubi satis disciplinis regularibus imbutus, & lectionis sacræ scripturæ addictus, Deo placere studuit. Zelo verò animarum succensus, in publicum prodiit, ut verbum salutis populo daret. Quo quidem verbo multos sibi aggregavit discipulos. Factus verò pro merito Curacii Abbas, ibi aliquandò mansit, verbo & exemplo prælucens. Verùm & sanctiorem vitam & austeriorem cupiens, stupendam servitutem cum Daniele Monacho præfixit observandam. Vndè abdicata dignitate Abbatiali, ex ipso Monasterio egressus est ut sese in quandam solitudinem reciperet: ubi novos suarum prophetiarum libros dictavit. In quo quidem exercitio plures habuit adversarios, sed præsertim Abbatem Cistercii Bernardum per Adamum Perseniæ Abbatem; vocatusque Romam & posteà remissus, Florensem Congregationem instituit, quam pluribus annis rexit. Multa autem in suis prophetiarum libris prædixit de bello sacro & de institutione futura Ordinum SS. Dominici & Francisci quæ posteà acciderunt. Multùm verò perutiles fuissent iidem libri, nisi eos quibusdam in fide erroribus conspurcasset Ioachimus. Verumtamen ipsis à Lateranensis Concilii Patribus repurgatis: ipsi Ioachimi vitam non improbarunt, quòd ille Ioachimus suos libros Ecclesiæ judicio submisisset. Mortuus autem in senectute bona, suæ sanctitatis odorem reliquit, & Beatus an-

S. Antoninus.
Miræus *in Chronicis.*
Antiquæ tabellæ Ordinis.
Vvionius *in ligno vitæ lib. 5. c. 86.*

numeratur inter Ordinis viros illustres apud Henriquezum ad hanc diem.

Relatio martyrum Hiberniæ.

In Hibernia B. Malachias Monachus Bulliensis, qui ab hæreticis interceptus, pro fide Catholica multa probra & tormenta patienter sustinuit, ac tandem patibulo suspensus est publicè cum Patricio socio : sicque coronam martyrii adeptus, meruit habere in Menologio Cisterciensi specialem memoriam ad hanc diem.

DECIMO TERTIO CALEND. IVNII.

Vigesimo Maii.

Tabulæ hujus loci.

IN Pontinio & agro Ambianensi non longè à mari dedicatio Basilicæ B. Mariæ de Loco-Dei hoc præsenti sæculo facta, post restauratam ex integro Ecclesiam.

Tabulæ Cistercii.

Gandavi in Belgio depositio beati Guidonis Cardinalis Prænestini, qui à primis vitæ suæ annis religionis jugo simul cum habitu Ordinis suscepto, magnis virtutibus claruit. Vndè posteà factus pro merito Cistercii Abbas, ab anno millesimo centesimo nonagesimo tertio, ad annum ducentesimum aut circiter, piè & laudabiliter eundem Cisterciensem Ordinem rexit. Fama verò suæ sanctitatis Romæ facta, à Clemente III. Summo Pontifice vocatus in urbem primò Diaconus Cardinalis est renuntiatus. Quæ quidem dignitas prioris suæ observantiæ rigorem non minuit, imò adauxit. Authoritate enim potentior aliis factus, altiora quoque est æmulatus: & ut priùs Ordini profecerat, sic posteà toti Ecclesiæ. Vndè ab Innocentio III. Episcopus Prænestinus creatus, & postmodùm Archiepiscopus Rhemensis factus, in Germaniam missus est, ut ibidem Ecclesiæ negotiis consuleret ; ac multas Ecclesias, à disciplina Patrum deviantes, reformaret. Quod quidem ita feliciter peregit, ut multa ibidem pia instituta curaverit observari, pro ampliori fidelium pietate. Ipse enim author fuit ut in missæ sacrificio campanula pulsaretur, ad populum commonendum pro sacræ Eucharistiæ adoratione, & pro ejusdem Sacramenti de-

latione ad infirmos. Quod posteà per totam Ecclesiam observatum est. Hinc verò Leodium pergens de mandato Summi Pontificis, Canonicos ad puriores mores reduxit, multis hac de re promulgatis legibus. Cùmque jam senex laboribus frangeretur, Gandavi in morbum incidit: ubi in brevi consummatus, post suscepta Sacramenta, sepultus est in ædibus S. Petri, & tandem hinc delatus est Cistercium. Nec est qui de ejus constantia & fortitudine dubitet. Cùm enim ei aliquandò tria millia marcharum argenti à Friderico Imperatore schismatico oblata fuissent in thuribula distribuenda per universum Ordinem, respuit. Nomenque ejus hac die Ordinis Calendario insertum reperitur, & inter Abbates Cistercii decimus quintus nominatur.

In Sabaudia Altæ-cumbæ Cœnobio B. Vivianus primus Abbas, qui suscepto Ordinis jugo, apud Claramvallem sub sancto Patre Bernardo ab eodem missus est, ut præesset Altæcumbæ. Nominaturque multo cum honore in epistola supradicti Patris, & pietatis titulo insignis meruit post mortem Calendario ascribi ad hanc diem.

Epist. 54. Bernardi ad Haymericum. Chronica Montalbi *lib. 2. cap. 39.*

DVODECIMO CALEND. IVNII.

Vigesimo primo Maii.

IN Anglia beatus Godricus Eremita insignis, qui sub Cisterciensibus ritibus diù militatus, multos in dæmonem triumphos piis suis operibus reportavit. Factusque ei terribilis per vitæ suæ austeritatem, in deserto vitam angelicam duxit. Familiaris verò sancto Roberto Novi Monasterii Abbate & (si fas est quibusdam authoribus credere) ejusdem Abbatis à confessionibus, tantæ extitit sanctimoniæ vir, ut quamplures è cælo coruscationes accipere meruerit. Expletisque sexaginta sex annis in solitudine, mortuus est in senectute bona, anno Domini millesimo centesimo septuagesimo. Cujus corpus sepultum est in sacello sancto Ioanni Baptistæ sacro, quem vivens uti Eremitarum institutorem

Seguinus *lib. 3. SS. Ordinis.* Sutius *in vita. S. Bernardi.* Baronius *tom. 12.*

ſpeciali cultu coluerat. Et habet ipſe Godricus nomen ſuum in Calendario Sanctorum Ordinis ad hanc diem Maii.

Liber MM. Dunenſis.

In Claravallenſi Cœnobio Venerabilis Pater Ioannes hujus loci Monachus & Prior, qui ſua propria virtute viam ſibi fecit ad altiores dignitates. Factus enim eſt primò Proviſor Collegii Sancti Bernardi Pariſienſis; deindè Abbas de Albis-petris. Tandem verò abdicato Præſulatu poſt pium regimen, privatam voluit agere vitam in Claravalle antiquo ſuæ ſtabilitatis Cœnobio; ut nec virtute, nec corpore à beato Patre Bernardo & aliis ſanctis Patribus hujus incliti Cœnobii ſepararetur.

Tabulæ hujus loci.

In Aquitania Cœnobiis de Bona-cumba & de Bona-valle in Rutinio: de Candelio in Waſconia: de Groſſo-boſco in Petragorio commemoratio ſolennis ſanctæ Guiteriæ Virginis ibidem miraculis celebris, ſed præſertim erga rabie laborantes.

Catalogus BB. Fullienſium.

In Alvernia Iacobus de Rupe Fullienſis Monachus, qui mundi ſuique contemptor factus, aſperrimam vitam duxit; pietateque & humilitate inſignis, Epiſcopalem dignitatem ſibi pluries oblatam reſpuit, ut hominibus ignotus, Deo notus exiſteret. Mortuus poſt multos ad meliorem frugem ſuis concionibus converſos, inſertus eſt Catalogo virorum illuſtrium Ordinis ad hanc diem.

VNDECIMO CALEND. IVNII.

Vigeſimo ſecundo Maii.

Tabulæ hujus loci.

IN Agro Pariſienſi & Cœnobio Vallium-cernaii Anniverſarium ultimæ tranſlationis corporis S. Theobaldi hujus loci Abbatis, ipſis Feriis Pentecoſtes pari die factæ; quâ adveniente & innumera propemodùm multitudine plebis ſingulis annis occurrente, oſſa illa ſacra per clauſtra cum ritu ſolenni & publica ſupplicatione deferuntur.

Cæſarius *lib. 1. cap. 43.* Montalbus *tom. 1. lib. 4. cap. 13.*

In Belgio B. Helſuindis Porcetenſis Abbatiſſa, quæ à pueritia in religionis & caſtitatis propoſito conſtans, non potuit nec minis, nec illecebris ab ipſo revocari; cumque

illa olim insciis parentibus ad Cœnobium confugisset, & posteà extractam à parentibus, coacti sunt Cœnobio restituere; sicque in Dei famulatu pertinax, facta est Porcetensis hujus Cœnobii Abbatissa, pietateque insigni refulgens, in exemplum omnibus fuit; & signis ac virtutibus celebris, vitam exuit, Menologio Henriquei ascripta ad hanc diem.

DECIMO CALEND IVNII.

Vigesimo tertio Maii.

IN Claravalle beatus Guillelmus Monachus, qui cælestibus coruscationibus per assiduam rerum cælestium & mysteriorum Dei speculatione assuetus, Christum aliquandò in homines iratum, ac beatam Virginem prò eminente malo & flagello avertendo deprecantem conspicere, eamque in hæc verba prorumpentem audire meruit: *Parce, dilecte fili, etsi non propter illos, saltem propter amicos meos, personas Ordinis Cisterciensis.* Vndè adhuc magis tantæ Virginis cultui deditus, dignum famulatum eidem reddidit: eaque opitulante meruit etiam salvari, ac sancto fine quiescere. Manet autem annotatus, post mortem, hac die in Calendario Ordinis Cisterciensis inter viros sanctitate illustres.

Calendarium Divione excusum.
Cæsarius *lib. 8. cap. 49.*

In Burgundia & Clarævallis Cœnobio beatus Tesselinus sancti Bernardi pater, qui dùm in sæculo viveret cum B. Aleyde conjuge contentus stipendiis suis, genere nobilis, militiam sequutus est aliquandò; quam quidem posteà deserens, sicut in bello strenuus extiterat, ita in pace extitit pius. Mortuâ autem conjuge, & filiis suis factis Monachis apud Cistercium, solus aliquandiù in sæculo perstitit. Sed tandem exemplo suorum filiorum succensus, sæculum deseruit, & in Claravalle sub filii sui Magisterio studuit obedire, cui jure naturæ olim præfuerat. Sicque Monachus factus, in magna sanctitate vixit & obiit. Sepultus ibidem inter suos filios in Cœmeterio Abbatum sub peculiari for-

Guillelmus Abbas sancti Theodorici.
Lib. 1. vita S. Bernardi cap. 1.
Brittus *tomo 1. Chronic.*
Ioannes eremita *lib. 1. vita S. Bernardi.*

nice, & annotatus inter viros Ordinis illustres in Calendario Sanctorum Ordinis.

NONO CALEND. IVNII.

Vigesimo quarto Maii.

Tabulæ hujus loci.

IN Picardia Cœnobio B. Mariæ de Biachio Sanctimonialium Ordinis non longè à Peronæ oppido dedicatio Ecclesiæ hujus loci à Quintino Episcopo Venetensi peracta de consensu Noviomensis Antistitis in cujus diœcesi sita est Abbatia.

Calendarium Gallicum *hac die.*

In Clara-valle B. Goduinus Medicus, & postmodùm Cisterciensis Monachus, qui sub sancto Patre Bernardo Abbate, habitu Ordinis suscepto, uti in medendis corporibus per medicinæ scientiam erat expertus in sæculo; ita animæ nævis per purissimam vitam in claustro remedia adhibere studuit. Charitate verò plenus, à priori arte exercenda non destitit, dum fratrum suorum corpora variis morbis affecta, sed præcipuè pauperum & inopum, in communi hospitio seu Xenodochio Monasterii sublevari curavit. Mortuus cum sanctitatis opinione, & hac die Calendario Sanctorum Ordinis ascriptus.

Chronicon Villarii *lib. 2.*

In Brabantia & Villariensi Cœnobio Guillelmus Monachus dictus de Donglebiert; qui nobili stirpe natus, sub S. Patre Bernardo habitum suscepit: victorque sui evadens, ubique plurimarum virtutum jubare conspicuus fuit. Tandem verò piis operibus plenus, obdormivit in Domino. Insertus est autem in Menologio ad hanc diem, ubi multùm commendatur propter eximiam suam humilitatem & animi demissionem.

OCTAVO

OCTAVO CALEND. IVNII.

Vigesimo quinto Maii.

IN Helvetia & diœcesi Constantiensi, ac Cœnobio sancti Vrbani filiationis Lucellæ & Morimundi solennitas ejusdem S. Vrbani Pontificis & Martyris, sub cujus nomine constructa est Ecclesia.

In Leodio & Monte-Corneliensi olim Monialium Cisterciensium Cœnobio institutio solennitatis Corporis Christi Domini, manifestata quidem à Deo per plures annos B. Iulianæ Sanctimoniali, & hujus loco Priorissæ, sub visione cujusdam lunæ maculis adhuc conspurcatæ, hanc præsentem Ecclesiam tanto festo orbatam præsignantis, & posteà publicata per Leodiensem præsulatum; edito officio ejusdem sanctissimi Sacramenti à Venerabili Viro Ioanne Montis-Cornelii Priore, & tandem per universam Ecclesiam ab Vrbano IV. Summo Pontifice, emulgato alio officio à beato Thoma Theologorum Coriphæo, anno ab incarnato Verbo millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, aut circiter. Vita B. Iulianæ.

In Anglia beatus Gilbertus de Hoylandia Suinserensis Abbas, qui sub sancto Patre Bernardo Claravallensi Abbate factus Cœnobita apud Claramvallem, charismata meliora semper est æmulatus; cùmque pressis vestigiis eundem Bernardum imitatus fuisset, ejusdem sancti Patris opus insigne in Cantica, suavi stylo prosequutus est, æquè doctus ac pius. Factus verò Abbas supradicti Cœnobii in Anglia, suos verbo & exemplo pavit, ac tandem ad superos post obitum, pro laborum mercede est sublimatus; annotatus in Menologio Henriquei ad hanc diem. Sixtus Senensis *in sua Bibliotheca.* Ioannes Pitseus *de Scriptoribus Angliæ.* Ioannes Trithemius *de Scriptoribus Ordinis S. Benedicti.*

SEPTIMO CALEND. IVNII.

Vigesimo sexto Maii.

Tabulæ hujus loci.

IN Agro Parisiensi dedicatio solennis Ecclesiæ beatæ Mariæ de Portu-Regio Sanctimonialium Ordinis, Cistercii filiationis olim à Reverendissimo Odone de Soliaco Episcopo Parisiensi instauratæ.

In Cameracensi Præsulatu dedicatio inclitæ Basilicæ B. Mariæ de Vaucellis in Hannonia filiationis Clarævallis à Domino Sansone Archiepiscopo Rhemensi anno Domini millesimo centesimo quadragesimo nono sub beato Radulpho hujus loci Abbate.

In Gallia Belgica seu Picardia, ac diœcesi Noviomensi ad Isaræ ripas, in insigni Cœnobio Vrsi-Campi filiationis Clarævallis repositio capitis sanctæ Annæ Matris Dei Genitricis Mariæ; quod caput olim ex Aptensi civitate allatum creditur à Matthæo Domino de Roya in Gallias, & ultima sua voluntate legatum Monachis Vrsi-Campi: quibus tamen, non nisi post longam litem cum hæredibus ejusdem Matthæi susceptam & solutam, datum est Monasterio; hac de causa ipsa die facta solenni supplicatione à Clero Noviomensi & Vrsi-Campi Monachis.

Vita sancti Bernardi *lib. 4. c. 3.* Vuion *lib. 1. ligni vitæ.* Seguinus *in Catalogo SS. Ordinis.*

In Gallia B. Henricus Archiepiscopus Rhemensis, qui regio sanguine natus & Ludovici Crassi Francorum Regis filius, ab adolescentia regium animum induit. Spretis enim mundi illecebris & Ecclesiasticis beneficiis, putà B. Mariæ de Stampis, de Medunta, de Pesiaco, sancti Mellonis de Pontisara & aliis quibus præfectus erat Abbas Commendatarius, factus est postmodùm Clarævallis humilis Monachus, non sine miraculo ac omnium admiratione & suorum luctu. Cùm enim Claramvallem venisset, ut sese Monachorum, sed præsertim Bernardi precibus commendaret, illicò mutatus est in virum alterum; susceptoque habitu & votis solennibus factis, pluribus virtutibus claruit, sed præsertim insigni humilitate. Nam cùm post professionem assiduè æger esset,

de Medicorum consilio & Regis desiderio Parisios missus est, non quidem in lectica ornatu regio decorata, sed in curru ligneo vili tegumento cooperto; ibique valetudine recuperatâ, rediit Claramvallem. Verùm nominatus posteà Episcopus Bellovacensis communi omnium comprovincialium Episcoporum consilio, nonnisi ægrè & post plures datas excusatorias literas, imò & Superioris sui Bernardi jussum, onus subiit. In qua dignitate tanta præditus est pietate, ut post illustres S. Petri Ecclesiæ Bellovacensis ædes extructas, reformatum Clerum & populum, ad Metropolitanam & Archiepiscopalem Sedem Rhemensem est assumptus Vbi adhuc novis clarescens virtutibus, pia loca suis donis & gratiis promovit. A quibusdam autem injustè accusatus apud sanctam Sedem, Bernardum Abbatem Claræ-vallensem innocentiæ defensorem habuit. Bonis tandem expletis operibus, obiit in senectute bona, ascriptus Ordinis Menologio ad 26. Maii, & in vita S. Patris Bernardi lib. 4. cap 3. memoratus.

SEXTO CALEND. IVNII.

Vigesimo septimo Maii.

IN Saxonia Cœnobio de Luka B. Rodolphus Conversus hujus loci, qui cælestium gratiarum charismate perunctus, ac cælesti lumine illustratus, proximorum suorum & Fratrum merita divinitùs cognovit, dum quindecim ex illis cruci confixos & omni splendore conspicuos, sub noctis silentio & in oratione conspexit. Quibus omnibus per vitæ meritum associatus, prævisa suæ mortis hora & quasi de salute securus, perrexit ad cælum, memoratus à Cæsario cum virtutis commendatione, & hac die in communi Catalogo Sanctorum Ordinis ascriptus.

Cæsarius *lib. 4. hist. cap. 18.* Calendarium SS. Ordinis.

In Scotia & Cœnobio de Kilos S. Anselmus Abbas primus.

QVINTO CALEND. IVNII.

Vigesimo octavo Maii.

Tabulæ hujus loci.

IN Artesia dedicatio B. Mariæ Flinensis facta à Petro Archiepiscopo Rhemensi ad annum Domini 1279. præsentibus Philippo Tornacensi Episcopo, & Domina Margareta Fundatrice & Liberis ejus, ac pluribus Ordinis Abbatibus, & aliis.

In Gastinio dedicatio Ecclesiæ de Sacra-Cella filiationis Cistercii à Philippo Augusto Rege, ut dicitur, constructa.

Cæsarius loco citato.

In Saxonia Cœnobio de Luka commemoratio solennis quindecim Monachorum ejusdem loci crucifixorum per carnis macerationem, quos in spiritu B Rodolphus Monachus vidit gloriâ æternâ donatos, memoratos hac die in Calendario Ordinis.

QVARTO CAL. IVNII.

Vigesimo nono Maii.

IN Lusitania Cœnobio olim Benedictinorum Monachorum, posteà Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis novis reditibus aucto à beata Theresia Regina, & constructo quondàm sancti Patris nostri Benedicti temporibus, dedicatio Basilicæ hujus loci in honorem SS. Martyrum Mammetis & Pelagii: ubi eadem Regina secunda Fundatrix virtutibus & miraculis clara, habitum Sanctimonialis cum velo suscepit à Petro Lametensi Episcopo.

Butzius in suis Annalibus Dunensis Cœnobii.

In Belgio B. Petrus Dunensis Monachus Conversus, qui austerus in vita, solo pane & aquâ pro cibo utens, instar alterius Danielis spiritu prophetico claruit, signisque quamplurimis illustris, feliciter expiravit. Inscriptus Menologio Ordinis.

In Bohemia & Cœnobio Zedlitzensi Monachi quamplurimi Martyres, qui ab Hussitis hæreticis, simul cum Chartusianis Patribus quos charitativè in hospites susceperant trucidati sunt in odium fidei, & parem coronam meruerunt anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo primo, ascripti Menologio. Ioãnes Cochlæus. Paulus Langius in Chronico Cizi-tensi ad annum. 1421.

In Lusitania beata Helena Sanctimonialis, quæ tanta pietate à pueritia in sancti Patris Bernardi cultum afficiebatur, ut audito ejusdem Sancti nomine vel visa ejus imagine, in ecstasim raperetur. Sacris autem Virginibus in Cellensi Monasterio associata, perpetuo cilicio, jejuniis & vigiliis, imò & gravi vulnere sibi quotidiano flagello & verbere carnem spiritui subjiciebat. Multisque editis sanctimoniæ signis, vitam cum morte felici obitu commutavit. Miræus. Britus tom. 1. Chronic. lib. 6. cap. 34.

TERTIO CALEND. IVNII.

Trigesimo Maii.

IN Agro Cameracensi & Cœnobio Valcellarum filiationis Claræ vallis anno Domini millesimo centesimo septuagesimo nono, feria tertia, temporibus Concilii Lateranensis, & ut dicitur de ejusdem Romanæ Synodi & Summi Pontificis licentia, solenni ritu ministris altaris albis indutis astante Anelmo quinto hujus loci Abbate, cum baculo pastorali, & Conventu Monachorum ac Conversorum & innumera populi multitudine elevantur è Capitulo sacra corpora beatorum Radulphi, Richardi & Nicolai Abbatum Valcellarum & in locum decentiorem intra novæ Basilicæ murum ad septentrionalem partem condigno honore transferuntur. Miræus in Chronico. Tabulæ hujus loci.

In Picardia juxta Bellovacum non longè à suburbiis dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ de Penti-Monte Sanctimonialium Ordinis & filiationis Cistercii olim à Philippo Duasco Episcopo constructæ.

In Lotharingiæ finibus & Cœnobio Morimundi hac die Genebrardus in

Chronico ad annum 1160.

celebratum est Concilium Episcoporum sub Alexandro III. Summo Pontifice in Galliis degente, pro Ecclesiæ negotiis & sedando schismate ad annum Domini millesimum centesimum sexagesimum aut circiter.

In Brabantia Nicolaus duodecimus Abbas Villarii è Claromaresco pro vitæ merito assumptus, patientiâ, charitate ac morum honestate decorus, mortuus ad annum 1240. & ibidem Villarii sepultus ac Menologio Henriquei ascriptus.

Cæsarius lib. 12. cap. 43.

In Germania B. Ermendrudis Abbatissa in Deytkirchen, quæ post sanctissimæ vitæ cursum beatæ Aszelinæ Moniali gloriosa apparuit, & ei plenissimam beatitudinem fuisse assequutam pro meritis revelavit, ascripta Menologio Henriquei & memorata à Cæsario; ubi inter hæc verba Passionis Christi Domini *in manus tuas commendo spiritum meum* feliciter expirasse eam commemorat. Quam tamen non Ermendrudem sed Irmendrudem nominat.

Bzovius in Annal. ad an. 1222.

In Tuscia B. Iacobus S. Galgani Monachus, vir simplex & timens Deum, qui cælestes spiritus familiares habuit, à quibus doctus preces quasdam pro Ordinis Dominicani incremento ex charitate sibi suggestas à cælo recitabat, sicque Deo dilectus & hominibus gratus, piâ morte consumptus est, ascriptus Calendario Ordinis ad hanc diem.

PRIDIE CALEND. IVNII.

Trigesimo primo Maii.

Cæsarius lib. 12. cap. 36.

IN Germania B. Stepo sancti Salvatoris Monialium à confessionibus, qui pro vita sua laudabili & morum gravitate à Deipara in æterna patria pulchra corona donatus, multis post mortem miraculis claruit, & Menologio Ordinis ad hanc diem ascribi meruit.

Fasciculus lib. 1. dist. 9.

In Germania moritur B. Hermannus Hemmenrodensis Monachus, qui variis donis è cælo, ob eximiam suam in Deum pietatem illustratus, in locum Strombergensem dictum à proprio Præsule cum aliis est transmissus, ut ibidem

Vallis Sancti-Petri Cœnobii fundamenta poneret. Quod quidem tam feliciter peregit, ut magna vitæ sanctimonia refulserit, pluribusque discipulis in morum disciplina informatis, suæ sanctitatis plurimos æmulatores post obitum reliquerit. Memoratus inter Ordinis Sanctos hac die in Calendario Sanctorum Ordinis ubi Vallis sancti-Petri nominatur.

In Belgio B. Fulco Abbas Dunensis, qui ex Gallia seu Bituriâ & Cœnobio Fontis-moriniaci egressus, & in Belgio profectus, ut Ligerium Anachoretam Dunensem quæreret & inviseret, ejusdem defuncti locum incoluit. Factusque vitæ suæ probitate plurium Monachorum Magister & spiritualis Pater, Dunensis Cœnobii fundamenta posuit. Sensim autem domo redditibus aucta, novis discipulis Cistercienfibus locum præparavit, paulò ante associationem Cœnobii hujus cum Ordine mortuus; post cujus mortem plures habuit suæ virtutis præcones apud Henriqueum ad hanc diem. Buzzius *in Chronico Dunensi.*

In Germania B. Guillelmus Monachus Heisterbacensis, qui tum ex memoria suorum scelerum, tum ex speculatione Dominicæ Passionis, tum etiam ex desiderio cælestis patriæ, ter in die lacrymas fundere solebat; & celebris factus piis suis operibus appositus est ad Patres suos, ob sanctimoniam commendandus, & memoratus à Cæsario Heisterbacensi & ab Henriqueo ad hanc diem. Cæsarius *in suis homiliis.*





MENSIS IVNII.

CALENDIS IVNII.

Primo Iunii.

Tabulæ hujus loci.



N Agro Virdunensi intra Lotharingiam dedicatio Basilicæ beatæ Mariæ de Castellione sub Trium-Fontium & Claræuallis filiatione facta in honorem Dei, sub invocatione Dei Genitricis, ac sancti Sulpitii Archiepiscopi Bituricensis.

In Sabaudia dedicatio Ecclesiæ beatæ Mariæ de Cheseriaco filiationis Fonteneti & Claræuallis, ubi olim sanctitate claruit beatus Rolandus ob virtutem & miracula.

In Germania & diœcesi Trevirensi dedicatio beatæ Mariæ de Hemmerode ab Arnoldo Archiepiscopo diœcesano, anno Domini millesimo centesimo septuagesimo octavo.

Missale antiquum Ordinis. Vuion *lib. 1. ligni vita cap. 47.*

In Germania Cœnobio de Eghena à Popone & Bertha Comitibus Hassiæ fundato, beatus Conradus Monachus, qui genere clarus, Ordinis habitum ibidem suscepit, & sanctissimè vixit; in cujus rei præmium, sicut & eximiæ suæ charitatis in egenos & pauperes, à Deo suscepit miraculorum

rum donum: meruitque post obitum inter alios Ordinis Sanctos, tum in veteri missali tum in Calendario hac die reponi.

Cistercii in Burgundia beatus Petrus sancti Roberti Abbatis apud Molismum discipulus, qui ex ferventi desiderio, cum aliis sanctis Patribus ad Cisterciensem eremum se transtulit. Vbi piis operibus illustris, feliciter expiravit; ascriptus in Menologio ad hanc diem.

Seguinus *in Catalogo SS. Ordin. cap. 8.*

In Livonia Albertus Rigensis Episcopus, à quibusdam Cisterciensis dictus, in Bremensi Cœnobio sancto Paulo sacro, & pro merito factus Episcopus, qui ritus & leges Ordinis dedit Militiæ Gladiferorum recenter natæ, annotatus inter Ordinis Sanctos ad hanc diem in Menologio.

Favinus *lib. 7. de gladiferis.*

QVARTO NONAS IVNII.

Secundo Iunii.

IN Polonia Cœnobio Claræ Provinciæ seu Cuprunicensis memoria beatorum Martyrum Monachorum hujus loci, qui in odium fidei à Tartaris Sendomiriæ occisi, suo sanguine locum illum illustrarunt, eorumque triumphus ibidem singulis annis fidelium concursu recolitur; concessis quibusdam indulgentiis sacra eorum corpora visitantibus, ab Alexandro IV. Summo Pontifice hac die quâ inscripti sunt Calendario.

Cromerus *in historia Polonia lib. 9. fol. 216.*

In Hispania & Hortensi Cœnobio depositio piæ memoriæ S. Ludovici de Estrada hujus loci Abbatis, & totius Congregationis Castellæ Superioris Generalis: qui postquàm suis concionibus & exemplis, sibi plurimorum amicitiam conciliasset, & plures ad claustrum seu meliorem frugem convertisset, suisque præluxisset, imò & exteros videlicet Societatis Iesu nuper exortæ, promovisset; appositus est ad Patres suos felicissima morte consumptus.

Miræus *lib 5. Origin. Monasticarum cap. 15. Carolus de Tapia.* Manrique.

In Brabantia beatus Ioannes Villarii Monachus, qui Christo adhærendi desiderio flagrans, totum se Deo serviendum tradidit; vix tamen Monachus, & adhuc probatio-

Chronicon Villarii.

nis agens annum, post innocentissimam vitam beato fine quievit; ascriptus Menologio hanc ad diem & Chronico Villariensi inter hujus loci beatos Viros.

TERTIO NONAS IUNII.

Tertio Junii.

Cæsarius lib. 4. hist. cap. 4. & alibi.

IN Germania & Cœnobio Hemmerodensi beatus Lifardus Conversus, qui diu in vilibus exercitiis exercitatus, eximiam sanctitatem & vitæ innocentiam est assequutus; quam quidem innocentiam miraculis Dominus dignatus est comprobare, dum quandam arborem quam præmeditabatur succidere Lifardus, nec tamen viribus naturæ valebat, coram ipso corrui voluit Deus: vexatus verò à dæmone cœnodoxiæ tentamento, Lifardus ob sua præclara opera ab Angelo liberatur, præostensis illis putridis quibusdam cadaveribus in cœmeterio jacentibus: sicque vitæ innocentia ubique conspicuus, sanctissima morte vitæ suæ cursum clausit, & meruit post obitum ad hanc diem inter viros Ordinis illustres conscribi.

Rosca in suo Cõpendio SS. Ordinis.

In Cænomania dedicatio Basilicæ beatæ Mariæ de Bella-Brancha filiationis Oratorii & Cistercii.

Tabulæ hujus loci.

In Normania Cœnobio beatæ Mariæ de Thesauro, commemoratio sanctæ Clotildis Reginæ, cujus caput ibidem asservatur ad odei Monialium crates.

PRIDIE NONAS IUNII.

Quarto Junii.

IN Italia & diœcesi Comensi dedicatio Basilicæ beatæ Mariæ de Aqua-frigida sub filiatione Morimundi; cujus quidem dedicationis pari die singulis annis recolitur anniversarium.

Morerolæ in Hispania beatus Hilarius Conversus, qui

Cistercienſem Ordinem ibidem profeſſus, ita humilitate cæteriſque virtutibus refulſit, ut ejuſdem vitæ ſanctitate, patentibus miraculis oſtendere dignatus fuerit Deus. Cùm enim aliquando Hilarius in agrum de Converſorum more perrexiſſet ad opus ſibi injunctum trans fluvium quendam, nec hinc cymbæ defectu redire poſſet in Cœnobium, magna ad Deum fiducia habita & vivifico crucis ſigno munitus, extenſo ſuper aquis pallio, flumen illud trajecit incolumis, quod non ſemel ei accidiſſe fertur. Et tandem multis ſignis & virtutibus illuſtris, animam tranſmiſit ad cælos; memoratus in Calendario Ordinis hac die, ſuppreſſo tamen nomine proprio.

Miræus in ſuis originibus monaſticis lib, 5. c. 15.

In Brabantia & Cœnobio Vallis-ducis beata Marguarita, quæ in præfato Cœnobio à Patre ſuo Henrico II. Duce Brabantiæ conſtructo, religionis habitu ſuſcepto, ibidem pauló poſt imbuta ritibus Ordinis piè præfuit. In qua dignitate multis virtutibus ornata, & etiam, ut dicitur, ſignis coruſca, animam puriſſimam exhalavit; teſtaturque Seguinus aliquando ſolennem ibidem anniverſarii diem habuiſſe, quod & refert Henriqueus ad hanc diem.

Cantipratanus *lib. 2. Apum.* Seguinus *lib. 5. SS. Ordinis.*

NONIS IVNII.

Quinto Iunii.

LOndini in Anglia graſſante Henrici VIII. Regis, ab Orthodoxa religione apoſtatæ perſecutione in Catholicos excitata, paſſio beatorum Guillelmi Truſt-Fontanenſis Cœnobii Abbatis, & alterius Cœnobiarchæ Riverienſis ejuſdem Ordinis, qui ambo comprehenſi & poſt dura vincula ac carceres in odium fidei patibulo ſuſpenſi, & nimia cum ſævitia in quatuor partes diſſecti, poſt equuleum, glorioſè pro Chriſto vitam & ſanguinem fuderunt, poſteritati perpetuò propter animi conſtantiam & fortitudinem commendandi.

Theatrum religionis Catholicæ ac proteſtanticæ.

In Normania dedicatio Eccleſiæ Fontis-Gerardi prope Rothomagum, facta anno milleſimo ducenteſimo decimo octavo.

Tabulæ hujus loci.

Tabulæ hujus militiæ.

In Lusinania institutio Militiæ Iesu Christi, sub ritibus Ordinis, & Abbatis Alcobacensis regimine, ex templariorum militum spoliis ditatæ, ad instantiam Dionysii Principis Lusitani, per Legatos apud Summum Pontificem Avenione degentem.

In Picardia & Cœnobio Frigidimontis dedicatio altaris sacelli S. Marguaritæ ad portam, facta ab Edmundo Abbate Clarævallis, anno salutis 1534. ubi ejusdem virginis positæ sunt reliquiæ, & habetur tanquam patrona.

Chronicon Villarii.

In Brabantia B. Bonifacius Prior Villarii, qui quondam sub sancto Patre Bernardo Clarævallis Abbate educatus, futuræ suæ sanctitatis plura specimina dedit. Missusque in Belgium pro nova Villarii fundatione, multa sustinuit; factus verò Prior, magna sanctitate refulsit, ac meruit post mortem, ut corporis sui speciali elevatione coleretur ut Sanctus; ejus quidem ossa retrò cancellos majoris aræ posita sunt, & cultui publico exposita.

Cæsarius *lib. 11. bisi cap. 4.*

In Germania beatus Sigerus Monachus Hemmerodensis, qui ætate juvenis, moribus maturus extitit, & factus sui corporis severus castigator, multis virtutibus claruit B. Virginis cultui addictus; in cujus pietatis compensationem, meruit in morte ab eadem Virgine consolari, annotatus in Menologio ad hanc diem.

OCTAVO IDVS IVNII.

Sexto Iunii.

Tabulæ hujus loci.

IN Gallæcia Monasterio Azebeyri beatus Gundisalvus Abbas, qui omnium virtutum splendore decorus, vitæ probitate, imò & miraculis refulsit; Campanæ enim Monasterii sine ullius adminiculo pulsabant divinitùs, cùm ad Monasterium pius Abbas ex agro revertebatur. Nec mirum si post tanta signa & operum merita, tanquam Sanctus habeatur, ascriptus hac die in communi Sanctorum Ordinis Catalogo.

In Monasterio Meibrosensi, seu Lindisfarnæ in Anglia

sanctus Rata Episcopus, pietate & doctrina illustris, qui olim Monachus & Abbas supradicti Cœnobii Meibrosensi Benedictini Instituti tunc temporis, nunc verò Cisterciensis, ob vitæ probitatem & Monasterio avulsus, & assumptus in Episcopum Lindisfarnensem, ad annum Domini sexcentesimum octuagesimum octavum, post pium regimen, sancto fine obiit, & albo Sanctorum ascriptus. Colebatur olim officio Ecclesiastico in Ecclesia Lindisfarnensi. Martyrologium Romanum cum Baronio. Molanus *& alii.*

In Gallia Venerabilis Pater Ioseph à sancto Germano Monachus Congregationis Fulliensis, Religionis decus & ornamentum cui nihil virtutis sanctitatis-ve defuit, nisi forsan miraculorum gratia; quæ tamen famam quam apud omnes sibi conciliaverat nullomodo minuit, cùm post felicem ejus obitum plures ad exequias accedentes quidquid de ejus veste, pilis, unguibus habere poterant detraxerunt, & meritò annotatus fuit communi Menologio Beatorum Ordinis ad hanc diem. Catalogus SS. congregationis Fulliensis.

SEPTIMO IDVS IVNII.

Septimo Iunii.

IN Francia & agro Parisiensi dedicatio Ecclesiæ beatæ Mariæ de Valle, olim sub filiatione Curiæ-Dei & Cistercii constructæ, nunc autem Monachis Fulliensis Congregationis sub Ordine Cisterciensi concessæ. Tabulæ hujus loci.

In Anglia & Cœnobio Novi-Monasterii depositio sancti Patris Roberti hujus loci Abbatis, qui postquàm pluribus annis à juventute desertum locum coluisset, & ibidem sacris initiatus ordinibus vitam innocentissimam traduxisset, strictioris observantiæ cupidus, Cisterciensem reformationem suscepit. Susceptoque habitu & votis solennioribus factis post probationem in Cœnobio Rievallis, ibidem omni vitæ sanctimonia extitit conspicuus. Vnde pro merito ad alia Cœnobia fundanda à proprio Abbate transmissus, Novo Cœnobio seu Monasterio vulgò *Neu-minster*, recenter constructo, præfectus est Abbas, ubi omnes in sui admi- Martyrologium Romanum. Molanus ad Vsuardum *& alii.*

rationem pro ſingulari morum ſuorum exemplo rapuit. Divina verò plerumque luce illuſtratus, arcana quamplurima è cælo per oraculum accepit. Cùm enim aliquando orationi inſiſtens, pro ſuorum Monachorum ſalute Deum optimum maximum exoraret, voce cælitùs delapſa ſuos omnes vitæ libro conſcriptos & ad gloriam prædeſtinatos reſcivit, ſolis duobus Converſis fratribus exceptis, qui pauló poſt, excuſſo religionis jugo, ad ſæculum turpiter redierunt. Præviſo quoque in oratione quorundam naufragio, cùm ſacrum ad altare faceret, ad eorundem corpora, jam ad maris littus appulſa, ſepelienda, quoſdam ex ſuis tranſmiſit, loco priùs ipſis deſignato, ut eadem reperirentur. Quod quidem prodigium tantam reverentiam ac ſtuporem ſcientibus injecit, ut facta fama tanti miraculi, omnes ſanctitatem viri mirarentur. Nec quidem ſolùm vivens miraculis claruit, ſed & mortuus; quidam enim ab utero matris mutus, divinam opem pro loquela recuperanda ad ſancti Thomæ Martyris & Cantuarienſis Archiepiſcopi tumulum implorans, ab eodem S. Thoma per viſum monitus eſt, ut ad ſancti Roberti tumulum accederet ſi linguæ uſu frui vellet, quodque tam feliciter ſucceſſit, ut fuſis precibus ad Deum, ibidem loquelam recuperaverit. Sanctus verò Robertus in dies ob crebra miracula notus, & felici morte conſumptus, reſcripto Apoſtolico albo Sanctorum ſolenniter eſt aſcriptus, & in Romano Martyrologio hac die annotatus. Viſa autem fertur ejuſdem Sancti anima in ſpecie globi ignei ad cælos tranſlata à beato Godrico Ciſtercienſi Anachoreta, & Sancti ipſius à confeſſionibus; nec quidem mirum, cùm ipſe Robertus dum viveret inſigni abſtinentia floruerit, jejunium perpetuum obſervaverit, pauperes quamplurimos ſuſceperit alendos; inter quos aliquando Chriſtus Dominus ſub figura pauperis extitit.

Petrus de Vireyo in ſuo Itinerario Hiſpanico. Seguinus lib. 3. SS. Ordinis Ciſterc.

Id Hiſpania beata Vrraca Fundatrix & Abbatiſſa Monialium beatæ Mariæ de Cannas, quæ puriſſimæ vitæ ſuæ exemplo plures alias virgines ſibi aſſociavit, & ſacris informavit inſtitutis; meritiſque tandem cumulata, ad cæleſtem patriam felici fine properavit, memorata à Seguino & ab Henriqueo ad hanc diem.

SEXTO IDVS IVNII.

Octavo Junii.

IN Campania & Cœnobio de Moris beatus Medardus Abbas eximiæ sanctitatis, qui ob præclarum vitæ meritum, ad hujus Ecclesiæ à sancto Patre Bernardo regimen sublimatus, propriis oculis aliquando eundem sanctum Patrem, cui ob raras animæ dotes familiaris erat, ab imagine Christi Domini in cruce pendentis amplexum conspicere meruit; aliisque visionibus clarus, signa sanctitatis suæ plurima posteritati dedit. Plenus autem bonis operibus, ex hoc corporis ergastulo solutus est, transmissa ad cælos innocentissima anima, & extat Sanctorum Catalogo in communi Ordinis Calendario hac die ascriptus. Calendarium Gallicum. Silva *in vita. S. Bernardi.*

QVINTO IDVS IVNII.

Nono Junii.

POntigniaci in Gallia translatio corporis S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis, olim ibidem hospitis; cujus quidem translationis anniversarium solenni ritu in hoc primario Ordinis Cœnobio recolitur sub proprio officio, occurrente illuc innumera populi multitudine. Instrumenta hujus loci.

In Anglia piæ memoriæ moritur Ioannes Anglus, Monachus & Abbas de Fontibus, qui ad Eliensis Ecclesiæ Pontificalem ob insignia merita evectus dignitatem, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo die octava Martii, & quarta quadragesimæ Dominica, extitit vir simplex, justus & à malo recedens (ut Arnoldus loquitur) mortuus ipso Iunii mense, quinto sui regiminis anno, post multa patentia suæ sanctitatis testimonia. Vuion *lib. 1. ligni vitæ cap. 41.* Arpheldius *facul. 13. cap. 24.*

In Britannia B. Ermengardis Britanniæ olim Comitissa, quæ à beato Patre Bernardo diu erudita in pietatis exerci- Britus *tom. 1. lib. 4. cap. 27.*

Calendarium SS. Ordinis.

tio, puriſſimam duxit vitam; primò Conano Comiti nupta; poſteà autem Sanctimonialis in Monaſterio à ſe condito non longè à Nannetis, ubi per undecim annos piè converſata, ſancto fine obiit. Cui olim duas Epiſtolas ſanctus Pater Bernardus tranſmiſit ſub hoc titulo; *dilectæ in Christo Filiæ ſuæ Ermengardi quondam eximiæ Comitiſſæ, nunc humili Christi ancillæ.* Erat autem ipſa aſcripta inter mulieres Ordinis illuſtres in Menologio ad hanc diem.

QVARTO IDVS IVNII.

Decimo Junii.

Tabulæ hujus loci.

IN Cœnobio ſancti Antonii Lutetiæ Pariſiorum in ſuburbiis feſtivitas tranſlationis corporis ejuſdem Sancti ibidem recolenda, quòd Eccleſia illa ſub invocatione ipſius Sancti erecta fuerit, & in Cœnobio Monialium Abbatiæ Liberæ in diœceſi Noviomenſi nunc Lutetiæ, ubi quædam oſſa hujus Sancti aſſervantur ad multorum ægrorum ſolatium.

Cæſarius *lib. 12. cap. 44.*

In Germania Cœnobio Montis-ſancti-Walburgis memoria Marguaritæ virginis & Sanctimonialis hujus loci, quæ gratiarum chariſmate præventa, à Chriſto ſponſo facta eſt ei cariſſima: ſequuta enim per vitam piis operibus, eundem agnum poſt mortem ſequi meruit cum prudentibus aliis virginibus quocumque ierit; memorata ad hanc diem apud authores Ordinis.

Liber de initio Ordinis Ciſter. diſt. 3. cap. 14.

In Godlandia B. Petrus Novæ-vallis Abbas, qui factus Monachus apud Claramvallem & ſancti Patris Bernardi diſcipulus, prædictum eſt ei ab eodem ſancto Patre, dum adhuc erat Novitius, quòd aliquando tranſmiſſurus eſſet in exteras regiones; quod quidem uti prænuntiatum fuerat evenit. Nam ſucceſſu temporis miſſus in Godlandiam, ibi factus eſt primus Abbas Novæ-vallis, multiſque piis operibus clarus, piiſſima morte conſumptus eſt, & appoſitus eſt ad patres, inſertus ad hanc diem Menologio Sanctorum Ordinis.

In

In Campania Galliæ Provincia beata Maria Monialis Vallen-curiæ, quæ piè vivens sub beata Ascelina Priorissa extitit omni virtute decora, & pia morte consumpta, eidem Ascelinæ apparuit post mortem gloriosa; datoque suæ beatitudinis testimonio, meruit Sanctorum Ordinis seriei inscribi ad hanc diem. Instrumenta Vallencuriæ.

TERTIO IDVS IVNII.

Vndecimo Junii.

IN Brabantia & Camera beatæ Mariæ prope Bruxellas depositio beatæ Aleydis de Scarenbeka dicta, quæ facta Monialis ibidem, per totam vitam variis afflicta est doloribus, & turpi percussa lepra, ita ut è corpore vermes ipsi scaturirent, mira cum animi patientia, eundem morbum pertulit, tum pro impiorum & nefandorum hominum conversione, tum pro animabus sororum suarum aliorum pœnas luentibus in purgatoriis locis. Separata autem à sodalibus propter corporis sui infectionem, Deo per orationem perpetuò adhæsit; cumque aliquando deprecaretur, ne sicut in hac vita à suis sororibus, in alia existeret segregata; se fore aggregandam beatæ Vrsulæ & cœtui aliarum virginum in cælo, rescivit. Miraculis autem clara ob eximia merita, candelam extinctam sine ullo flatu & ignis adminiculo accendit, & plures leprâ percussos sola manuum impositione curavit. Sed cùm anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono in ipsa solennitate S. Barnabæ Apostoli extremis Ecclesiæ Sacramentis munita, mortem diu optatam expectaret; responsum accepit non visuram se mortem nisi post annum integrum. Quod & accidit; Anno enim sequenti, tertio idus Iunii in ortu solis ac ipsamet die S. Barnabæ sacra, levi flatu purissimum spiritum emisit; inscripta hac de re Calendario Sanctorum Ordinis ad hanc diem. Molanus *in natalibus Sanctorum Belgii.* Gaufredus Villariensis *in epist. ad Idam.*

Regali-monte in Gallia veneratio capitis sancti Barnabæ Apostoli, cujus adhuc particulæ quædam extant. Instrumenta hujus loci.

PRIDIE IDVS IVNII.

Duodecimo Junii.

Monumenta hujus loci. Calendarium Ss. Ordinis.

IN Germania & Cœnobio Hemmerodensi beatus Opto Monachus, qui humilitatis cultor factus, cujusvis mundi fastus & sui contemptor extitit; sicque verum Christo famulatum exhibens, omni probitate vitæ conspicuus evasit: mortuus posteà & insertus pro meritis Calendario Beatorum Ordinis ad hanc diem.

Liber de initio Ordinis Cisterc. dist. 3. cap. 16.

In Claravalle B. Guido Monachus, qui cùm aliquando esset scholasticus & per dictum Monasterium transiret cum magistro, ipse magister corde compunctus, & Monachorum exemplo conversus, tentavit & Guidonem discipulum convertere. At Guido renuens & suadenti resistens, terribilem visionem habuisse fertur; videbatur enim ipsi diem mortis sibi præsignatam ante proximum festum Pentecostes, & in baratrum quoddam præcipitari, ex quo loco nonnisi implorata Sanctorum ope exire poterat. Qua visione territus & contritus, habitum monasticum illicò suscepit, & vitam ibidem purissimam egit; mortuus in senectute bona, & annotatus in Menologio ad hanc diem.

IDIBVS IVNII.

Decimo tertio Junii.

Instrumenta hujus loci.

IN agro Parisiensi & Cœnobio Vallium Cernaii secunda translatio corporis beati Theobaldi hujus loci Abbatis facta è veteri lipsanoteca lignea in decentiorem à Reverendo Patre Ioanne Abbate de Precibus, anno salutis millesimo sexcentesimo trigesimo nono, non sine innumeræ plebis advenientis multitudine, cujus quidem translationis anniversarium in feriam secundam Pentecostes est transpositum pro majori peregrinorum opportunitate.

Vita S. Bernardi. Sermo ejusdem Sancti in cantica. Molanus in appendice ad martyrologium litera G.

In Burgundia beatus Gerardus de Fontanis oriundus, & Cistercii Monachus, qui nobili genere natus ex Tescelino patre & Aletha matre, ac sancti Bernardi frater, cùm adhuc miles esset, ab eodem fratre monitus est de salute & de sæculo relinquendo; sed ipsi monitorem respuenti prædictum est ab ipso Sancto, quòd nonnisi percussus in latere converteretur. Percussus itaque eodem in loco quem tetigerat S. Pater, & carcere detentus ab hostibus, de salute cogitabundus, claustrum Cistercii intrandi votum fecit. Quo facto miraculosè solutus est vinculis, & è carcere nullo obvio, nisi uno qui eundem tenere non valuit. Egressus autem ac paulatim liberatus, Cistercium adiit cum fratribus; ubi suscepta Ordinis veste, & solennibus astrictus votis, post piam probationem in Claramvallem est transmissus cum sancto Bernardo Abbate, ubi cura temporalium habita, in multis sanctum Patrem consiliis adjuvit. Quantis autem virtutibus prudentiæ, humilitatis, mansuetudinis refulserit; quanta cum diligentia munus Cellerarii obierit; quanta cum charitate omnibus subvenerit; quanta cum austeritate vixerit, Bernardus ipse Abbas longa oratione habita in ejus exequiis fusè descripsit, postquàm in Italiam eundem duxisset comitem, & ei pro anno multis precibus à Deo mortis ejus dilationem obtinuisset, timens ne ipse in Italia moreretur. Reversus itaque in Claramvallem, paulò post sancto fine quievit, sepultus à sancto Bernardo non sine multarum lacrymarum profluvio & eundem habuit fidelem suarum virtutum patronum, annotatus inter Ordinis Sanctos ad hanc diem.

In Polonia beatus Nicolaus primus Andreoviensis Abbas, qui morum integritate & sanctimonia conspicuus, à quibusdam absolutè sanctus est nominatus; sed cùm de ejus solenni relatione in Catalogum Sanctorum Ordinis certo non constet, saltem inter Beatos fuit recensendus cum Henriqueo & aliis ad hanc diem.



DECIMO OCTAVO CALEND. IVLII.

Decimo quarto Junii.

Tabulæ hujus Monasterii.

IN Germania & Cœnobio de Luxa beatus Pavonius Monachus Conversus, qui ibidem sanctissimè degens, & juxta antiquorum Ordinis patrum statuta diutissimè conversatus in regulari observantia, illustria virtutum exempla exhibuit; factus verò signis celebris, piissimo obitu vitæ suæ finem fecit: meruitque inter Ordinis Sanctos recenseri hac die in Calendario olim edito Bruxellis in Brabantia; memoratus à pluribus authoribus, qui illius actus ex Luxensis Cœnobii archivis desumpserunt.

In Hispania beata Maria prima Cœnobii de Arroyo Abbatissa & Fundatrix, quæ ab ineunte ætate pietatem colens, eandem sibi per reliquum vitæ tempus retinuit; factaque Monialis tantæ vitæ probitate floruit, ut præfecta prædicto Cœnobio à se fundato, multas sibi associavit filias, quibus multarum virtutum exemplum præbuit. Fracta tandem corpore vitæ austeritate, jejuniis & vigiliis, per felicem obitum ad Christum sponsum perrexit, annotata ad 14. Iunii in Menologio.

DECIMO SEPTIMO CALEND. IVLII.

Decimo quinto Junii.

IN Italia Cœnobio sancti Viti Martyris Ordinis Cisterciensis, festivitas ejusdem Sancti solenniter celebranda.

Rusca *in suo Cõpendio SS. Ordinis.*
Liber illustrium Ord. dist. c. 2.

In Bituria Aquitaniæ Provincia & Cœnobio beatæ Mariæ de Pratea filiationis Clarævallis B. Abrahamus hujus loci Abbas, qui ab adolescentia jugo Domini suscepto, & habitu monachali induto, purissimam vitam duxit, sanctoque multæ virtutis odore emisso, meruit ut aliis præficeretur, factus Abbas communi omnium suffragio. Quibus tan-

ta præbuit suo exemplo bonorum operum incitamenta, ut & in vita & post mortem tanquam Sanctus habitus fuerit, ac jure Calendario Sanctorum Ordinis ascriptus.

In Germania & diœcesi Halberstadensi ac Cœnobio Riddaghusii, procurante Ladolpho Abbate, sacratur Ecclesia ejusdem loci, cujus quidem dedicationis anniversarium de licentia Capituli generalis & Ioannis Abbatis Cistercii, instantia Eggelingi Abbatis, in Dominicam post festum sancti Martini est translatum.

In Leodio festivitas S. Laudelini Fundatoris Alnensis Cœnobii & Episcopi, qui ab adolescentiæ annis prædo factus, multis infectus est sceleribus; conversus tamen, piè vixit, & Abbas factus Crespyensis Monasterii Ordinis Canonicorum Regularium, posteà Alnam extruxit pro iisdem Canonicis; Cisterciensibus tamen Monachis successu temporis concessam. Martyrologium Romanum.

Apud Longum-pontem elevatio corporum beatorum Monachorum Gregorii à Placentia Cantoris Parisiensis, ac Doctoris eximii, sicut & duorum militum Martyrum, à Domino Episcopo Suessionensi peracta, præsentibus pluribus Abbatibus & Prioribus, ac plurimorum utriusque sexus turma, anno Domini 1657. Actus hujus elevationis.

DECIMO SEXTO CALEND. IVLII.

Decimo sexto Junii.

A Quiriæ in Brabantia sancta Lutgardis virgo Sanctimonialis, quæ Aduatucæ in eodem ducatu Brabantiæ claris parentibus nata, anno duodecimo ætatis suæ tradita est à matre Monialibus Benedictinis sanctæ Catharinæ educanda; ubi cùm adolevisset & instantibus procis in matrimonium propenderet, repentina Christi vulnerati præsentia & alloquio ita fuit amore divino incensa, ut spretis mundi illecebris, solius Christi sponsi nuptias desiderio ambiret. Cùm autem duodecim annos degisset in prædicto Mona- Martyrologium Romanum cum Baronio.

sterio, altissimæ contemplationi addicta, dono prophetiæ & miraculis quibusdam claruit: sugillantibus verò sororibus nimium & insolitum Lutgardis fervorem, adfuerunt ei per visionem sancta virgo Catharina & sanctissima Dei Genitrix, quæ pusillanimem roborarunt. At cùm illa magna languentium multitudine premeretur, postulavit à Deo gratia miraculorum privari, ne in dispendium unius necessarii, erga plurima turbaretur. In raptu autem Christi Crucifixi brachio constricta, vivificum cruorem exsugit, sicque spirituali vinculo & arrha multiplici dilecto Iesu desponsatur. Verùm in Priorissam electa à Monialibus S. Catharinæ, illa verò ad strictiorem observantiam aspirans, monitu Dei Genitricis, & consilio Ioannis Lyrani Theologi Leodiensis abdicato Priorissæ officio, Herkenroden Ordinis Cisterciensis Cœnobium adivit; & hinc Aquiriam, ubi idioma patrium casso labore ediscere tentans, soli Deo vacavit: Grassante in Aquitania Albigensium hæresi, monitu prædictæ Dei Genitricis, septennium jejunium semel & iterùm suscepit, quæ solo pane & zitho labentem vitam sustinens, hæreticis & impiis Christianis gratiam pœnitentiæ postulabat. Suis quoquè precibus purgatorii pœnarum minutionem animabus procurans, plures à cruciatibus absolvebat, quæ posteà piæ liberatrici gratias referebant. Dæmonibus terribilis, eos verbi Dei fulgure longè à se abigebat. Dominicis diebus sacra reficiebatur communione; cui pietati insultantes aliquando Abbatissa & sorores, gravi morbo corripiuntur, usque dum piam Lutgardis consuetudinem approbarent. Charitate vulnerata adeò sitivit tormenta sanctæ Agnetis martyris, ut resoluta venarum cordis compagine, tota sanguine maduit. Quod Christus sponsus acceptans, ejusdem Virginis Agnetis præmium Lutgardi spopondit; quæ verò miracula subtraxerat humilitas, restituit divina potentia: nam tactu & sputo infirmos sanabat. Nobilem virum malè utentem opibus, ad claustrum traxit. Monialem mordacibus conscientiæ stimulis penè desperatam, ad spem veniæ revocavit. Feminam surdam & epilepticam integra valetudine donavit; omnium tamen hæc duo maxima. Primum cùm quicquid apud Christum spon-

sum valeret, eo egit ut impotens fieret ad miracula & dignitatum fastigia: alterum quod undecim annis orbata lumine, mira patientia ornata fuerit. Morienti autem astitit Christus, qui ei instare mortem nuntiavit, monuitque ut tria præstaret; videlicet, ut Deo de beneficiis acceptis gratias referret, ut Patrem misericordiarum pro peccatorum salute exoraret, & omni cura rerum humanarum deposita, requiem Sanctorum ingredi festinaret. Quibus peractis, piè obiit 4. idus Iunii anno ætatis suæ sexagesimo quarto, etsi hac die ejus festum celebretur ob incidentes solennitates prioribus diebus. Post ejus verò obitum, duæ sorores una manu arida, altera peste tumida, contactu veli & corporis sacri curantur. Hujus autem festivitas nonnisi quàm anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo ex decreto Capituli generalis celebrata est, etsi à pluribus annis Martyrologio Romano ascripta fuerit.

In Picardia Galliæ Belgicæ Provincia dedicatio Ecclesiæ beatæ Mariæ de Valle-Clara diœcesis Laudunensis, & filiationis Claræ-vallis. *Tabulæ hujus loci.*

DECIMO QVINTO CAL. IVLII.

Decimo septimo Iunii.

IN Africa passio beati Ferdinandi Principis & Ordinis Cisterciensis militis, militiæque Avisiensis Magistri generalis, qui à Mahumetanis captus, ludibriis, opprobriis, jejuniis, & ærumnis affectus in odium fidei, miram animi constantiam ubique ostendit; ac tandem in tetrum carcerem detrusus, loci fœtore & vulnerum dolore martyr occubuit. Corpore verò ad urbis portam suspenso, suavem odorem exhalavit, & per noctis tenebras insolito splendore defulsit, sicque signis sanctitas ejus quamplurimis patuit; nec mirum si annotatus ipse fuerit Menologio Sanctorum Ordinis. *Vnion in Martyrologio monastico hac die.*

In Lusitania & Lorvaniensi Cœnobio obdormitio beatæ Theresæ Reginæ, quæ Alphonso Regi Legionis suo consobrino nupta, tres ab eo liberos suscepit. Quòd autem sine *Brittus tomo 1. Chronicorum lib. 6. cap. 31. 32.*

Vasconzelius *in Sancto I. Rege Lusitanorum.*

dispensatione Ecclesiastica invalidè contraxisset matrimonium cum cognato, resipuit & pœnituit. Nam cōjuge à separata per sententiam judicis, habituque Cisterciensi suscepto, in prædicto Lorvaniensi Cœnobio vitam sanctissimam duxit, & multis miraculis claruit in suæ sanctitatis testimonium. Monialem enim quandam gravi morbo laborantem, solo suo amplexu sanavit; claudis & languidis solo contactu sanitatem restituit; puerum semimortuum solo amplexu vivificavit: ac tandem per aquam, quæ suas manus abluerat, febricitantibus valetudinem restituit. Inter orandum aliquando cælesti splendore illustrata, è terra visa est subvecta, quibus signis celebris evasit. Cùmque mortis ejus hora instaret, in templum coram altari deferri rogavit, ubi omnibus valedicens, & singulas Moniales amplectens, decantato flexis genibus cantico *Magnificat*, & capite inclinato in ipso versu, *Suscepit Israël puerum suum*, suaviter expiravit. Corpus verò ejus post mortem suavem odorem emisit, & continuis ab his temporibus fulsit miraculis. Annotata autem fuit in Calendario Sanctorum Ordinis ad hanc diem.

DECIMO QVARTO CAL. IVLII.

Decimo octavo Iunii.

Seguinus *in tractatu de his qui se Pontificatu abdicarunt, &c. cap. 4.*
Ioannes Pitseus *de Scriptoribus Angliæ.*

IOiaci in Bria solennitas sanctorum Martyrum Marci & Marcelliani, quorum capita in Gallias allata, ibidem in thecis argenteis reposita sunt.

In Anglia Caducanus Monachus & Episcopus Bengorensis, qui suos exemplo & opere pavit. Pertæsus autem sæculi curarum, de licentia summi Pontificis, abdicato præsulatu, sese in Dorense Cœnobium Ordinis recepit; ubi novis virtutibus comparatis, apud posteros sibi nomen fecit, inter Sanctos Ordinis ascriptus ab Henriqueo ad hanc diem Iunii.

DECIMO

DECIMO TERTIO CAL. IVLII.

Decimo nono Junii.

IN Gallia vicariatuque Pontisariensi, ac Cœnobio Gomerifontis Monialium commemoratio sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, quorum pars capitum ibidem religiosè asservata dicitur, & fidelium cultui exposita.

In Lusitania Ioannes Abbas sanctæ Mariæ de Salseda, qui doctrinæ laude præstans, non solùm Monachos sibi commissos ignitis eloquiis suis, & ferventissimis adhortationibus, ad bravium virtutis assequendum excitabat; sed & vitam suam juxta salubria sancti Patris Benedicti monita, sanctorumque Ordinis Patrum instituta, mores componens, totam Hispaniam quasi sol noviter exortus, illustravit; mortuusque ascriptus est Catalogo virorum illustrium Ordinis apud Henriqueum ad hanc diem.

Britus in Chronicis tom. 1. lib. 5. cap. 2.

In Germania beatus Hertuvicus Prior Hemmerodensis, qui jam ætate grandævus, & norma virtutis factus suis, ac in disciplinæ regularis observantia insignis, placida morte finivit, postquàm horam mortis omnibus præmonstrasset: in cujus transitu Angeli auditi sunt, ut ad hanc diem Iunii annotavit Henriqueus.

Cæsarius lib. 11. cap. 10.

DVODECIMO CALEND. IVLII.

Vigesimo Junii.

IN Hispania depositio beati Macharii Conversi, qui in Monasterio Vallis-bonæ arctam virtutis semitam arripiens, ad perfectionis culmen non longè post vota emissa pervenit; cujus quidem præclara merita signis enitentibus Deus optimus maximus illustrare voluit, dum ex agro rediens, deficiente scapha sicco vestigio fluvium intrepidè

Instrumenta loci.
Calendarium SS. Ordinis *hac die.*

transſmeavit cunctis mirantibus, qui miraculi teſtes erant: mortuus verò poſteà, non ſine ſanctitatis nota, annumeratus eſt inter Ordinis Sanctos in communi Martyrologio ad hanc diem.

Relatio Bivarii *de Sanctis Polonia.*

In Polonia paſſio beatæ Benignæ Virginis & Martyris, quæ in Cœnobio Vratiſlavienſi Ordinis Ciſtercienſis monachali cuculla ſuſcepta, ſanctitatis ſigna dedit à converſionis initio. Expugnatoque Cœnobio per bellum, & à barbaris hominibus capta, tam pro fidei confeſſione, quàm pro caſtitatis integritate conſervanda, vitam cum ſanguine fudit, ferro percuſſa, hacque die in quibuſdam Ordinis dipticis memoria ejus recolitur.

Buzelinus *in ſua Gallo-flandria lib. 1. cap. 22.*

In Belgio Ioannes S. Patris Bernardi diſcipulus & primus Abbas de Laude, qui prægustato in Claravalle pietatis lacte, ſuos eodem lacte fovit & potavit. Poſtquàm autem eos cæleſtis vitæ ſuæ odore ad virtutum amorem accendiſſet, ſupernis illis bonis, quæ non oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt fruiturus, feliciter obdormivit in Domino, aſcriptus Calend. Henriquei ad 12. Cal. Iulii.

VNDECIMO CALEND. IVLII.

Vigeſimo primo Junii.

Exordium Ciſtercii. *lib. 2. cap. 15.*
Cæſarius *lib. 4. cap. 1.*

IN Claravalle depoſitio beati Conſtantini Converſi, qui adhuc in ſæculo immerſus, flagitiis & patibulo ob ſcelera damnatus, à ſancto Patre Bernardo illuc feliciter occurrenti, & de conſenſu Theobaldi Comiti Campaniæ precibus, ſupplicio redemptus & liberatus, ex lupo agnus, & ex prædone factus eſt Monachus; ſicque ad pœnitentiam ſuſceptus, & Converſorum habitu indutus, per annum indiſcriminatim nihil præter aquam pro potu & panem pro cibo deguſtavit. Corpus verò duris flagellis bis & ter per noctem dilacerans, ita in brevi in alium virum mutatus eſt, ut nonniſi fletus, ac ſuſpiria pro delictorum expiatione coram Deo effunderet. Factus autem humilis inſtar publicani, ne-

quidem oculos ad cælum levare audebat; ſicque expletis triginta annis, in omni ſanctitate mortuus eſt, ab omni fæce ſæculi purus; aſcriptus poſt mortem hac die in Calendario Sanctorum Ordinis.

In Flandria beatus Euſtachius de Bodeloo Monachus ſeu Anachoreta piiſſimus, qui poſt obſervatam diu ſolitudinem, cœnobiticam vitam ducere cupiens, Cœnobium de Bodeloo conſtruxit, ubi poſt ſanctiſſimos mores deceſſit, ſanctitatis titulo clarus, & in Hagiologio Sanctorum Flandriæ & Menologio Ordinis ad hanc diem aſcriptus.

Sanderus in Hagiologio SS. Flandria litera A.

DECIMO CALEND. IVLII.

Vigeſimo ſecundo Junii.

IN Scotia & Cœnobio Meilroſenſi B. Adam Monachus, qui pro meritis & claris virtutibus, ac animi dotibus ad Cathaneſienſem infulam & Epiſcopatum evectus, vitam exploratiſſimam omni ſui regiminis tempore duxit. Factus autem infenſus Eccleſiæ ſuæ prædiorum uſurpatoribus, immaniter pro ejuſdem juribus & libertatibus à ſubditis lethali vulnere afficitur. Tractus enim ab iiſdem maximo cum dignitatis dedecore & caracteris injuria, in ſuarum ædium culinam unà cum ſocio Monacho immaniter concremarunt, anno à reparata ſalute milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo. Quod flagitium ubi ad Alexandrum Regem Scotiæ perlatum eſt, coactis quibuſdam paucis copiis, illuc extemplò ipſe proficiſcitur, ac ſtatim comprehenſis ſceleris authoribus, qui ſupra quadringenti erant, omnes ſupremo affecit ſupplicio; Deo Regem ipſum impellente, ne ſervo ſuo Adamo illata injuria remaneret inulta.

Boëtius lib. 13. Hiſtoria Scotiæ. Bzovius in Annalibus Eccleſiaſticis. Vuion lib. Ligni vitæ cap. 39.

In Brabantia B. Arnoldus Villarii Monachus miræ integritatis & ſanctimoniæ, qui à Sanctis viſitatus aliquandò & recreatus in ægritudine, & ab ipſis ſanatus, tandem totum ſe Deo vovit & ſacravit; mortuuſque piis operibus plenus, ſpecialem ſuam memoriam apud poſteros meritò ſibi con-

Liber de geſtis virorum Cœnobii Villarii. Calendarium SS. Belgii. Auctuarium ad Molanum.

ciliavit, annotatus in libro virorum illustrium hujus eremi Villariensis ad hanc diem.

NONO CALEND. IVLII.

Vigesimo tertio Junii.

Miræus in fastis Belgii. Surius tom. 3. die 23. Iunii. Molanus ad Vsuardum.

IN Belgio B Maria de Ognies, quæ amplioris gratiæ & virtutis avida, sæcularis vitæ non contenta, Familiarium Ordinis vestem induit; qua quidem induta, tanto sanctitatis splendore reluxit, ut miraculis quamplurimis effulserit. Pia verò in infirmos & pauperes ita extitit, ut prioribus sanitatem suis meritis reddiderit, posterioribus verò suis facultatibus liberaliter & largè subvenerit; & sic multorum bonorum operum manipulo cumulata, non mirum si hac die post mortem ascripta fuerit communi mulierum illustrium Ordinis libro & Catalogo.

Liber virorum illustrium Ord. dist. 1. Cap. 16. Seguinus in Catalogo SS. Ordinis.

Cistercii in Burgundia B. Felix Monachus, olim Molismensis professus; qui cum sanctis aliis patribus Alberico & Stephano, voto facto strictioris observantiæ Molismum deserüit, & Cistercium secessit; ubi post probatissimam vitam, cùm emeritæ militiæ famulus in Domini sui gaudium introducendus esset, injunctum est ei à sancto Patre Stephano Abbate, ut quàm citò post mortem rediret, &, an Deus gratum haberet Ordinem vel non, fideliter renuntiaret. Cui jussui obtemperans Felix, relicto corpore, cælos penetravit, & illicò Stephano paulisper dormitanti Felix exultans & gloriosus apparuit, & quàm gratum haberet Deus Ordinem cum futura propagatione renuntiavit: nec nisi post acceptam à sancto Patre benedictionem redire voluit ad cælos; memoratus in terris inter alios Ordinis Beatos in Menologio ad hanc diem.

OCTAVO CALEND. IVLII.

Vigesimo quarto Junii.

CIstercii solennitas natalitiorum S. Ioannis Baptistæ, cujus brachium ibidem non exiguum requiescit, & hac de causa fit quotidie memoria ejusdem Sancti ad Vesperas & ad Laudes in omnibus Cœnobiis filiationis Cistercii.

Instrumenta hujus loci.

In Lusitania & Cœnobio Alcobaciensi translatio corporis piæ memoriæ Domini Petri Alphonsi Principis, fratris Alphonsi Regis Portugalliæ, & hujus loci humilis Monachi, quod è claustro Veteris-Monasterii ad novam Basilicam translatum est à beato Dominico Abbate & intra Presbyterium honorificè reconditum, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio.

Tabulæ hujus loci.

In Delphin.ᵘ tu B. Mauritius Bonævallis Viennensis Monachus eximiæ pietatis & puritatis, qui postquàm diu militasset jugi paralisi affectus, sub Ordinis disciplina immarcessibilem gloriæ coronam suis meritis reportavit in cælis, inscriptus in terris Calendario Ordinis.

Seguinus c. 103. titulo de S. Mauritio.

SEPTIMO CALEND. IVLII.

Vigesimo quinto Junii.

IN Anglia Bellæ-Laudæ Cœnobio B. Guillelmus Abbas, qui à pueritia virtutis exercitio deditus, insignior adhuc sanctitate extitit post susceptum Ordinis habitum. Fama enim suæ probitatis facta, præfectus est eidem Cœnobio Abbas; in qua dignitate priores pios mores non mutavit, sed in probitate vitæ constans, mortalem hanc carnem exuit, & ejus memoria in Calendario Ordinis Gallico recolitur.

Matthæus Paris *in historia Anglia.* Ioannes Abbas Cistercii *in Catalogo SS. Ordinis.*

In Leodio B. Eva Ordinis Cisterciensis reclusa, quæ sanctè & piè vivens, cum beata Iuliana Montis-Cornelii

Ioannes Gillemannus *in Ha-*

giologio Sanctorum.
Bzovius *in Annalibus tom. 13. ad annum 1230.*

Priorissa, festum Corporis Christi Domini celebrandum procuravit. Qua de re diploma ab Vrbano IV. Summo Pontifice ad se directum obtinuit, meruitque ob vitæ probitatem dipticis Ordinis inseri ad hanc diem apud Henriquem; memorata est cum sanctitatis titulo in Leodiensi sacrario.

SEXTO CAL. IVLII.

Vigesimo sexto Junii.

Tabulæ hujus loci.

IN Gallia non longè ab Isaræ ripis dedicatio insignis Basilicæ Monialium beatæ Mariæ Regalis, vulgò Malodumi Cœnobii, facta à Guillelmo Parisiensi Antistite, in cujus dedicationis die & anniversario, concessæ sunt plures indulgentiæ à Summo Pontifice, ad instantiam Serenissimæ Francorum Reginæ Blanchæ hujus Monasterii Fundatricis & Matris sancti Ludovici Regis.

Instrumenta hujus loci.
Vita S. Davidis.

In Germania B. Hugo Hemmerodensis Monachus, qui pietati deditus acta B. Davidis Cœnobitæ hujus loci descripsit; iisque altæ menti infixis, factus est ejusdem B. viri sedulus imitator, & diligens Christi Domini vocis auditor. Cumque in magna vitæ innocentia cursum annorum suorum explevisset, mortuus in senectute bona, meruit ascribi Menologio Sanctorum Ordinis ad hanc diem.

Seguinus *in Catalogo SS. Ordinis.*
S. Antoninus de Florentia *parte 2. hist. titulo 15. cap. 19.*

Fusniaci in Picardia B. Bartholomæus Episcopus Laudunensis, qui constructis octo Monasteriis diversi Ordinis utriusque sexus, & inter alia Fusniacensi, à quo loco prodigiosum serpentem latomos vexantem expulit, ibidem sub vitæ fine Monachus factus est, & sanctissimos mores induens, pluribus revelationibus clarus, ac tandem beato fine quievit; sepultus ante majus altare, ubi paret adhuc ejus effigies serpenti insidens. Memoratur autem ipse in Menologio ad hanc diem.

QVINTO CAL. IVLII.

Vigesimo septimo Junii.

IN Germania B. Daniel Abbas Schonaugiæ, qui ab ipsa juventute studiis à parentibus traditus imbuendus, non exiguum ex eis retulit fructum, factusque posteà in Basilica Coloniensi Canonicus, pius extitit in Choro; sæculi verò pertæsus curarum, omnia tandem reliquit, ut nudus Christum sequeretur, ac in Monasterio Hemmerodensi Monachus factus, virtutis splendore in brevi refulsit. Imò illustratus pluribus visionibus, in sacro Christum Dominum aliquando familiarem habuit. Promotus autem pro merito in Priorem Hemmerodensem, & tandem in Abbatem Schonaugiæ, studuit præesse verbo & opere: Mortuus in senectute bona post plura data suæ sanctitatis specimina, ascriptusque est in Menologio Sanctorum Ordinis ad 27. Iunii apud Henriqueum. *Henriquez ad hanc diem.*

In Hispania Rodolphus Abbas de Cantavos nunc de Fitero, olim de Berdonario Monachus, qui vitæ probitate insignis fuit, & aliis sanctitatis cujusvis exemplum dedit mortuus & ascriptus ad hanc diem in Calendario illustrium virorum Ordinis. *Vita S. Martini Hortensis cap. 1.*



QVARTO CAL. IVLII.

Vigesimo octavo Junii.

Calendarium Gallicum hac die. Manrique in Calend.

IN Cœnobio de Persignia apud Cænomanos B. Raynaldus Abbas vir magnæ abstinentiæ & sanctitatis, qui post longum religionis experimentum, cura aliorum suscepta, opere & verbo præluxit, tantamque famam virtutis suis piis operibus sibi conciliavit, ut post obitum Calendario virorum illustrium ascriptus fuerit ad hanc diem.

In Germania Cœnobio Hovenensi B. Guda Conversa, quæ vilibus exercitiis & culinæ deputata, non minus Deo familiaris extitit, & sæpè puerum Iesum sibi blandientem conspexit, undè ejus sanctitate nota, & per visiones, & per pia opera, meruit post mortem inter filias illustres Ordinis ascribi; memorata in vita B. Iosephi Steinveldiensis & in Menologio ad hanc diem.

Seguinus in Catalogo SS. Ordinis.

In Hibernia B. Malchus Melli-fontis Monachus, qui à dæmone obsessus, cùm adolescens Melli-fontem adiret, ut ibidem sanctum Malachiam videret, ereptus est à dæmonis potestate ejusdem Sancti meritis: sicque totus in virum alium mutatus, ac ibi factus humilis Monachus, vitam illibatam duxit, ac meruit nomen & famam sanctitatis tum in vita, tum post mortem; ascriptus Menologio ad hanc diem.

TERTIO CALEND. IVLII.

Vigesimo nono Junii.

Vita S. Petri junioris. Montalbus tom. 2. Chronic. lib. 2. cap. 3.

IN Helvetia & præsulatu Tarantasiensi beatus Petrus Archiepiscopus, qui ad alterius junioris Archipræsulis Petri, sanctitate etiam conspicui, discrimen, senior vocatur; primò apud Cistercium & fortè apud Molismum sub sancto Patre Roberto Ordinis Institutore Monachus sanctitate

ctitate emicuit; emissus verò Cistercio, in novum Firmitatis Cœnobium, ibidem post Bertrandum Abbatem præfuisse dicitur. In qua quidem dignitate, novos virtutis radios etiam ad exteras regiones suo exemplo transmittens, magnam sibi famam fecit; promotusque pro meritorum suorum ratione, ad Archiepiscopatum Tarantasiensem coactus est humeros oneri supponere. In quo præsulatu ita discretus & prudens extitit, ut Clero ad meliores mores composito, populoque juxta Dei leges & gratiæ semitas reformato, sibi felicissimum regimen pollicere videbatur.. Sed, abscisso in brevi vitæ filo, meritis dives penetravit in sancta sanctorum & gloriam æternam. Memoratus ut Sanctus in vita sancti Archiepiscopi Petri Tarantasiensis junioris, & in Menologio Ordinis ad hanc diem.

In Germania B. Cuno Hemmerodensis Monachus, qui post sanctam vitam & pia opera felici morte perrexit ad cælos; visusque triumphans, & gloriosus sub veste candidissima, beatitudinem indicavit, meritò ascriptus Hagiologio Ordinis, apud Henriquеum ad hanc diem & apud Cæsarium cum laude memoratus. Cæsarius *lib.* II. *hist. cap.* 3.

PRIDIE CALEND. IVLII.

Trigesimo Junii.

Villarii in Brabantia B. Arnulphus de Cornibout de Bruxella Conversus, qui ab adolescentia dum adhuc in sæculo versaretur, ita severus extitit, ut duris verberibus, urticis & aquifoliis, imò spinis & vepribus carnem continuè dilaceraret. Factus verò Conversus, cùm in probatione, inscio magistro, tantam austeritatem continuaret, & totus vulneribus plenus extaret, magno miraculo sanatus est. Ictibus tamen non adhuc parcens & plusquàm mille & nongentis vulneribus affectus, non exiguum stuporem ingessit cuidam videnti per foramen cellæ. Mente nihilominus fortior factus in infirmo corpore, continuo cum Deo colloquio Vita ejus MM. Villarii.

fruebatur; in quo variis illuſtratus viſionibus, Chriſtum ipſum & Dei-param Virginem, quam ſpeciali cultu proſequebatur, oculis corporis meruit aliquando proſpicere: à quibus & novas precandi formulas accepit, quas alios docuit. Cùmque diuturnis laboribus & carnis caſtigationibus fractus eſſet, & lecto pro morbo in dies ingraveſcente affixus eſſet, morti proximus è cubili proſiliit, & munitus Eccleſiæ ſacramentis, flexis genibus & capite parùm inclinato feliciter obiit, emiſſo trino ſpiraculo hac ultima Iunii feria ſexta, Chriſti morti dicata, circa ſextam horam qua Chriſtus aſcendit in crucem, expletis in Ordine ſex & viginti annis, ac fermè ſex menſibus. Poſt mortem autem cuidam piæ ſorori ſeu Moniali gloriam ſuam revelaſſe dicitur, miraculiſque claruit.





MENSIS IVLII.

CALENDIS IVLII.

Primo Julii.



PVD Sequanos, in Cœnobio Firmitatis, primogenita Cistercii filia, & diœcesi Cabilonensi, obiit piæ memoriæ Bartholomæus Abbas & sancti Patris Bernardi frater, qui ex Patre Tescelino, & Aleta matre genitus, cùm esset adolescens, pii sui fratris monito, ad claustrum Cisterciense allectus, ibidem Ordinis habitum suscepit, emenso prius, juxta morem hujus ævi, probationis anno & religionis tyrocinio. Successu autem temporis, pro merito electus Abbas Firmitatis, ibidem piè & sanctè præfuit, ab anno Domini millesimo centesimo quadragesimo ad millesimum centesimum sexagesimum, quo post innocentissimam vitam hac die feliciter obiit, postquàm cũ aliis primariis Ordinis Patribus Statutum pacis firmasset, inter Præmonstratenses Canonicos & Cistercienses, ad annum millesimum centesimum quadragesimum primum: ejus verò corpus creditur posteà è Firmitate Claramvallem relatum, cum aliis fratribus suis sepultum.

Tabulæ hujus loci.
Vita S. Bernardi cap. 1.

Carolus à S. Maria in Catalo Monasteriorum Fulliensium.

Item in Gallia obiit pius Pater Ioannes à sancto Dionysio Congregationis Fulliensis recenter institutæ Monachus, qui oratione & silentio, quibus peculiariter inter cætera alia virtutis exercitia addictus erat, celebris, hæc perpetuo visus est verba animo revolvisse: *Facere & pati, silentium & solitudo.* Quæ quidem sancta & pia vitæ interioris documenta, Novitiorum animis quibus aliquando tanquam magister præfuit, infigi curabat. Parisiis posteà mortuus hac die Iulii, anno à reparata salute millesimo sexcentesimo vigesimo septimo.

SEXTO NONAS IVLII.

Secundo Julii.

PER Ordinem universum solennitas Visitationis B. Mariæ Virginis, quando ipsa suscepto divino Verbo in sacris suis visceribus & Christi corpore efformato, operante Spiritu Sancto, surrexit cum festinatione, ut per Iudææ montana, ad sanctam Elizabetam Ioannis Baptistæ Præcursoris Domini matrem properaret, & ei per tres menses ibidem humiliter ministraret; hæcque festivitas, recentioribus sæculis, per Ordinem celebrata est, cum peculiari officio & solennibus octavis.

Calendarium SS. Ordinis.

In Grandisilva Vasconiæ Cœnobio sanctitate claruerunt duo Novitii fratres simul cum Magistro, qui eosdem, quod opere à pluribus annis exercuerat & auditu olim didicerat, salubriter docuit observandum; merueruntque omnes, post obitum, specialem sui nominis commendationem inter Ordinis sanctos Monachos, in Calendario communi Sanctorum Ordinis hac 2. Iulii.

Arnoldus Vuionligni vita lib. 1. cap. 47. Sanctorale Manriquei. Miræus in originibus Ordinum.

In Navarra Didacus Monachus Fiterii & Beati Raymundi Calatravæ militiæ Institutoris Coadjutor egregius; quam quidem militiam post ipsius Raymundi mortem rexit & fovit: sub fine tamen vitæ suæ à militibus pro justitia vexatus, in Monasterium sancti Petri Gumilis secessit, ubi piè

mortuus eſt, aſcriptus in terris inter Ordinis viros illuſtres ad hanc diem in Calendario.

Equeſtrium. Mariana de rebus Hiſp. lib 11. c. 6.

QVINTO NONAS IVLII.

Tertio Julii.

IN Tareſca Galliæ Belgicæ Provincia & Cœnobio Bonifontis diœceſis Remenſis & filiationis Signiaci beatus Thomas hujus loci Bonifontis Prior, qui poſt probatam vitam cum magna ſanctitate fulgeret, ſermone & opere præfuit & profuit, ſanctorum ſuorum patrum ſedulus in omnibus æmulator & cultor; expletoque feliciter vitæ ſuæ curſu, carne ſolutus perrexit ad Chriſtum, annumeratus poſt obitum ad hanc Iulii diem in communi Sanctorum Ordinis ſerie & Catalogo antiquo: & memoratus apud pleroſque Ordinis rerum memorabilium indagatores.

Ioannes Abbas Ciſtercii *in Catalogo SS. Ordinis.* Manrique *in ſua Laurea Evangelica lib. 3. diſt. 7. §. 19.*

In Suecia beatus Ioannes Archiepiſcopus Vpſalenſis, qui à juvenilibus annis vitam monaſticam profeſſus, factus eſt ob vitæ meritum Archiepiſcopus Vpſalæ; cujus quidem civitatis Eccleſiam piè regens, fit quibuſdam infenſus quos per cenſuram ſceleris & criminis arguerat, & à quibus hac de re pro juſtitiæ defenſione nequiter eſt occiſus & Martyr effectus; memoratus ab Henriqueo in Menologio ad 2. Iulii.

Bzovius *lib. 12. Hiſtoria Eccleſ. anno 1188.*

QVARTO NONAS IVLII.

Quarto Iulii.

IN Longobardia & Cœnobio de Carixto beatus Bertranus Monachus, qui genere nobilis, & moribus ac ſanctitate nobilior, ab initio ſuæ converſionis variis tentationibus exagitatus, victor ſemper evaſit. Pius verò factus in beatam Virginem, non ſolùm ſuis precibus, ſed & ſuis colloquiis & verbis vulgaribus ſeu communibus eam veneraba-

Cæſarius *lib. 7. hiſt. cap. 38.* Raiſca *in Compendio illuſtrium Ordinis.*

tur, nec ullum ferre poterat, qui tantiſper ipſius Virginis laudibus detraheret, ubique eam in corpore illicò aſſumptam ad cælum poſt mortem pro zelo ſuæ pietatis prædicans. Raptus autem aliquando inſtar Apoſtoli ad tertium cælum, inter medios Patriarcharum, Apoſtolorum, & cæterorum Sanctorum cuneos eandem Virginem, ei multa de eadem ſua Aſſumptione & Reſurrectione revelantem arcana, conſpexit, & viſo ſuo proprio nomine, Angeli cujuſdam miniſterio, in libro vitæ & prædeſtinatorum conſcripto, rediit anima ejus ad corpus: in quo adhuc quibuſdam bonis operibus ipſe ditatus, cupiens & pluribus votis exoptans, ex prima illa ſupra dicta Sanctorum gloria deguſtata diſſolvi & eſſe cum Chriſto, corporis ſarcinam dimiſit, ut perpetua Sanctorum illorum felicitate frueretur; ad hanc diem menſis Iulii, poſt mortem in Calendario Sanctorum Ordinis aſcriptus.

Ioyaci in Briena Provincia & diœceſi Senonenſi dedicatio prioris Eccleſiæ in honorem B. Virginis, nunc in ſacellum minoris clauſtri redactæ.

TERTIO NONAS IVLII.

Quinto Julii.

Chronicon Villarienſe *lib. 3. cap. 17* Arnoldus de Raiſſe *ad Molanum.*

VIllarii in Brabantia beatus Everhardus Converſus hujus loci, qui pro ſtricta ac ſua tenaci ſilentii obſervantia taciturnus appellatus multum apud Deum & homines ſibi honoris & gloriæ conciliavit. Cùm enim aliquando à militibus quibuſdam ſilentii temporibus pluribus ſermonibus & verbis interrogaretur, & ad reſponſum dandum minis & verberibus imò pugnis urgeretur, minimè ſilentii leges tranſgredi voluit: memorque conſilii Evangelici alapis percuſſus genam aliam præbuit, imò flexis genibus proſtratus ad pedes percuſſoris, nutu potius quàm verbo veniam petiit; ſicque ab illis nebulonibus relictus, in Cœnobium rediit, ubi in virtutum exercitio perſeverans, ſignis plurimis emicuit, bruta animantia verbo ad nutum ſibi ſubjiciens. Sublatus autem è vita poſt tanta ſanctitatis opera,

Sanctis est aggregatus in cælis, & ascriptus in terris Sanctorum Menologio ad hanc diem.

PRIDIE NONAS IVLII.

Sexto Julii.

IN Germania beatus Hermannus Monachus Heisterbacensis seu Vallis sancti-Petri Monasterii, qui post professionem monasticam multis virtutibus refulsit; Cantoris enim officio ibidem fungens, divinis laudibus assiduè aderat in choro magna cum animi attentione & pietate: & cùm orationi multum deditus esset, plures illustrationes & visiones è cælo accepit; sicque perseverans in virtutis exercitio, felici morte quievit, & post mortem Cæsarium vitæ suæ innocentiæ præconem habuit, dum ipse eum virum bonum disciplinatum ac omni virtute conspicuum nominat. Cæsarius *lib. 4. dialog. cap. 91.*

In Polonia beata Benedicta Sanctimonialis Cœnobii Glascoviensis, quæ in odium fidei & religionis à Barbaris & Ethnicis hominibus crudeliter trucidata, meruit inter prudentes virgines quæ cælestem Agnum secuturæ sunt, annumerari, & inter Poloniæ Martyres ascribi, memorata à Francisco Bivaro in sua Sanctorum regni Poloniæ relatione. Bivarius *in relatione Sanctorum Poloniæ.*

NONIS IVLII.

Septimo Julii.

IN Belgio ac Comitatu Namurcensi dedicatio Basilicæ beatæ Mariæ de Boneffia olim Sanctimonialium Ordinis nunc Monachorum Monasterio, quod antiquo nomine nuncupabatur Vinca Dominæ nostræ.

In Anglia & metropoli Cantuariensi Ecclesia elevatio sacri corporis sancti Thomæ hujus loci Archipræsulis & martyris olim Cisterciensis Ordinis familiaris, & apud Pon-

tigniacense Archicœnobium sui exilii azilum sanctissimi hospitis, & Monachi, cùm ibidem Ordinis habitum ab Alexandro III. Summo Pontifice accepisse referatur, cujus quidèm caput apud Regalem-montem in Francia asservari traditur.

Exordium *dist.* 4. *cap.* 31.

In Claravalle pius obitus beati Roberti Conversi, qui sub sancti Patris Bernardi disciplina educatus & in regulari observantia instructus, magnæ austeritatis in seipsum, admirandæ pietatis in Deum, & miræ charitatis in proximum exempla suis temporibus prodidit. Morbo autem lethali correptus, quasi de conscientia securus, suæ futuræ beatitudinis revelationem & certitudinem accepisse creditur. Increpatus tamen & argutus à S. Patre Bernardo ibi astante, quòd tanquàm nimis confidens minimè mortem seu tribunal Dei accedere timeret, humiliter respondisse fertur, non ex propria virtute seu operibus, sed ex Dei pietate, benignitate & misericordiâ ac obedientiæ excellentiâ quam sedulò per vitam semper coluerat, securitatem hanc mentis mutuare; sicque sancti Patris benedictione munitus & roboratus, post præclara opera & excelsa merita, intrepidus purissimam suam Christo Domino animam reddidit. In cujus commendationem sanctus ipse Cœnobiarcha luculentam ad fratres & discipulos orationem habuisse constat.

Cartæ Aureæ-vallis.

In Belgio Venerabilis Frater Florentius Aureæ-vallis Conversus, qui natione Turca, religione seu sectâ Mahumetanus, & professione miles, in Hungaria exercitu infidelium profligato, à Christianis captus & à sanctis Nicolao & Claudio Antistitibus per visum monitus est ut quàm citò Christianæ religionis disciplinis instructus, eandem amplecteretur. Ita Catechumenus factus lustrali baptismatis aqua est ablutus à Bernardo Aureæ-vallis Abbate, ac posteà ab eodem susceptus in Monachum & Conversum, piam vitam duxit, ac post plura sanctitatis & virtutis opera, beato fine quievit, ascriptus in Menologio Ordinis ab Henriqueo ad hanc Iulii diem.

OCTAVO

OCTAVO IDVS IVLII.

Octavo Julii.

ROmæ depositio B. Eugenii summi Pontificis hujus nominis tertii, qui natione Italus, Patria Pisanus, Petrus in sæculo & Bernardus in claustro nuncupatus est. Primò autem Ecclesiæ Pisanæ Canonicus, & Domini Episcopi Vicarius Generalis ac Vicesgerens, canonicè & piè vixit, posteà verò fama facta sanctitatis beati Patris Bernardi Claræuallensis per universam Italiam, Petrus ipse corde compunctus proprium solum, opes & dignitatem reliquit; veniensque in Gallias apud Claramvallem, Religioni nomen dedit, Monachusque factus, ibidem sub primis conversionis suæ annis, Calefactorius seu excitandi ignis curam suscepit, quam mira cum charitate per aliquod tempus exercuit. Hinc verò ad altera munia vocatus, & tandem pro virtutis merito Abbas designatus, in Italiam unde discesserat, est à sancto Patre Bernardo transmissus ad Farsensem Abbatem, qui Ordinis Cisterciensis Cœnobium construere à pluribus annis habebat in votis, & hac de re Monachos à beato Patre postulaverat: aliundè tamen distractus ipse Abbas designatus quodam divini numinis signo, ab Innocentio II. summo Pontifice Romam cum sua Monachorum colonia vocatus, ibidem sancti Anastasii Cœnobio recenter Ordini concesso, authoritate Apostolica, inscio adhuc Patre, est præfectus Abbas. In qua quidem dignitate tanta sanctimonia eluxit, ut omnibus Clericis Romanæ Ecclesiæ pro virtute notus, mortuo Innocentio II. purpuratorum Patrum sanioris partis suffragio, nequidem adhuc Cardinalis renuntiatus, contra solitum Curiæ Romanæ morem, in divi Petri Cathedram est sublimatus. Factus itaque totius Ecclesiæ Pater & Rector, mira cum vigilantia & solicitudine suum omnibus fidelibus pietatis affectum deprompsit. Variis tamen Arnaldistarum & Romanorum factionibus paulò post promotionem suam agitatus, nec Romæ tutus, evangelicum sequens

Vita sancti Bernardi.
Baronius *tom. 12. Annalium Ecclesiast.*

consilium, clam venit in Galliam; ubi post plura suæ sanctitatis signa & virtutis indicia prodita, Concilium celebre Rhemis habuit, ut urgentibus Ecclesiæ negotiis subveniret, & hæreses quasdam noviter exortas & suscitatas à Gilberto Porretano Episcopo Pictaviensi & aliis, suffocaret & extirparet. Visitatis autem quibusdam Galliæ & Germaniæ Ecclesiis ac Ordinis Monasteriis, Claravalle, Cistercio & Fonteneto, cujus Monasterii solenni ritu sacravit Ecclesiam, Italiam repetiit, sanctique Patris Bernardi consiliis & monitis usus, magna cum solicitudine & laude Petri & Christi navim rexit. Intus enim adhuc, imò aliquando extra, regularia observans instituta, foris Pontifex, intus Monachus extitit; signisque & miraculis illustris, inter missarum solennia aliquando divino splendore fulgere visus est, duabus interdum columbis candidis super caput ejus volitantibus. Meritis tandem plenus & ætate grandævus, deposita corporis sarcina cælos penetravit, feliciorem consecuturus vitam. Post obitum autem ejus quamplures ægri ad ejusdem tumulum accedentes, pristinam sanctitatem recuperasse leguntur.

SEPTIMO IDVS IVLII.

Nono Julii.

Tabulæ hujus loci.

SVb finibus agri Parisiensis in Cœnobio B. Mariæ de Vallibus Cernaii festivitas solennis beati Theobaldi hujus loci Abbatis, ab antiquo tempore ibidem celebrata sub conventuali Sacro in ejus honorem decantato; ea fortè die qua elevata sunt è terra primò sacra ejus ossa, & à Philippo Abbate Claræ vallis anno Domini millesimo centesimo sexagesimo primo è Capitulo in Infirmitorii sacellum, ut fert traditio, seu potius in Ecclesiam translata; ubi temporis successu propter frequentem populi concursum, in navi Ecclesiæ deposita sunt, ne accedentium strepitus à regulari disciplina & monastica solitudine Cœnobitas avocaret.

Eadem die juxta antiquum Ordinis Calendarium, commemoratio quinquaginta aut circiter Monacorum Firmitatis in Burgundia, qui cum suo Abbate traduntur à Barbaris hominibus trucidari, in religionis contemptum. Calendarium SS. Ordinis.

In Hispania Venerabilis Petronilla Monialis in Monasterio S. Annæ Abulensis, quæ in propriam carnem sæviens, catena ferrea delicatum corpus constringebat, multumque dæmoni infensa, ab eo mirum in modum vexata est. Victrix tamen semper evadens, assidua in Deum attentione & continuis precibus cum noctes insomnes plerumque in Ecclesia, duceret, immortalem meruit habere coronam, piè mortua, post 20. annos sanctè in claustris transactos, ascripta in Menologio Ordinis ad hanc Iulii diem. Vaquerus *in vita B. Mariæ de Vela parte 1. cap. 18.*

SEXTO IDVS IVLII.

Decimo Julii.

IN Vasconia & Cœnobio Grandisilvæ in Tolosano diœcesi sub Clarævallis filiatione, commemoratio quadraginta quinque Monachorum hujus loci professorum, qui pietate illustres, post plura bona opera, Domino vocante ut eosdem pro laboribus æterna felicitate compensaret, peste simul subtracti sunt. Eorum autem gloriam Bernardus magnæ sanctitatis & ejusdem Cœnobii Conversus videre meruit in spiritu; quam quidem visionem beato Pontio Abbati hujus loci denuntiavit. Et fit eorundem mentio in Ordinis Hagiologio hac die.

In Bituria Galliæ Provincia beatus Robertus Fontis-Mauriniaci Conversus, qui vitæ sanctimonia clarus, multis signis refulsit. Cùmque aliquando in ecstasim raptus esset, plures meruit habere Sanctorum illustrationes, inter quas Dei Genitricem & sanctum Patrem Bernardum jam è vivis sublatum, conspexit. Quibus visionibus recreatus, & de sua salute per oraculum securus, beato fine quievit. Memoratus apud Henriqueum ad hanc diem.

QVINTO IDVS IVLII.

Vndecimo Julii.

IN Gallia solennitas translationis sacrorum ossium S. Patris Benedicti, & sanctæ Scholasticæ Virginis & Sanctimonialis, ex Italia & Monasterio Montis-cassini in Galliam factæ, quorum illa sancti Patris in Cœnobio Floriacensi, nunc sancti Benedicti ad Ligerium posita sunt, alia verò ad Cœnomanos delata, in Ecclesia peculiari religiosè deposita, postquàm magno miraculo sanatis scilicet miraculosè puero à reliquiis sancti Patris; & puella à reliquiis sanctæ Scholasticæ ipsa sacra ossa prius confusa & mixta, discreta sunt. Fit autem hac die festum translationis sancti Benedicti ubique per Galliam, sed præsertim in Ordine Cisterciensi sub ritu solenniori.

Missale vetus *inter Sanctos Ordinis.* Literæ Hugonis legati.

Cistercii in Burgundia beatus Ioannes Monachus, qui primò Molismi professus, tandiu ibidem vixit & mansit, quandiu Monachi hujus loci sub strictiori Regulæ sancti Benedicti observantia vixerunt. Quibus autem postea ex pinguiori adipe & abundantia frumenti vini, & olei à Regulæ præceptis deviantibus, Ioannes ipse meliori spiritu ductus, ferventioribus se junxit & in Cistercium secessit; ubi strictiorem observantiam suscipiens; in magna vitæ austeritate & rerum penuria vixit: omnique virtutum splendore coruscus, sancto fine quievit, Calendario Sanctorum Ordinis ascriptus hac die, & in literis Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis & Legati sanctæ Sedis pro institutione Ordinis nominatus.



QVARTO IDVS IVLII.
Duodecimo Julii.

IN Gallia Belgica seu Picardia & diœcesi Noviomensi ac Cœnobio Sanctimonialium Abbatiæ Liberæ festivitas sanctæ Sponsæ virginis & martyris; quæ olim cum B. Vrsula & aliis Coloniensibus virginibus pro Christo sponso & castitate conservanda, sanguinem & vitam fudit, à barbaris hominibus trucidata ejusque sacra ossa successu temporis illuc delata, ibidem religiosè asservantur. Tabulæ hujus loci.

In Burgundia beatus Lambertus, olim Archi-cœnobii Cistercii Archimandrita, qui primò Morimundi Professus, ibidem sanctæ vitæ signa & indicia dedit; undè pro virtutis merito, in Clari-fontis, intra Burgundiæ comitatum, Abbatem assumptus, ac posteà Morimundi & demùm Cistercii electum, ibi splendidum omnis sanctitatis jubar extitit. Per sex enim annos aut circiter, universo Cisterciensi Ordini in magna vitæ puritate præfuit ac profuit; sicque per Galliam & Italiam notus Adriano summo Pontifici, eidem factus est carissimus, sicut & Imperatori Friderico, quamvis schismatico. Vndè ab eodem posteà, de summi Pontificis nova electione consultus, salubria ipsi consilia dedit; ipsumque Alexandrum ubique per Ordinem, imò & per Ecclesiam, tanquàm verum Pontificem agnosci curavit. Multis etiam salutaribus statutis in gratiam disciplinæ regularis conseruandæ per suum Ordinem promulgatis, pluribus quoque editis vitæ sanctimoniæ actibus & exemplis, ac tranquillo & pio regimine expleto, solitariæ vitæ avidus, & curarum externarum pertæsus, dignitati cessit, ut liberiùs Deo vacaret. Secedensque Morimundum suæ stabilitatis primarium Monasterium, ibidem post piam & sanctam ætatis ac morum senectutem ductam, beato fine appositus est ad Patres: nec ullus est author qui de tanti Præsulis sanctitate ambigat; ascriptus inter Ordinis Beatos hac die & Abbas Cistercii beatus dictus.

Bernardus Britus tom. 1. Chron. lib. 3. cap. 22. Monumenta Alcobaciæ.

In Claravalle beatus Desiderius Conversus, qui à sancto Patre Bernardo transmissus in Lusitaniam, suis virtutibus & signis Alcobaciam insignem hujus regni Abbatiam illustravit. Non enim semel, sed pluries fluvium Monasterio vicinum sacro vestigio, veste sua explicata, super undas transmeavit, stupentibus omnibus qui aderant ad ripam. Tandem è terra sublatus in cælum, suæ beatitudinis certa dedit indicia, annumeratus inter Ordinis Beatos ad hanc diem.

TERTIO IDIBVS IVLII.

Decimo tertio Julii.

Liber de gestis Virginum illustrium Villarij. Cæsarius *lib. 4. hist. cap. 31.*

IN Brabantia & Cœnobio Villariensi beatus Henricus hujus loci Conversus, vir miræ humilitatis & eximiæ simplicitatis, qui pauperum ægrorum curam ex officio gerens, in communi Cœnobii Xenodochio hoc munere miranda cum humilitate perfunctus est. Scrupulosa autem mente dæmonum impulsu tentamento agitatus, penitùs videbatur in desperationem ruere vir timoratus, nisi cælesti lumine confortatus & illustratus, ac divina gratia roboratus; arreptam primæ virtutis semitam esset prosequutus. In dies itaque proficiens, & de virtute in virtutem progrediens, Deum Sion in cælesti Ierusalem revelata facie, non amplius in fidei ænigmate, sed in splendoribus sanctorum videre meruit. Ascriptus post mortem in Calendario Sanctorum Belgii.

Monumenta Cœnobii Dunarum.

Brugis in Flandria moritur piæ memoriæ Ægidius de Roya Cistercii Monachus, Doctor Theologus, qui primò Bernarditarum Parisiensium Gymnasiarcha seu Provisor factus, tandem electus est Regalismontis Abbas. Vbi laboribus & persecutionibus agitatus, licet animo infractus, locum tamen iræ dare decrevit; Et in Flandriam veniens, à Dunensibus Monachis tanquam Angelus Dei excipitur: ubi vitam Angelicam ducens, tandem Brugis in Hospitio Dunensi pia morte extinctus est, & apud Sanctimoniales

Novæ-Ierusalem sepultus: Post obitum verò gloriæ splendore rutilans, cuidam Dunensi Monacho Adriano apparuisse, atque paucis verbis plura documenta dedisse, refertur; relatus in Menologio Henriquei.

In Lusitania Venerabilis Maria Lusitani Regis filia, & Monialis sancti Dionysii de Odivelas, ac virtutis titulo illustris, sepulta in eodem Cœnobio, à Patre constructo, & memorata ad hanc diem in Menologio. Montalbus tom. 1. Chronic. lib. 2. cap. 35.

PRIDIE IDIBVS IVLII.

Decimo quarto Julii.

IN Francia & Aurelianensi præsulatu ac Cœnobio de Curia Dei sub filiatione Cistercii anniversarium dedicationis Ecclesiæ hujus loci ab Episcopo diœcesano Manasse celebratæ & peractæ quampluribus nobilibus viris præsentibus.

In Sabaudia dedicatio Ecclesiæ Abbatialis beatæ Mariæ de Chesseriaco filiationis Fonteneti in Burgundia & Claræ-vallis, ubi olim beatus Rolandus sanctitate refulsit, miraculisque & signis ad tumulum adhuc resplendet. Tabulæ hujus loci.

IDIBVS IVLII.

Decimo quinto Julii.

APud Claramvallem solennitas sanctorum Martyrum Eutropii, Zozimæ & Bonosæ Martyrum, quorum sacra ossa Româ in Galliam delata, ibidem in hoc Cœnobio retro majus altare sub tumulo reposita sunt, ex dono olim facto Basilicæ Claræ-vallensi à Domino Conrado S. R. E. Cardinali. Tabulæ hujus loci.

Apud Armoricos & diœcesim Venetensem dedicatio insignis Ecclesiæ Cœnobii de Precibus filiationis Busæii & Claræ-vallis non longè à ripis maris & Oceani.

In Pictavia & diœcesi Lucionensi olim Pictaviensi dedicata est Ecclesia B. Mariæ de Insula-dei nunc de Alba filiationis Busæii & Claræ vallis.

Plures de ea scripsere. Montales. Manrique.

Valentiæ in Hispania depositio B. Theresæ Reginæ, quæ sæculi delitias & opes spernens Cœnobium Sanctimonialium construxit à fundamentis, quod pro vocabulo B. M. de Gratia nuncupari voluit; ubi susceptâ monasticâ veste cum velo, vitam omni gratia decoram, ne dicam Angelicam, duxit: ibique simul inter plurimas pias Ordinis Moniales sanctè vixit, & obiit; postquàm etiam multis coruscasset miraculis per vitam, & post mortem. Quæ quidem signa quondam legebantur descripta in tabella ad annum millesimum quingentesimum decimum septimum usque ad tempus hoc præsens, quo tabella ipsa periit inundatione fluvii, turris & Monasterii eversione. Aperto tamen posteà Theresæ sepulchro magno miraculo, sacrum ejus corpus à putredine illæsum, post multa miracula est repertum, & in decentiori loculo & loco positum adhuc perseverat incorruptum.

DECIMO SEPTIMO CAL. AVGVSTI.

Decimo quinto Julii.

Matthæus Bonhome ejus vitam scripsit. Cartæ Cistercii.

CIstercii in Burgundia depositio beati Alani Conversi, qui post studiorum suorum decursum Magister & Doctor in Thologia factus, & Parisiensis Ecclesiastes electus, diù ibidem doctrinâ enituit. Cumque omni scientia publico pulpito & suggestu scholares docuisset, fama facta meritorum & doctrinæ tanti Doctoris, eum audiendi omnium desiderium excitavit. Cùmque aliquandò de sanctissimo divinæ Triadis mysterio verba facturus esset ad populum, eandem quæ S. Augustino olim facta est visionem contigisse nostro Alano refertur; pueri videlicet totum fluvium vicinum manu concludere tentantis. Quâ territus visione, nunquam ad populum de tanto mysterio concionaturus, in suggestum redire voluit, etiamsi paratus esset ad loquendum: Dolens tamen & tacens solitarius, vanamque sæculi

culi gloriam ſpernens, in Burgundiam venit; ubi incognitus apud Ciſtercium humilitatis amator, fratrum Converſorum habitum magna inſtantia poſtulavit: ſub qua veſte diu delituit & oves pavit ſoli Deo notus. Lucernam tamen ſub modio recondi non permittens cordium inſpector Deus, datâ opportunitate ad proximum Concilium adeundi, putâ Viennenſe in Delphinatu ſub Clemente Papa circa annum milleſimum trecenteſimum & undecimum, ſeu ad aliud Concilium non nobis notum cum Abbate Ciſtercienſi; ibidem obtentâ à ſummo Pontifice licētiâ, & peculiari Spiritus ſancti inſtinctu petitâ, etiam renitente Abbate, qui Converſi ſcientiam ignorabat, graves ſententias Alanus dixit. Actaque cauſa cujuſdam Hæreſiarchæ, putâ Beguinorum ſeu Begardorum authoris, eundem rationibus & argumentis confutavit; ita ut publicè eundem Doctorem Hæreticus vel Alanum vel Diabolum pronuntiaverit: quòd nullum alium inter homines in orbe Chriſtiano, ut aiebat, niſi Alanum reformidaret. Cognitâ verò à Concilii Patribus peritiâ & ſapientiâ Alani, ſicut & ab Abbate Ciſtercii, de tanta in dicendo facultate ſtupefacto & attonito; eundem ad plures dignitates promovere tentarunt. At ipſe ſpretis omnibus illis dignitatibus, obnixè, ut in ſua prima profeſſione Converſi perſiſteret, expetiit & obtinuit. Reverſus itaque Ciſtercium, ſolis duobus Clericis comitibus contentus qui ſub ſe libros, quos ipſe dictaret, ſcriberent; ibi uſque ad obitum delituit. Vbi plures libros de ſancta Triade doctè conſcripſit; qui libri nondum in publicum editi, adhuc manent & aſſervantur manuſcripti in Bibliotheca Ciſtercienſi. Multis verò bonis operibus locupletatus Alanus, jam ſenio gravis circa annum à reparata ſalute milleſimum trecenteſimum triceſimum obdormivit in Domino, ut ſchedulæ Ciſtercii referunt. Tumulatus poſt mortem in majori clauſtro Ciſtercii, ſub elevato ſepulchro ad murum Eccleſiæ poſito, temporibus ni fallor Domni Ioannis de Cireyo Abbatis Ciſtercii, aliorumque virorum illuſtrium Ordinis. Extat inſertus Alanus non hac die qua obiit ſed 30. Ianvarii.

In Claravalle beatus Arnoldus de Majorca hujus loci Robertus Rusca.

Miræus. Barnabas *in Chronicis* & alii.

Monachus, vir morum probitate celebris, qui à sancto Patre Bernardo ad claustrum evocatus, rigidæ pœnitentiæ diu signa dedit; & susceptâ Ordinis togâ, vitam instituit Angelicam, silentio, pietati, vitæque austeritati deditus. Tandem post plura bona opera, purissimam exhalavit animam, ascriptus in communi Sanctorum Ordinis Hagiologio, per vitam olim Angelis familiaris, & nunc ipsis associatus.

Cæsarius *lib. 7. Dial. cap. 55.*

In Germania beatus Vernerus junior dictus, Eberbaci Monachus, ætate adolescens sed mente canus, infestus dæmonibus quos solo signaculo crucis fugabat & arcebat, sed Deo dilectus & Dei-paræ Virgini carus, ac post mortem Angelorum consortio adjunctus & in Menologio Henriquei ascriptus.

DECIMO SEXTO CAL. AVGVSTI.

Decimo septimo Julii.

Tabulæ hujus loci.

IN Normania & diœcesi Rothomagensi apud Bellum-Beccum filiationis Savigniaci & Clarævallis Cœnobium, memoria sancti Helerii Martyris cujus sacra ossa ibidem in sacello & lipsanotecâ posita religiosè asservantur & coluntur.

Iuxta Meldarum civitatem in Gallia & Briæ provincia anniversarium dedicationis Beatæ Mariæ de Ponte-Dominarum Sanctimonialium Ordinis, sub filiatione Cistercii, olim à Comitibus Saupaulianis fundatæ.

Cæsarius *lib. 11. Hist. cap. 3.*

In Germania beatus Arnoldus Hemmerodensis Monachus, qui in hac vita mortali solo corpore constitutus, cogitatione & aviditate cum Angelis conversabatur, totus à terrenis rebus abstractus, & æternis intentus extitit. Quem beatus Isembardus Sacrista gloria coruscum vidit inter beatas mentes; annotatus in Menologio Sanctorum Ordinis ad hanc Iulii diem.

Bivarius *de SS. Polonia.*

In Monte-calvo & Polonia beatus Stanislaus Abbas Monasterii sanctæ-Crucis, qui simul cum octoginta duo-

bus Monachis pro fide Catholica trucidatus, ad annum millesimum ducentesimum sexagesimum sanctis Martyribus meruit conjungi & immortali gloriâ donari; memoratus cum sociis apud Henriqueum ad hanc diem.

DECIMO QVINTO CAL. AVGVSTI.

Decimo octavo Julii.

IN Belgio Venerabilis Bertha prima Marchetensis Abbatissa, quæ olim Monlembesii Toparchæ conjux facta est; & tandem post mariti mortem, spreto sæculo, Monialis apud Aquiriam: ubi tanta fulsit vitæ probitate, ut electa fuerit prima Abbatissa Marchetæ ad instantiam D. Ioannæ Comitissæ ei familiaris; tantâque fulsit sanctimoniâ ut piè mortua, ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum septimum ascripta fuerit dipticis Ordinis, & Menologio Henriquei inter Ordinis Beatas ad 18. Iulii.

Buzelinus *Lib. 1. Gallo-flandriæ.* Arnoldus de Raisse *in Auctuario ad Molanum.*

In Germania B. Theodoricus Heisterbacensis Monachus & Abbas; qui relicto sæculo & Comitatu de Wida fugit in claustrum: ubi quidem latuit hominibus, sed Deo notus pluribus locupletatus est virtutibus. Vndè aliis præfectus tanquam Abbas, pro merito regimen suum piis operibus illustravit; memoratus ab Henriqueo ad hanc Iulii diem.

Cæsarius *lib. 9. Hist. cap. 48. & lib. 10. cap. 54.* Montaibus *in Chronicis.*

DECIMO QVARTO CAL. AVGVSTI.

Decimo nono Julii.

APud Lingonas & Claramvallem hac die recolitur pia memoria Venerabilis Godefridi Lingonensis Antistitis, licet alia die & alio mense in Calendario Sanctorum Ordinis referatur; vir omni virtute conspicuus & admiranda humilitate clarus Primò quidem in Claravalle Monachus, ac sancti Patris Bernardi, cujus secundum carnem erat pro-

Barnardus Bonævallis *in vita S. Bernardi c. 5.* Ioannes Cistercii *in Catalogo SS. Ordinis.*

pinquus, discipulus, ac tandem pro merito virtutum Prior ejusdem vallis factus. Mortuo tamen Lingonensi Præsule, deturbato alio, qui substitutus fuerat ad Episcopatum, Bernardo ipso recusante, sublectus est communi Clericorum suffragio ad præsulatum illum Lingonensem Godefridus: ubi sermone & opere præfuit. Variis autem exagitatus quærimoniis, plura sustinens incommoda, tandem in bona pace quievit, apud Claramvallem tumulatus.

Exordium Cistercii *dist. 3. cap. 27.* Gaufridus Villarii *Epist. dist. ad Idam Montalem.*

In Claravalle illustris Gumarus Rex Sardiniæ, qui vt cæleste regnum faciliùs consequeretur, sponte terrena sprevit ac dimisit, & in Claravalle Ordinis habitum & sagum humiliter induit. Vbi adhuc recenti S. Patris Bernardi memoria ad pietatem urgente, magno animi fervore eundem pressis vestigiis imitari conatus est, cæterosque Monachos præcedere virtutibus. Multis verò coruscationibus è cælo acceptis, hominem & corpus exuit, ut anima Sanctorum gloria & felicitate donaretur. Memoratus in Exordio Ordinis inter illustres viros lib. 3. c. 27. & in Menologio Henriquei ad hanc diem.

DECIMO TERTIO CAL. AVGVSTI.

Vigesimo Julii.

Apud Charmeiam Campaniæ Monasterium in præsulatu Catalaunensi, & apud Frigidum-montem Picardiæ Cœnobium in districtu Bellovacensi, festivitas sanctæ Margaretæ Virginis & Martyris de consensu Capituli generalis, ob nonnulla ejusdem virginis ossa, sicut & apud Carolilocum in sacello quodam inter medias silvas & vepreta posito, quo fit magnus populi concursus.

Calendarium Ordinis & Missale verus. Tabulæ hujus loci.

In Aquitania Cœnobio Sanctimonialium Ordinis Silvabenedicta nuncupato & diœcesi Podiensi beata Margareta virgo Sanctimonialis, & hujus loci professa, quæ corpus & animam ibidem Altissimo offerens & consecrans, omni virtutum decore refulsit. Factaque suæ Ecclesiæ Sacrista, omni cum decentia & honestate sacra vasa sibi commissa & altaris

ornamenta tractavit. Divinis verò rebus ferè ſemper intenta, miro & ardenti cum animi deſiderio cælum appetiit; & ſic emenſo vitæ ſuæ puriſſimæ circulo & ſtadio, gravem corporis ſui molem ſancto obitu depoſuit: Angelis poſt mortem pro ſanctitatis merito ſociata, ut Agnum tanquam virgo prudens, quocumque iret, intrepida ſequeretur. Extant adhuc virginis oſſa ibidem religiosè aſſervata, quondam è terra ſublata propter inſignia miracula, & in ſublimi loco populi fidelis cultui expoſita publico, nomine ejus aſcripto in Hagiologio communi Ordinis.

In Claravalle beatus Maſcelinus Monachus, qui à ſancto Patre Bernardo ad meliorem frugem ſanctis concionibus converſus, inſigni pietate floruit, anteà Monguntinæ Eccleſiæ Presbyter & ad Bernardum in Germania converſantem nomine Archiepiſcopi Colonienſis tranſmiſſus; factus autem Bernardi diſcipulus ſedulus, ejuſdem imitator fuit: in ſenecture bona mortuus, & annotatus in Menologio.

Vita S. Bernardi. Cæſarius lib. 1. hiſt. cap. 8.

DVODECIMO CALEND. AVGVSTI.

Vigeſimo primo Julii.

Venetiis in Italia Beatus Daniel Ciſtercienſis Ordinis Monachus & Abbas, qui natione Venetus, originis clarus & dignitate Patricius, dum adhuc eſſet in ſæculo, tandem divini numinis inſtinctu mundo valedixit: ſpretiſque opibus & honoribus, Ciſtercienſem habitum in proximo Ordinis Cœnobio induit, togâ ſæculari depoſitâ cum quo Ciſtercienſi habitu ſucceſſu temporis virtutem & ſanctitatem ſuperinduit. Qua de re eſt præfectus Abbas huic Monaſterio; in qua quidem dignitate plura pietatis exempla ſuis exhibuit, virtutibuſque locuples & iam ætate gravis, vitam exuit cum corpore, & poſt mortem merito Calendario illuſtrium virorum Ordinis eſt aſcriptus hac Iulii die.

Arnoldus Vuion lib. 3. ligni vitæ. Sanſonius in deſcriptione Venetica. Ruſca in Compendio.

In Germania venerabilis Ioannes Lintzingius Mulbru- *Antiqua Mona-*

sterii Instrumenta. Gaspar Brischet *lib. fundationum Germaniæ.*

nensis Abbas, qui sævientibus Lutheranis hæreticis per Germaniam in Catholicos & Orthodoxos fideles & Monasteria eorum, constantiæ suæ in tuenda fide exhibuit testimonia; recusansque Lutherano Principi sui Monasteria bona & Iocalia tradere, graves sustinuit persecutiones. Pœnatem exilii mulctatus & proprio Cœnobio ejectus, piè obiit anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo septimo; ascriptus post obitum inter Ordinis illustres viros.

VNDECIMO CALEND. AVGVSTI.

Vigesimo secundo Julii.

Collationes Patrum *in Bibliotheca loci sancti Bernardi.*

IN Claravalle Venerabilis Benedictus Monachus, sancti Patris Bernardi discipulus, & Godefridi Lingonensis Episcopi amantissimus; qui post plura præclara vitæ opera in Basilica Claravallensi sepultus est juxta prædictum Episcopum Godefridum, ut ab eo & post mortem non separaretur Benedictus, quem vivens unicè dilexerat. Ascriptus inter Illustres in collationibus Patrum Ordinis & in Menologio Henriquei.

DECIMO CALEND. AVGVSTI.

Vigesimo tertio Julii.

arnabas de Montalbo *in Chron. lib. 4. cap. 85.*

ALziræ in Hispania inventio sanctorum corporum Martyrum Bernardi Populeti in Catalaunia olim Monachi, & sororum ejus Gratiæ ac Mariæ Virginum Ordinis Cisterciensis facta anno à reparata salute millesimo quingentesimo nonagesimo nono hac Iulii die, ut notat Ordinis Calendarium. Quæ quidem sacra corpora ut quondam variis claruerant miraculis, novis adhuc prodigiis & signis refulserunt; visis ipsis per noctem nimio splendore coruscis à

quibusdam Alciranæ civitatis civibus. Ipsi verò omnes deposita Mahumeris secta & Christiani facti, & ritibus Cisterciensibus eruditi, Sanctimonia & probitate vitæ suis temporibus claruerunt.

Villarii in Brabantia Venerabilis Frater Iacobus de Glimthis genere clarus, qui relictis sæculi opibus humilis factus est; ibidem Conversus vilibus exercitiis totum se dedit, & sic post mortem in gloriam sublimatus, sanctis est associatus.

Liber de Claris luminaribus Villarij in præfatione.

In Artesia Iaquelina de Lalain Flinensis Abbatissa, quæ in sæculo ex illustri familia nata, virtute insignis extitit; cum facta omnibus uti Apostolus, cunctis exempla pietatis præbuit. Mortuaque post plura pia opera inserta est Heroïcarum mulierum Ordinis Catalogo.

Butzelinus *lib. 1. Gallo-flandriæ c. ultimo.*

NONO CALEND. AVGVSTI.

Vigesimo quarto Julii.

IN Hispania Cœnobio sanctæ Catharinæ Monialium Ordinis, festivitas sanctæ Christinæ virginis & Martyris, cujus sacra ossa, imò totum corpus ibidem quiescere fertur.

Tabulæ hujus loci.

In Germania Hemmerodensi Cœnobio beatus Cuno Conversus qui postquàm quadraginta & ampliùs annis mundi vanis se dedisset, tandem alius factus, & in virum alterum mutatus, scelerum suorum omninò pœnituit: susceptaque Ierosolymitana peregrinatione in delictorum expiationem, plura sustinuit patienter incommoda. Ea autem expleta, Hemmerodense Cœnobium adiit; ubi induta Ordinis cuculla per tres annos quibus supervixit mira gessit; magnamque adeptus sanctitatem, feria quadam sexta, uti prius suo Abbati prædixit, fugatis dæmonibus qui ad ejus mortem accurrerant, feliciter expiravit. Cùmque posteà dæmones felicem ipsius exitum variis gemitibus deplorarent, illius gloriam indicarunt.

Calendaria Gallica & Hispanica *hac die.*

In Hasbania beata Christina, cognomento Mirabilis,

Cantipratanus *scripsit ejus vitã.*

tum ob miraculosam vitam, tùm ob miranda opera. Ipsa enim suscepto Ordinis familiaris habitu, Ordinem ipsum sua sanctitate decoravit. Corpusque ejus miraculis clarum, in Cœnobio sanctæ Catharinæ sepultum; è terra posteà effossum est & unà cum Conventu prædicto ad vicum Milensem translatum est anno salutis millesimo ducentesimo trigesimò secundo; ipsa verò virgo in Hagiologio Ordinis manet ascripta.

OCTAVO CALEND. AVGVSTI.

Vigesimo quinto Julii.

Lib. 4. revelationum S. Brigittæ.

ALvastræ in Suecia beatus Genekimus Conversus, qui intra quadraginta annos quibus in claustro degit, nunquam è Monasterio egressus est; sed sub perpetua clausura orationi intentus, Angelis ipsis extitit familiaris, Christumque sub forma visibili per miraculum, in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento conspicere meruit. Sacræ verò necessitudinis vinculo junctus S. Brigittæ cum ea divinis rebus peculiari colloquio disseruit: ac tandem morti proximus Ecclesiæ divina Sacramenta pio cum animi sensu suscepit. Mortuusque Sanctorum consortio creditur aggregatus in cælo uti in terra legitur, hac die ascriptus in communi Sanctorum Ordinis serie.

Tabulæ eorumdem locorum.

In Normaniæ finibus Cœnobio Sanctimonialium de Gomerifonte commemoratio seu festivitas sancti Christophori Martyris, cujus ibidem præcipua pars capitis religiosè asservatur.

In Germania Herkenrode Monasterio Monialium Ordinis solennis memoria miraculosæ Eucharistiæ illuc delatæ à quodam Rectore seu Pastore vicino, & ibidem religiosè asservatæ, ob varias figuras quas passim advenientes de longinquis Provinciis peregrini adverterunt in ea.

Barnabas de Montealbo *tom. 1. Chron. lib. 2. cap. 35.*

In Portugalia & Cœnobio sancti Dionisii de Odivelas Philippa Virgo regio sanguine nata, ex Rege Petro & Elizabetha Regina; quæ ibidem Monialis facta, piè & sanctè

vixit

vixit ad mortem usque, inscripta Menologio Sanctorum Ordinis ad hanc Iulii diem.

SEPTIMO CAL. AVGVSTI.

Vigesimo sexto Julii.

IN Noviomensi præsulatu & Vrsicampi Cœnobio ad Isaræ ripas solennitas sanctæ Annæ Matris Dei Genitricis Mariæ, cujus sacrum caput seu pars capitis ibidem asservatur in lipsanoteca auro, argento & gemmis distincta. Fitque ibi per totum anni circulum non exiguus populorum concursus, propter miracula quæ meritis ipsius sanctæ ibidem fiunt.

In Francia & diœcesi Carnotensi beatus Christianus Eleemosinæ seu Cistercii Monachus, qui primò Anacoretarum vitam professus, in partibus Turoniæ seu Cœnomaniæ probos induit mores in deserto; austeritate insignis, pane solo & aqua frigida contentus, propria membra duris verberibus dilaceravit. Post multa autem cum dæmone collata certamina, & transactos in eremo plures annos, in solitudine cum quibusdam sociis & discipulis sibi adjunctis, perfectioris vitæ & Cœnobiticæ desiderio succensus, in Monasterium Eleemosinæ pro tempore ob Monachorum sanctimoniam celebre, secessit. Vbi tanta sanctitate refulsit, ut dæmonibus ipsis factus sit terribilis; variis etiam modis agitatus & nunquam superatus, victor semper evasit: imò cùm literas nunquam didicisset & solùm quosdam psalmos Davidis memoriæ mandasset, illos pia mente proferens dæmones fugabat. Noctes traducebat insomnes in Ecclesia cùm alii in Dormitorio dormirent; pluribus etiam inter orandum visionibus est illustratus. At vitæ tandem austeritate potius quàm senio fractus, postquam beati Raynaldi Abbatis Cistercii sanctitatem per visionem è cælo acceptam novisset, & ad ejusdem Abbatis jussum Cistercium adiisset, reversus Eleemosinam pia morte finivit, sanctorum Ange- Exordium dist. 1. cap. 28.

lorum ut creditur associatus, & in Hagiolo Sanctorum Ordinis annotatus.

SEXTO CALEND. AVGVSTI.

Vigesimo septimo Julii.

IN Regno Valentiæ Ordo militaris sancti Georgii institutus, sub ritibus Ordinis Cisterciensis militiæ de Montesia incorporatur.

Chronicon Villariense.

In Brabantia beatus Ægidius Villarij Conversus, qui Divione in Burgundia natus, relicto proprio solo, in Brabantiam properavit; ubi inter laïcos Fratres annumeratus post susceptum Ordinis habitum tanta pietate & humilitate illustris extitit, ut post mortem inter sanctos Villarienses ascriptus fuerit, memoratus in Menologio.

QVINTO CALEND. AVGVSTI.

Vigesimo octavo Julii.

Calendarium SS. Ordinis. Tabulæ hujus loci.

POntigniaci in agro Antissiodorensi memoria venerabilis Episcopi Patris Guichardi, ejusdem Monasterii secundi Abbatis, qui post multos ibidem susceptos tyrones & Novitios, ac in disciplina regulari educatos, suis à piis operibus tam longé latequè suæ probitatis famam dilatavit, ut Clero Lugdunensi notus sede vacante per obitum Præsulis, in Archiepiscopum ejusdem urbis electus fuerit, ubi multa laude digna coram Deo & hominibus peregit. Iam autem senex factus suæ prioris scholæ memor factus, ultima sua humilitate sub humili sepultura in proprio Pontigniaci Cœnobio reponi voluit, nomine tanti Antistitis inter viros illustres Ordinis hac die ascripto.

QVARTO CALEND. AVGVSTI.

Vigesimo nono Julii.

IN Burgundia beatus Alexander Cistercii Abbas, qui in Germania natus & magna in dicendo facundia & scientia præditus, apud Coloniam Agrippinam tanquam insignis doctor habitus, sibi non exiguam apud omnes authoritatem conciliavit. Pluribus autem monitis à sancto Patre Bernardo Claræ vallis, dum in Germania versaretur pro belli sacri negotio, excitatus, ut per salutarem morum suorum conversionem propriæ suæ saluti consuleret: cùm iisdem monitis nimis sæculo addictus primò resisteret, de pisce tamen quodam à sancto Patre Bernardo oblato, manducans, visioneque quadam habita per somnium de Baculo sibi pastorali & habitu tradito, mutatus est animo; & alius factus ac corde compunctus, Claramvallem cum sancto Patre adiit, ubi suscepta monastica cuculla in brevi proficiens, meruit ob vitæ meritum de beati Fastredi Abbatis Claræ vallis consilio in Normania præfici Savigniaco magnæ cujusdam Congregationis Archicœnobio. Hinc autem successu temporis Grandisilvam in Vasconia translatus, ac tandem Cistercium totius Ordinis caput effectus, ubique virtutis suæ radios diffudit. Factus verò ob animi singularem solertiam magnatibus carus, & inferioribus ac subditis conversationis suæ mansuetudine familiaris & domesticus, ac tandem omnibus dilectus, præclarus in cunctis suis gestis & actibus extitit, vir in negotiis animi sagacitate expertus, qui pluries à Summis Pontificibus ad Principes Christianos transmissus, non parum Ecclesiæ paci profuit. Sic Henricum Angliæ Regem & filium dissidentes, pacificare studuit, Fredericumque schismaticum Imperatorem reconciliari Ecclesiæ curavit. Tantis autem bonis operibus inclytus, expleto regiminis novennio, vita discessit, meritis & signis plenus, sepultusque in sepulchro Sanctorum suorum prædecessorum Abbatum, intra majus Cistercii Claustrum sub peculiari mausolæo, annotatus hac die in Calendariis Ordinis.

Eodem die in Belgio Cœnobio Sanctimonialium de Nazareth, obiit beata mater Beatrix hujus loci illustris Priorissa mirandæ sanctitatis femina; quæ abstinentiæ & austeritati dedita, carnem suam spinarum aculeis, catenis ferreis ac strictissimis funiculis domare solebat, ut corpus penitùs spiritui subditum, Deo liberiùs vacaret: sicque multis virtutibus & piis operibus perornata, mortalem hanc finivit vitam ut immortalem sibi comparans, sponso suo cælesti obviam iret.

In Gastinio & Cœnobio Sanctimonialium de Gaudio juxta Nemorsium filiationis Cistercii, commemoratio & festivitas sanctæ Marthæ virginis, beati Lazari & Magdalenæ sororis germanæ, cujus quidem Marthæ caput pretiosum ibidem quiescere dicitur.

TERTIO CALEND. AVGVSTI.

Trigesimo Julii.

COmmemoratio Sanctorum Abdonis & Sennis martyrum, quorum sacra corpora olim Roma Florentiam allata à sancto Zenobio Episcopo in Cœnobium sancti Salvatoris die septimo translata sunt, ubi ante aram præcipuam basilicæ requiescunt. Quorum quidem martyrum per Ordinem fit commemoratio.

In Germania B. Theodoricus Hemmerodensis Monachus vulgari nomine de Cellario nuncupatus, qui ob vitæ sanctimoniam multùm claruit in vita, & post obitum meruit à suis posteris commendari, inscriptus Menologio inter Sanctos Ordinis ad hanc 30. Iulii diem.

PRIDIE CALEND. AVGVSTI.

Trigesimo primo Julii.

IN Belgio & Cœnobio Belliprati obiit piæ memoriæ Maria de Satillon, singularis sanctimoniæ Monialis, quæ puero Iesu suo sponso carissimo ita facta est familiaris & domestica, ut eundem sæpè sub visibili specie, coram se præsentem cerneret, ejusque pedibus aliquando provoluta, quicquid optaret ab eo habebat; sicque vita innocenter traducta, ad suaves sponsi sui amplexus meruit pervenire.



MENSIS AVGVSTI.

CALENDIS AVGVSTI.

Primo Augusti.



MORER OLÆ in Hispania beatus Petrus primus hujus loci Abbas, qui Cisterciense Institutum ritusque Ordinis suscepit, quem Deus ob præclara vitæ actæ merita, Prophetiæ dono insignivit. Hoc enim lumine illustratus, Reginæ Hispaniarum à multis annis sterili & infœcundæ habitæ, eam in bre-

vi filiam parituram prædixit. Quod quidem feliciter uti præsignatum erat evenit. Sicque omni gloria coram Deo & hominibus coruscans, mortuus est in senectute bona, meruitque post obitum Ferdinando hujus loci Abbatî insigni suam revelare gloriam; cujus quidem memoria hodie recolitur in communi Sanctorum Ordinis Calendario.

In Anglia sanctus Wallerius Melrosæ Abbas, qui genere & sanguine regio ortus ac pietate ab ipsis incunabulis deditus, apud Kirkeam primò Regularium Canonicorum Ordinis sancti Augustini Cœnobium Christi militiæ mancipatus, sub observantia regulari vitam angelicam duxit; cujus quidem Cœnobii ob innocentissimos mores Prior electus ac cæteris aliis præfectus, multa cum laude omnibus præluxit opere & exemplo. Sed cùm in dies proficeret & arctioris adhuc observantiæ ardentius desiderium illi accresceret, illicò inconsultis aliis Riævallem Ordinis Cisterciensis Cœnobium adiit, ubi post solitam probationem ad solennem professionem susceptus, suis exemplis omnes in admirationem sui rapuit. Vnde paulò post institutus Abbas Melrosæ in Scotia, nonnisi invitus oneri se submisit; humiliatus enim & contemptus, in Claustro semper latere peroptabat: Sed obedientia compulsus, dignitate suscepta, non ad delicias, sed ad laborem vocari sese existimavit. Sicque in seipsum severus factus, fræno potius quàm calcari indiguit, ne nimis corpus frangens duris verberibus, cilicio, jejuniis & cæteris aliis pœnis oneri succumberet. Largus verò in ægros & inopes existens, quatuor aliquando millia pauperum urgente fame per sex menses non sine miraculo dicitur pane sustentasse, qui vix pro quindecim diebus sufficeret. Intentus quoque sæpè sæpiùs speculationi Redemptionis nostræ mysteriorũ, in festo Nativitatis Domini inter celebrandum, puerum Iesum propriis manibus, non tantùm sub panis specie, sed & sub forma visibili miraculosè pertractare meruit, pluribus astantibus prodigium cernentibus & mirantibus; Cælos aliquando coram se reseratos & apertos vidit; miraculis insignis fuit; hydropicis ad eum accedentibus sanitatem restituit; imò multos ægros sanavit; sicque notus propter virtutem & sanctimoniam amplissimas digni-

tates ei oblatas à Rege, S. Andreæ præfertim Epifcopatum refpuit, nec acceptare voluit. Demùm multis virtutum titulis & meritorum gloria illuftris, poft plura alia pia opera & fufcepta Sacramenta Ecclefiæ ac plurima data falutaria monita, fancto fine quievit lacrimantibus omnibus, anno à reparata falute millefimo centefimo fexagefimo tertio, ut teftatur ejufdem Sancti hiftoria. Mortuus autem, quibufdam Religiofis viris fuam gloriam ac beatitudinem manifeftavit: poftea verò ob frequentia miracula quæ ad ejus tumulum fiebant, folenni ritu ab Apoftolica Sede in numerum Sanctorum afcriptus eft & tanquam Sanctus colitur.

In Gallia & Provincia Valefiana obiit piæ memoriæ foror Petronilla *Le Clerc* humilis Converfa, quæ Crefperi nata ab ipfa infantia non pueriliter vixit, fed pietati dedita pueriles lufus refpuebat, Ecclefias frequentabat, & alias fodales filias ad pia opera fuo exemplo & verbo excitabat. Adolefcens facta, plura & longa certamina pro pudicitia confervanda fuftinuit; quofdam viros eam de matrimonio follicitantes, conftanter repulit; aufteritati dedita humi decumbebat; catenis ferreis corpus ftringebat; cumque aliquando catena intra cutem fubintraffet, ipfa ad mortem præ dolore ægrotavit. Verùm cùm parentes de connubio ineundo eam compellerent fola ipfa aufugit, & inconfultis omnibus fuis, in Cœnobium Sanctimonialium de Parco Dominarum juxta Crefperum & in diœcefi Silvanectenfi feceffit, ibique fufcepto habitu fororum Converfarum & poft anni probationem ad folennia vota admiffa, per viginti & octo annos pluribus refulfit virtutibus. Infignis enim extitit humilitate; vilia quævis exercens opera, aliis fororibus Converfis fubminiftrabat; charitate plena, ægros quoflibet & domefticos & externos variis medicamentis & remediis curabat; venam illis aperiebat & omnibus fubveniebat. In pauperes mifericors, de licentia propriæ Abbatiffæ eleemofinas egentibus erogabat non fine miraculo; cùm enim aliquando urgeret fames & panem pauperibus diftribuiffet, non minutum fed potius multiplicatum vifum eft frumentum, ut notum fuit pluribus. Severa in

ſeipſam exiſtens, catenis ferreis, duris flagellis, verberibus & ferro proprium corpus torquebat; cibos ſuos cineribus condiebat; jejuniis, cilicio, & aliis auſteritatis inſtrumentis artus & membra vexabat. Patiens in proximum, aliarum ſororum injurias & probra patienter tolerabat, ſine intermiſſione pro ipſis orans. Zelo plena delinquentes benignè monebat, & quod ab illis obtinere non poterat, è cælo obtinuiſſe fertur. Cùm enim aliquando aliquem delinquentem flectere non poſſet, viſione habita per noctem cujuſdam ignitæ virgæ imminentis, ipſum in brevi puniturum reſcivit; quod quidem evenit uti monuerat. Pluribus aliis ſignis & revelationibus clara, & in omnibus ſanctæ Catharinæ virginis Senenſis fervens æmulatrix, poſtquam diu ad viſionem Dei ſuſpiraſſet, felici morte abiit ad ſuperos, agnum Dei immaculatum ſemper ſecutura quocumque ierit, anno incarnati Verbi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo. Cúmque pauper ſemper extitiſſet per vitam, nihil niſi roſarium in cella ejus repertum eſt: ſepulta in Clauſtro Capituli illius Cœnobii.

Ibidem apud Parcum Dominarum ea die & anno quo ſupra, obiit alia ſoror Converſa Ludovica *Ivore* præcedentis ſororis Petronillæ individua Comes, quæ eodem tempore quo illa habitu ſuſcepto & emiſſis votis, pari virginitatis & humilitatis virtute enituit; ac tandem eodem die defuncta, ipſam ſecuta eſt ad gloriam quam ad Clauſtrum ſecuta fuerat.

QVARTO NONAS AVGVSTI.

Secundo Auguſti.

Apud Regalem-montem Bellovacenſis diœceſis, ſub finibus Picardiæ, commemoratio ſancti Stephani Papæ & Martyris, cujus ſacrum brachium ibidem requieſcit in ſacrario, habeturque ibidem hujus conceſſionis olim Cœnobio factæ authenticum inſtrumentum.

Apud Lemovicos in Cœnobio de Obazina beatus Stephanus

phanus hujus loci insignis Prior, & alterius beati Stephani ejusdem Cœnobii primi Abbatis verus æmulator & discipulus, qui hanc eremum in victu, abstinentia & sobrietate, in regimine, prudentia & pietate illustrans, alios quamplures sectatores in quovis virtutis cultu efformavit, meritorumque plurium cumulo ditatus ex hac vita discessit, æternam patriam post obitum adeptus.

TERTIO NONAS AVGVSTI.

Tertio Augusti.

APud Valles-Cernaii præsulatus Parisiensis festivitas S. Protomartyris Stephani ejusdem Ecclesiæ specialis Patroni, cujus memoria ibidem singulis diebus agitur, crediturque ibi aliquando reposuisse ejusdem Martyris quædam præcipua ossa.

In Anglia beatus Guillelmus Riævallis Abbas, & sancti Patris Bernardi discipulus ac notarius apud Claramvallem, qui dictante eodem sancto Patre Bernardo epistolam ad nepotem suum Robertum, eam scripsit in imbris medio carta à pluvia miraculosè intacta. Missus verò in Angliam, vitæ suæ merito Abbas Riævallis electus est: In qua quidem dignitate tanta claruit virtute, ut post mortem plurimos reliquerit suæ probitatis præcones & æmulatores, annumeratus inter Ordinis Illustres & memoratus à pluribus authoribus multa cum laude.

Nonantulæ in Italia S. Gregorius hujus loci sextus decimus Abbas, vir sanctissimæ vitæ, qui post novem & decem annos regiminis, & post data innumera virtutis præclara exempla, sanctè obiit & ejus festum hac die tertia Augusti ibidem celebratur.

PRIDIE NONAS AVGVSTI.

Quarto Augusti.

IN Loco-Dominæ-nostræ Sanctimonialium Cœnobio juxta Romorentinum, in Provincia Soloniaca & diœcesi Aurelianensi, festivitas sanctæ Claræ virginis reclusæ seu Monialis, cujus ossa è vicina silva illuc allata & diu religiosè asservata, ac tandem per bella flammis data sunt, quamvis semper ejus memoria recolatur à peregrinis utriusque sexus.

In Hibernia obitus piæ memoriæ Thomæ Lombardi, qui suscepta Ordinis veste apud Hispanos, in Superatensi Cœnobio post sufficientem in virtute exercitationem, hinc in Hiberniam est reversus, ubi constanter & animosè hæreticis & pravis eorum dogmatibus resistens, eosdem fugavit & vicit, ac Catholicos & fideles in Orthodoxa fide à Patribus accepta firmavit. Imò Elizabetha Angliæ Regina alia Iezraële Christiani populi ob impietatem & crudelitatem, è vivis sublata, Waterfordienses cives ad veræ Ecclesiæ obedientiam & doctrinam suis reduxit concionibus, ita ut posteà nullus reperiretur qui contra Ecclesiæ jura solitum hæreticorum juramentum præstare voluerit. Cúmque ipse diu mira charitate succensus, peste ibidem per Hiberniam sæviente, infectis hominibus Sacramenta Ecclesiastica piè ministraret, morbo & peste ipsa affectus, hora mortis suæ cognita & manifestata in ejusdem charitatis exercitio sancto fine quievit, die ipsa quarta Augusti sepultura donatus, in Ecclesia sancti Ioannis, ubi postea à populo communiter ut Sanctus habitus est: caput verò ipsius effossum è terra cùm à putredine illæsum repertum fuisset, adhuc pelle & cute tectum, populi existimationem & pietatem adauxit, positumque est in sacrario ejusdem Ecclesiæ, cultui publico exhibendum.

Festivitas sancti Dominici Fratrum Prædicatorum Institutoris, quibus Statuta Cisterciensia simul cum abstinen-

tia à carnibus dederat, posteaquàm cum B. Didaco Oxoniensi Episcopo Cistercium invisisset, & Cisterciensibus Abbatibus contra Albigenses hæreticos sese adjunxisset, mortuus nonnisi sequenti die Augusti quo olim in Ordine Cisterciensi celebrabatur.

NONIS AVGVSTI.

Quinto Augusti.

IN Germania Eberbacensi Monasterio, beatus Theodoricus Monachus pietate insignis, puritate decorus, religione præcipuus, sanctitate præclarus; qui post longum bonorum operum & meritorum stadium ac cursum, sibi, pro sæculo quod dimiserat, cælum, pro terrenis quæ deseruerat, æterna, felici transitu & obitu comparavit, ascriptus hac die sacris Ordinis Sanctorum dipticis, etsi corrupto vocabulo Monasterii scriptum sit Henervacensi pro Eberbacensi Typographi errore.

In Germania beata Hildegundis virgo Sanctimonialis, quæ omni virtutum fulgore splendida ita exarsit in sancti Ioannis Baptistæ cultum, ut ipsius sancti semper memor fuerit; & eum in abstinentia imitata fuerit. Mortua autem in senectute bona, suavem odorem è corpore exhalavit, annotata inter Beatos Ordinis ad quintam Augusti diem. Cæsarius *lib. 8. miraculorum sui temporis cap. 50.*

OCTAVO IDVS AVGVSTI.

Sexto Augusti.

TRansfigurationis Domini nostri festivitas, sub majori cultu celebranda per Ordinem, cum Commemoratione sanctorum martyrum Felicissimi & Agapiti. Liber vitorum illustrium Ord.. Cisterc. *dist. 3. cap. 20.*

In Luxemburgo & Ducatu Montensi beatus Iezelinus Ordinis Cisterciensis Anachoreta, qui post longum virtutis & Claustri ac cœnobiticæ vitæ experimentum, ad spiritua-

le bellum edoctus, singularem in deserto & solitudine suscepit pugnam adversus dæmonem humanæ naturæ hostem, solis herbis & radicibus brutorum instar victitans, carni suæ bellum jugiter intulit; tantaque sanctitate claruit, ut non solùm in his regionibus, verùm in vicinis & remotis & in Galliis nota fuerit ejusdem viri probitas: undè patri S. Bernardo Clarævallis Abbati carus factus, cùm nudus priùs per æstus & frigora incederet, ab eo habitum quendam Monasticum accepisse fertur, cum quo perseverans in eremo, inter nives & calores ac cætera naturæ incommoda, per annos quatuordecim, sancto fine quievit in vicino quodam pago quo pauló ante mortem perrexerat, ut à sacerdote sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta suscipere valeret. Successu autem temporis miraculis clarus, ædem sui nominis habere meruit, ubi diu reconditum est ejus corpus, postea Luxemburgum ob signa & miracula translatum, & Iezelini nomen ad hanc diem legitur in Ordinis Cisterciensis Hagiologio.

Apud Claramvallem beatus Achardus Monachus, qui à primordiis suæ conversionis ita exagitatus est tentamentis à dæmone, ut vix persistere potuisset diutiùs in sancto religionis proposito, nisi uberiori gratia à Deo præventus fortior extitisset. Animum itaque resumens sanctus ipse novitius ita sanctitate insignis extitit, ut inter obscena quamplurima phantasmata à dæmone suggesta, alius Antonius vexatus videretur; flagellis enim & verberibus plerumque dæmonem sub visibili specie apparentem excipiebat, ita ut aliquando fœtore ex ejus manu qua ipsum percusserat exhalante, omnibus quasi prodigium fuerit. Missus verò posteà à sancto Patre Bernardo in plura Ordinis Cœnobia, quod in se & proprio experimento didicerat, cæteros docens, dæmonis versutias omnes subtiliter detegeret. Reversus verò Claramvallem & adhuc novitiorum instructioni deputatus, plures efformavit discipulos, ac tandem dierum & meritorum plenus, mortalem hanc exuit vitam, ut æterna & immortali vita frueretur, ascriptus Calendario Sanctorum Belgii hac die in indiculo Molani.

SEPTIMO IDVS AVGVSTI.

Septimo Augusti.

IN Lusitania & Cœnobio Sanctimonialium de Arouca Inventio corporis beatæ Mafaldæ Reginæ & Ordinis Cisterciensis Sanctimonialis, anno salutis millesimo sexcentesimo decimo septimo hac Augusti die ab Episcopo Lamecensi Martino Alphonso Mexia ad instantiam Serenissimi Hispaniarum Regis Philippi II. facta, corpusque sacrum magno miraculo cùm à multis annis sub terra jacêret inventum est omninò integrum & à putredine illæsum; quod non exiguum pietatis sensum astanti populo peperit, repertum verò dicitur cum corporis bombicinum velum sicut & cilicium quo vivens sæpè ad carnem usa fuerat.

In Claravalle B. Ausculphus seu Ansulphus Monachus, qui nondum emissis votis adhuc novitius existens, futuræ suæ sanctitatis signa dedit; visionibus verò illustris, post emissa vota eximios in virtute progressus & profectus fecit: undè post mortem intra primos Beatos ascriptus, peculiarem memoriam habere meruit in recentioribus authoribus & Calendariis Ordinis ad hanc diem.

SEXTO IDVS AVGVSTI.

Octavo Augusti.

IN Italia Galesii oppido sanctus Quadrus alio nomine Famianus dictus, insignis Anachoreta & Ordinis Cisterciensis Monachus, qui Coloniæ Agrippinæ in Germania natus ex Gotescalco Patre & Guimara matre, ac factus adolescens, facultatibus suis pauperibus erogatis, proprium solum pro Christo reliquit; profectusque Romam ut sacra ibi loca inviseret, ostiatim stipem mendicavit, ut pro Christi amore vitæ hujus quæque incommoda pateretur. Hinc

Miræus *lib. 5. originum monasticarum cap. 15.*

autem Compostellam veniens, S. Iacobi sacra ossa veneratus est, posteà verò tota Syria peragrata terræ sanctæ loca perlustravit, & sic in Galleciam revertens, ibi Cisterciensem habitum & Institutum suscepisse dicitur, apud Vrsariam seu sancti Laurentii cellam ab Vrsaria pendentem, ibique triennium in magna sanctitate vitæ explevit; de consensu tamen Superiorum in Cœnobium Ss. Cosmæ & Damiani transiens, ibi per 25. annos solis herbis, pane & aqua victitavit Factus autem sacerdos iterùm Romam adivit, undè postea revertens & per Galesium oppidum transiens, cùm gravi siti laboraret, ex silice virga sua percusso, aquam eduxit, potuque extincta siti, fons posteà omnibus febricitantibus ad hæc usque tempora profuit. Factus verò senex beatus Quadrus, cùm non amplius corporis vires suppeterent ad vitam, in morbum incidit, susceptusque in hospitium à quibusdam fidelibus, futuram eis pro charitate mercedem repromisit, & indicato astantibus sepulturæ suæ loco, ac sacramentis Ecclesiasticis ritè susceptis, obdormivit in Domino, non sine præsentium lacrymis; cumque ad ejus tumulum continuè miracula fierent, eum Adrianus Papa hujus nominis IV. in Sanctorum numero referre voluit, mutato nomine Quadri in Famianum ob signorum famam.

In Gallecia B. Rogerius Monachus, qui à sancto Patre Bernardo præfectus Prior in antiquo Benedictinorum quorundam Cœnobio, ibidem rigidissimam Cisterciensem vitam instituit, & totam illam Galleciæ regionem suis claris operibus illustravit, ascriptus post mortem in Menologio Ordinis ad hanc Augusti diem.

QVINTO IDVS AVGVSTI.

Nono Augusti.

IN Melrosensi Cœnobio depositio Beati Walleni Abbatis, cujus vitam & præclara acta supra retulimus ad primam Augusti, qua die veneranda ejus memoria recolitur

celebris in Scotia, propter miracula quæ ad ejus ſepulchrum erga ægros patrantur.

In Hiſpania beata Vrraca ex nobili familia de Sarmiento nata, quæ ſuſcepto Ordinis habitu cum velo, poſt longum virtutis experimentum facta eſt Abbatiſſa de Renuſo; meritiſque inclita & pluribus informata virtutibus, tandem multis laboribus & diebus conſummata, animam conditori ſuo cum gloria tradidit.

QVARTO IDVS AVGVSTI.

Decimo Auguſti.

IN Claravallenſi Cœnobio B. Laurentius Converſus, qui clariſſimis ſanctitatis radiis in orbe refulſit, magnamque tum apud ſummum Pontificem, tum apud Reges, tum denique apud varios viros, Principes & potentes authoritatem, propter egregias virtutes, quibus maximè clarebat, conſecutus eſt. Demùm egregiis ſignis ac virtutibus illuſtris, ex hac vita diſceſſit, aſcriptus poſt mortem in Menologio Ordinis ad hanc diem Auguſti.

Lib. virorum illuſtr. Ord. Ciſterc. diſt. 4. cap. 33. Brito *lib. 5. cap. 6.*

In Gallia B. Guido, qui ab infantia monaſticis diſciplinis nobiliter inſtructus, in Monaſterio Vallium-Cernaii vitam cœnobiticam ſanctiſſimè duxit: & inde à ſummo Pontifice Innocentio III. in Aquitaniam miſſus ad Albigiorum hæreſim profligandam, multos erroribus Albigenſium ſeductos ſua prædicatione Chriſto acquiſivit & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reconciliavit. Creatus tandem Carcaſſonenſis Eccleſiæ Pontifex, maximiſque pro Eccleſia Dei laboribus & curis perfunctus, multis etiam virtutibus conſpicuus, in morbum incidens, non ſine magna ſanctitatis opinione beatum Deo reddidit ſpiritum. Claruit autem anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo.

Petrus Monachus Vallium-Cernaii *in hiſtor. Albigenſium.* Seguinus *in Catalogo SS. Ordinis.*



TERTIO IDVS AVGVSTI.

Undecimo Augusti.

PEr universum Ordinem Cisterciensem Festum celebratur Spineæ coronæ Servatoris nostri Iesu Christi.

Cæsarius *lib. 8. cap. 11.*

In Claustro B. Daniel Monachus, qui rigidus, præter communem modum, corporis sui castigator extitit, & severus regularium disciplinarum observator. Orationibus, vigiliis, jejuniisque infatigabiliter operam dedit. Multas habuit revelationes, quas tamen vir pius, humilitatis æmulator, rarò aliis communicavit. Tamen confessus fuit, se tribus vicibus Regem Angelorum vidisse: prima nempe vice in cruce ante gradum presbyterii; secunda, in candidis vestibus ante majus altare; tertia verò, in ignea formà super ipsum Altare. Maxima fuit affectus devotione circa Domini passionem, in tantum ut cùm de illa vel loqui vel cogitare inciperet, imbres lacrymarum ab oculis in magna abundantia fluerent. Sicque cælestibus charismatibus & crebris visionibus illustratus, cursum vitæ præsentis feliciter consummavit; ascriptus post mortem in Menologio Ordinis ad hanc diem.

PRIDIE IDVS AVGVSTI.

Duodecimo Augusti.

Calendarium Ordinis *hac die.* Seguinus *lib. 3. cap. 85.*

PRopè Coloniam B. Vdevolta virgo & in Monte-sanctæ-Walburgis Cœnobio Sanctimonialis, innocentissimæ vitæ femina; quæ mente mundo exulans, soli adhærere cupiebat Christo animarum dulcissimo sponso. Variis fuit charismatum donis insignita, ideoque suis sororibus cara. Cùm tandem, laborum suorum præmium receptura, ultimum ageret spiritum, Angelum vidit, qui animæ exitum præstolabatur, ut eam in æternam patriam deduceret.

Quod

Quod dum astantibus virginibus indicaret, placido vultu emisit spiritum, qui eundem Angelum secutus, ad æternam patriam ascendit.

In Claravalle Elevatio plusquam nongentorum sanctorum Monachorum, Conversorum & Novitiorum ejusdem Cœnobii facta die omnium Sanctorum anno Domini 1148. vivente sanctissimo Patre nostro Bernardo; quorum sacra ossa in Capellam Comitum Flandriæ solemni ritu translata, multis miraculis illustrantur, & à Christi fidelibus publico honore coluntur.

Liber sepulchrorum Claravallis.

In Lusitania Inventio corporis B. Theresiæ Reginæ & Ordinis Cisterciensis Sanctimonialis multis miraculis illustris, quæ patrem habuit Sancium I. Lusitaniæ, conjugem verò Legionis Regem. Anno autem millesimo sexcentesimo decimo septimo aperto illius sepulchro, visum est Reginæ corpus ita integrum ac si tum primùm fuisset terræ commendatum. Ascripta manet in Menologio Ordinis ad hanc diem 12. Augusti.

Vasconcelius *in descriptione Regni Portugalliæ.*

IDIBVS AVGVSTI.

Decimo tertio Augusti.

IN Claravalle B. Bernardus Monachus, genere nobilis, virtutibus tamen & vitæ sanctitate nobilior; qui mundanam transitoriamque felicitatem monastica humilitate commutans, cùm diu à spiritu luxuriæ ignitis gravissimarum tentationum telis incessanter exagitaretur, & ipse, humanam ferè fortitudinem superans, viriliter restitisset, divinitùs meruit à tam importuna & periculosa tentatione liberari; ita ut posteà usque ad felicem vitæ consummationem nec minimam quidem carnis alterationem senserit: Sicque bonorum operum plenus, mente purus & corpore virgo, victor ad Christum migravit. Meruitque nomen habere inter Ordinis Sanctos, & in Menologio ad hanc diem 13. Augusti ascribi.

Calendarium SS Ordinis. Cæsarius *lib. 4. historiarum mirabilium cap. 97.*

DECIMO NONO CAL. SEPTEMBRIS.
Decimo quarto Augusti.

IN Hibernia passio quadraginta Monachorum Cœnobii Magiensis Ordinis Cisterciensis ex linea Claraevallis & Diœcesi Limiricensi, qui simul cum suo Abbate pro fide feliciter occubuerunt. Cùm enim hæretici quidam eorum Monasterium invasissent & in illud armata manu irruerent, ipsi ante Augustissimum Altaris Sacramentum hostem expectantes, intrepidi eorum se gladiis objecerunt: seque invicem ad mortem pro Christi amore tolerandam invitantes, vitam omnes capitis obtruncatione finierunt ipsa vigilia Assumptionis serenissimæ cælorum Reginæ. Ex hac strage, solus superfuerat senex quidam Religiosus, quem vel oblivione vel contemptu in vivis reliquerant. Hic videns precum vespertinarum tempus instare, dolere cœpit, quod tali die nullus in Domo superesset, qui posset easdem canere, & oculis lacrymas amore Dei & sanctissimæ matris ejus nostræque præcipuæ Patronæ, expressas copiosè fundens, chorum intravit, ubi omnia sedilia Religiosis oppleta reperit. Videbat in gutture singulorum circulum rubeum, eo loco quo Carnificum gladius penetrarat, & caput à corpore diviserat. Coronas habebant in capite & palmas in manibus, cœperuntque canere, *Deus in adjutorium meum intende;* vesperasque, ut de similibus Cantoribus sperari poterat, absolverunt. Horum martyrium miraculosamque capitum reassumptionem describit liber de persecutione Hibernica, quem alumni Seminarii Hispalensis ediderunt anno millesimo sexcentesimo decimo sexto §. 2. num. 46. Meminitque eorumdem Ordinis Menologium hac ipsa die 14. Augusti.



DECIMO OCTAVO CAL. SEPTEMBRIS.

Decimo quinto Augusti.

ASsumptio ſanctiſſimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, in cujus honorem omnia Ordinis noſtri Cœnobia inviolabili patrum noſtrorum lege conſecrata ſunt.

Martyrologium Romanum. Menologium Græcorum.

In Germania B. Conradus Converſus Heiſterbacenſis, vir ſimplex & rectus ac timens Deum; qui cùm gravi infirmitate vexaretur, Chriſtum in cruce pendentem coram ſe vidit, qui dixit ei: *Conrade, vides quanta propter te sustinuerim.* Aliàs verò in ecſtaſim raptus, cæloſque penetrans, voces & concentus Angelorum audire meruit. Tandem virtutibus plenus ac variis revelationibus illuſtris, in ipſa ſolennitate Aſſumptionis Deiparæ piiſſimè obiit.

Manrique *in Calend. SS. Ord. Ciſt. hac die.* Cæſarius *lib. 4. cap. 32 & lib. 8. cap. 20.*

Toleti in Hiſpania, in Monaſterio ſancti Clementis piiſſimus obitus B. Mariæ ejuſdem Cœnobii Sanctimonialis ætate juvenis, ſed moribus & virtutibus provectæ; quæ cùm diù gravi morbo laboraſſet, cœpit tamen decima quarta hujus menſis graviùs ægrotare, & tandem ad extrema devenire. Veruntamen priuſquàm corporis ſui ſarcinam deponeret, admirandis viſionibus meruit honorari. Sancti enim Apoſtoli, Evangeliſtæ multique alii Beati ei apparuerunt, imò verò & ipſa Dei genitrix Virgo, à qua ſancta femina obnixè rogavit, quatenùs ex hac vita migrare mereretur eadem hora qua & ipſa cælos glorioſa conſcendit. Quod ei piiſſima miſericordiæ Mater non denegavit: imò promiſit eoſdem hymnos, eadem lætitiæ & exultationis cantica, quibus cæli cives ipſi cælum conſcendenti congratulati ſunt, ſe audituram, rectàque ex hac miſeriarum valle in gloriam cæleſtem intraturam. Ab ea autem hora uſque in ſequentem diem, Chriſti famula horam reſolutionis expectans, in gratiarum actionibus & mira cordis jucunditate perſeveravit. Verùm cùm horologium audiviſſet, *Iam,*

Monumenta ejuſdem Cœnobii. Bivarius *lib. Mulier. illuſtr. Ord. Ciſterc.*

inquit, *migrandi tempus exoptatum advenit; tali hora gloriosissima cœli Regina super choros Angelorum exaltata, ad æthera regna conscendit. Dominam ancilla sequatur.* Hæc cùm dixisset, mira vultûs mentisque suavitate omnibus valedicens purissimum spiritum reddidit Creatori. Post obitum multa miracula edidit & inter Mulieres illustres Ordinis nostri meruit reponi. Ascripta verò manet in Menologio Ordinis hac ipsa die 15. Augusti.

DECIMO SEPTIMO CAL. SEPTEMBRIS.

Decimo sexto Augusti.

Calendarium SS. Ordinis.

IN Polonia Trebiniacensi Cœnobio Cisterciensis Ordinis Sanctimonialium, Elevatio sacri corporis sanctæ Heduvigis Reginæ miraculis ad tumulum coruscantis; quæ quidem paulò ante mortem extiterat hujus incliti Cœnobii Fundatrix ac Monialis seu hospes sub pia filia hujus loci Antistita. Cujus sanctæ Reginæ festivitas per totam Poloniam celebratur ex decreto Capituli generalis Cistercii habiti anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo ad Polonorum instantiam, qui & celebrari postulabant meritò per totum Ordinem.

Thesaurus perfectionis Monastica cap. 13.

In Hispania Athanasius de Villa-Gomez Nucalensis Monachus, qui vitam duxit angelicam & multa virtutis exempla posteris reliquit, mortuusque suavem emisit odorem in signum suæ beatitudinis, memoratus ab Henriqueo hac die.

DECIMO SEXTO CALEND. SEPTEMBRIS.

Decimo septimo Augusti.

Monumenta domus.

IN Picardia Cœnobio Sanctimonialium de Pentimonte juxta Bellovacum Commemoratio solennis sancti Mammetis Martyris, olim pro Christo Domino immaniter ex-

visceratı; cujus quidem sacratissimi Athletæ Christi reliquiæ ibidem olim requiescebant, propriumque habent altare & sancti Martyris effigiem, ad quæ accedunt varii peregrini: Ejusdem tamen memoria præcipuè recolitur tertia Dominica quadragesimæ ob frequentiorem populi concursum.

In Germania B. Ludo Hemmerodensis Cœnobii Conversus, qui variis coruscationibus illustratus, factus est dæmonibus infensus, quos alios vexantes suis precibus fugavit & eorum conatus oratione fregit; sic plenus bonis operibus obdormivit in Domino, apud Ordinis authores & in Menologio ad hanc diem memoratus. Cæsarius *lib. 17. cap. 15.*

DECIMO QVINTO CAL. SEPTEMBRIS.

Decimo octavo Augusti.

IN Burgundia & Cisterciensi Cœnobio beatus Ioannes ejusdem loci Monachus, qui pro suscipienda strictiore observantia è Molismo egressus cum cæteris aliis Ordinis primis Patribus, magna vitæ austeritate & morum integritate Cistercii locum decoravit; humilitatis, abstinentiæ, silentii cæterarumque virtutum sedulus æmulator, ex hac vita in meliorem ob meritorum copiam translatus & antiquis Ordinis dipticis meritó ascriptus. Ioannes Abbas Cist *in Catal. 83. Ordinis.*

In Scotia Martinus Scotus Cisterciensis Ordinis Monachus, probitate vitæ & literarum peritia insignis, qui vitas summorum Pontificum stilo laudatissimo emulgavit, annotatus inter Ordinis viros illustres ad hanc diem. Hermanus *in suo registro.*

In Belgio Fulcedis Monialis de Prato, quæ post susceptam Cisterciensem vestem ibidem Deo famulata meruit specialem in dipticis Ordinis memoriam habere. Monumenta Prati.

DECIMO QVARTO CALEND. SEPTEMBRIS.

Decimo nono Augusti.

Calendarium Ordinis *hac die.*

IN Anglia sacrilega Combustio & secundum Martyrium sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, & olim apud Pontigniacum diù Hospitis seu Monachi; qui non tantùm in vita pro libertatis Ecclesiasticæ defensione Regibus Angliæ restitit & ab eis exilium & probra & tandem mortem sustulit, sed & post mortem ob sanctimoniæ antiquæ famam ab Henrico VIII. Angliæ Rege impiissimò exhumato & ex proprio tumulo extracto corpore & flammis dato, novum perpessus est Martyrium, ut duplicis coronæ particeps fieret; quibusdam tamen jam reliquiis ejusdem sancti in Galliæ partes transmissis & ibidem religiosè & piè servatis, non sine speciali Dei providentia, annotato hoc martyrio ad hanc diem in Ordinis Calendariis.

DECIMO TERTIO CAL. SEPTEMBRIS.

Vigesimo Augusti.

Vita ejusdem sancti & innumeri authores.

IN Burgundia Natalis Sanctissimi Patris nostri BERNARDI, qui Fontanæ juxta Divionense castrum ex nobilibus Parentibus Tesselino & Aleta ortus, pièq; à matre instructus & studiis imbutus, Castellione super Sequanam pietatem à pueritia coluit, in egenos propensus, in Deum fervens, & in sodales charitate plenus; prævenrusque in benedictionibus dulcedinis à Deo, cùm aliquando dormitans vigiliarum horas ad ostium Ecclesiæ nocte ipsa Nativitatis Domini expectaret, Iesum ipsum tanquam recenter natum & inter Deiparæ Virginis brachia vagientem, in spiritu conspicere meruit. Vndè spirituali quadam consolatione recreatus, fa-

ctus est pietatis & virtutis avidior, sævusque in semetipsum ob levem in mulierem injectum aspectum, media hyeme in stagni aquas gelu constrictas sese ad collum usque præcipitem dedit, ut sic concupiscentiæ flammas extingueret. Adolescens factus cùm facie pulcher & formosus videretur, turpem innocentes sibi quarumdam mulicrcularum conciliavit affectum, undè ab illis turpiter tentatus, in castitate perstitit immobilis: Tædio verò mundi fatigato, subiit in animum Claustrum & Monasterium petere, ubi illibatam duceret vitam extra omne criminis & vitii periculum. Multis quoque ex sodalibus suis idem suadens propositum, secum triginta socios tam fratres quàm cognatos & notos Cistercium duxit, ubi suscepti omnes ad habitum Religionis à sancto Patre Stephano, mirum in modum in virtute progressum fecerunt, inter quos præcipuè Bernardus enituit, qui cùm aliquando solitos pro matre defuncta psalmos recitare fuisset oblitus, à sancto Abbate qui illud divinitùs detexerat argutus, non amplius eosdem omisit. Emissis autem solemnibus votis omni virtute claruit; ita enim modestus extitit, ut ne quidem è terra, ut Cælum aut Ecclesiæ fenestras aspiceret, oculos levaret; ita humilis, ut omnibus inferior sibi esse videretur; ita obediens, ut citiùs obtemperaret quàm Superior juberet; ita pius in Deiparam, ut continuo cultu eandem prosequeretur. Factus itaque Abbas Clarævallis, illuc missus est, ubi erectis tuguriis potius quàm ædificiis, contentus cum suis pane agresti & amaro pulmentisque exiguis, vitam instituit angelicam, infinitos ad sui imitationem discipulos adducens. Benedictusque in Abbatem à Guillelmo Cathalaunensi Episcopo, etsi despicabilis prima fronte ob nimiam vitæ austeritatem videretur, cognitus tamen seu verbo vel opere, ab omnibus diligebatur; extra Claustrum potiùs raptus quàm vocatus, mira in Ecclesia negotiis est operatus; subortum enim gravissimum schisma in Ecclesia inter Petrum de Luna Antipapam & Innocentium legitimè electum, in Comitiis Stampis habitis præsentibus Episcopis, Magnatibus ac Regni Proceribus, verbo suo tanquam Divino oraculo solvit & compescuit, Innocentium verum & legitimum Pontifi-

cem declarans, jussus à Concilio ut sensum suum daret. Secuti sunt autem eum Galliæ & Angliæ Reges aliique Regni Primates, unico excepto Guillelmo Aquitaniæ Duce, qui cum quodam Pseudo-Episcopo Girardo Engolismensi, Anacleti seu Petri Anti-papæ partes sustinebat. Vndè veris Episcopis ab eo in exilium pulsis, & vastatis ac spoliatis Ecclesiis, eundem adiit & arguit Bernardus; primò cum Iosleno Suessionensi Episcopo, posteà verò cum Godefrido Carnotensi Legato. Verùm nec verbis nec imprecationibus nec minis proficiens, addidit & Ecclesiæ fulgura ac censuras, separatusque à communione fidelium, percussus anathemate Guillelmus, cùm aliquando ad januam staret Ecclesiæ, egressus Bernardus cum sacra Eucharistia in patena posita, vivaciori voce ducem arguit & corripuit, terruitque Christi præsentia, ita ut cadens resupinus, sputum ex ore emitteret loqui non valens. Sancti tamen voce posteà suscitatus, omninò resipuit vitæque emendationem promisit, quod & adimplevit. Vndè factum est ut Episcopis Catholicis suæ sedi restitutis & bonis Ecclesiæ redditis, miram de excessibus egerit pœnitentiam, mérueritque albo Sanctorum post mortem ascribi. Mortuo tandem misero Gerardo, ac impio Pictaviensi Decano morte severa à Deo mulctato, paulatim Ecclesiæ pacem restituit Bernardus, variis hac de re per tres annos in Italiam susceptis peregrinationibus. Quo tempore diversos & oblatos Episcopatus, putà Mediolanensem, Rhemensem, Lingonensem & alios constanter respuit, Innocentioque in sede Petri installato, in Galliam rediit. Claramvallemque regressus, ibidem diù delituisset, nisi denuò pro variis & regni & Ecclesiæ negotiis extractus hinc fuisset, sed præsertim accepto mandato ab Eugenio ut bellum sacrum indiceret, coactus est è latebris exire verbumque è suggestu facere. Quod ita factum est efficax, ut infinitam hominum multitudinem è diversis Europæ regionibus ad illud ineundum induxerit; Verbum signis & miraculis assiduis per Galliam & per Germaniam factis confirmantibus. Dein verò fidelium exercitu jacturam passo, omnes superstites in Sanctum tanquam hominem sacrilegum & omnium militum homicidum detrectarunt. Quid in hac re verò

re verò fecisset Bernardus? Non video, nisi opprobria hominum omnia unica vicisset patientia. Eâdem itaque virtute munitus, qua & Innocentii iram ex quadam levi suspicione in Sanctum conceptam priùs sustinuerat, & variarum infirmitatum, quibus tenerum ejusdem corpus laborabat, oppressiones, ipsum è Monasterio exire non permisissent, nisi vel communis populorum utilitas ut Principes in se invicem sævientes armis cohiberet, vel Ecclesiarum regni necessitas ut illis Antistites præfici curaret, expostulasset. Quam plures quoque nascentes ipsis temporibus hæreses ne amplius serperent effecit, putà Gilbertinorum in Concilio Rhemensi damnatorum, Abailardi in Comitiis Senonensibus ad quæ quasi coactus accesserat Bernardus, Henricianorum suis concionibus & miraculis repressorum. Quæ quidem miracula in tantum numerum creverunt, ut non facilè omnia possint conscribi, cùm per unicam diem aliquando plusquàm quinquaginta operatus fuerit, cæcos illuminando, mutis loquelæ usum, surdis auditum, claudis gressum reddendo, ac etiam quandoque mortuos suscitando. Nullum etiam sanctus Pater vicum aut urbem transibat, quin multos miraculosè sanaret ægros undequaque ad eum properantes. Nec solùm ægri, sed & sani, cum tanta multitudine Sancto fiebant obvii, ut aliquando coactus fuerit à robustis hominibus elevari ex turma & in hospitia asportari, ne eum comprimeret multitudo; sicuti Mediolani accidit, ubi tanta ei exhibita est reverentia, neglecto Cardinale qui cum eo aderat, ut populus Sanctum speciali cultu veneraretur, ejus vestes frustatim per oras scindendo, ut easdem particulas pro reliquiis haberent. Quid plura? Bernardi sanctitatem noverat Germania, scientiam & prudentiam viderat Italia, miracula probaverat Gallia, literarum suarum cognoverat Hispania, nec ulla erat regio sive Anglia, sive Belgium, & adjacentes cæteræ, quæ nomen Sancti non venerarentur. Imò ipsi Dinastæ, Reges, Monarchæ & Imperatores sibi ejusdem Sancti necessitudinem quo poterãt modo conciliabant; loquentem ferventer audiebant; iratum sustinebant; jubenti obtemperabant. Episcopi, Præsules, Archipræsules eundem habebant in dubiis consiliarium, in adversis protectorem,

in miseriis consolatorem. Tandem postquàm verbo & opere per omnes Europæ regiones eluxisset, postquàm Ordini plusquàm sexaginta Cœnobia recenter extructa aggregasset, multaque utilia opera dictasset, quamplures alumnos piis institutis informasset, variis coruscationibus illustratus fuisset, plenus probis operibus, senio & labore fractus, deficientibus corporis viribus, anno trigesimo octavo sui regiminis, ætatis suæ sexagesimo tertio purissimam exhalavit animam, eamque ad superos transmisit beatitudine cælesti fruituram. Sepultusque est in minori Ecclesiæ Basilica Claravallensi, majore nondum extructa etsi inchoata; ubi adhuc tantis post mortem fulsit miraculis, ut accurrentibus undique populis ad Sancti tumulum, perturbaretur quies Monachorum. Vnde Gosuinus Abbas Cistercii Claramvallem de more visitans, fertur sancto Patri jam tumulato injunxisse ac præcepisse, ne ampliùs miracula patraret; quod & præstitit Bernardus etsi mortuus.

Calendaria Ordinis. Seguinus.

Eodem die in Hispania Cœnobio Vallis-Ecclesiarum sanctus Bernardus Monachus, qui ad tantum meritorum culmen attigit, ut non solùm virtutibus clarus, sed & miraculis insignis, dicitur aliquando vasti fluminis vados sicco vestigio pertransisse. Non solùm autem vivens talia sanctitatis signa dedit, sed & post mortem pluribus adhuc fulgens, magnum continuè populorum concursum ad suum tumulum adduxit; sepultus Candeledæ in Estremadura, ubi Ecclesiam sui nominis habet, coliturque ejus festum officio Ecclesiastico, & extant ejusdem Sancti miracula quam plurima ibidem scripta.

Antuerpiæ piæ memoriæ moritur Petrus Pot incliti Cœnobii sancti Salvatoris Antuerpiensis eximius fundator, qui pius admodum & cultui sancti Patris Bernardi deditus, non solùm in ejus honorem novum construxit Cœnobium, sed & mortua uxore humilis factus est ibidem Conversus, insolita humilitate præditus & eximia charitate in pauperes propensus; qui post decursum vitæ hujus mortalis studium ad emeritam vitæ æternæ coronam pervenit, ea die sacra beato Bernardo, ut quem in terris coluerat, in cælis protectorem & advocatum haberet.

DVODECIMO CALEND. SEPTEMBRIS.

Vigesimo primo Augusti.

IN Claravalle obiit beatus Bassus Monachus pacis amator dictus, & de primis S. Bernardi discipulis qui Claraevallensem Eremum coluerunt piisque operibus illustrarunt; sed praecipuè ipse Bassus, qui tam mansuetus erga omnes extitit, ut eum nullus unquam turbatum viderit. Caelestibus quoque illustrationibus assuetus, peculiares habere meruit in morte visiones sanctorum Angelorum, qui ex hac mortalium valle ejus purissimam animam detulerunt in caelos, audita eorundem harmonia; cujus nomen fuit hac die communi Sanctorum Hagiologio ascriptum. *Calendarium Ordinis.*

Villarii in Brabantia beatus Gobertus Monachus, qui olim Comes Asperimontis plurimis bellicis actibus claruit, Palaestinam à tyrannide Friderici Imperatoris vindicavit. Sed cùm sanctum Christi sepulchrum & S. Iacobi apud Compostellam pius invisisset, curarum saeculi pertaesus, ad tranquillum vitae monasticae statum apud Villarium se recepit, pretiosam secum gemmam ubique sibi asservans illibatam castitatem, inter tot discrimina & saeculi blandimenta conservatam. In quo quidem Monasterio soli Deo placere studens, tanto cum animi ardore divinis officiis intererat, ut cum Angelis non cum hominibus conversari videretur. Pluribus autem modis propriam carnem vexans & domans, beato fine quiescere meruit; post cujus mortem dicitur miraculis claruisse: habet verò propriam antiphonam ex Alnensi Coenobio mutuatam, sicut & elegans Epitaphium apud Henriqueum ad vigesimam Augusti. *Vita MM. Villarii.* Molanus *ad Vsuardum 20. Augusti.*

In Andegavia hac die sive praecedenti dedicatio Ecclesiae beatae Mariae de Chalocheyo sub Savigniaco ad annum millesimum ducentesimum vigesimum tertium facta.

VNDECIMO CALEND. SEPTEMBRIS.

Vigesimo secundo Augusti.

Vita S Bernardi. Robertus Rusca *in suo compendio. Vita ejus M M. à Petro Molismensi.* & alii.

IN Burgundia Cœnobio de Iuleyo Sanctimonialium olim Congregationis Molismensis nunc in grangiam redacto, depositio beatæ Humbelinæ sororis germanæ S. Patris Bernardi Abbatis Claraevallis, quæ licet à primis annis satis in pietate educata fuerit à matre, non tamen eam ita coluit ac sæculi vanitatem; undè tota sæculo addicta cùm aliquando fratres suos Monachos invisendi gratiâ & eos alloquendi causâ Claramvallem adiisset, adhuc muliebri veste nimis perornata, eidem sanctus Abbas Bernardus loqui noluit, nisi hac veste rejecta decentiorem modestioremque indueret. Vndè illicò corde compuncta & in aliam mutata, sanctorum fratrum, sed præcipuè Bernardi monitis & consiliis, solutiori vita relicta, religiosiorem subscepit; reversaque ad propria per biennium simul cum conjuge piam vitam instituit. Quo expleto de ejusdem conjugis consensu sæculo valedixit, relictis omnibus vanis & opibus quæ tam ardenter antea dilexerat: & secedens in vicinum Monasterium seu asceterium virginum Iuleyum dictum, Deo se suaque consecravit. Assumpto igitur sacro Religionis habitu & emissis solennibus votis, cæteris omnibus Sanctimonialibus in exemplum totius virtutis extitit, ibidem dies & noctes in jugi Psalmorum lectione & assidua Christi mortis meditatione in perpetuo Dei famulatu insumens, decumbensque paulisper humi per noctem, ut corporis fatigati vires pro necessitate repararet. Cilicium quod ad carnem gerebat, minimè deponebat; sicque omni probitate vitæ decora, post suscepta Ecclesiæ sacrosancta Sacramenta, astante S. P. Bernardo aliisque fratribus qui huc advenerant, piè & sanctè obdormivit in Domino inter hujus psalmi recitationem, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Sepultaque est post mortem in hoc Iuleii Prioratu, quem per multos annos tanquam Priorissa sanctè & piè

rexerat, ubi extant ejus ossa ante majus altare sub lapide superposito & parum elevato à terra. Ejus festum celebratur per omnia Congregationis Hispaniæ Cœnobia tanquam Patronæ Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis & Antesignanæ, etsi illius habitum nunquam tulerit sed Benedictinorum Molismi: Iuleii verò Monasterium his temporibus dirutum jacet, quibusdam ædificiis relictis simul cum sacello.

In Austria & diœcesi Pataviensi dedicatio Basilicæ B. Mariæ de Zunethel alio nomine de Claravalle dicta à Domino Conrado Diœcesano Episcopo peracta anno salutis millesimo centesimo quinquagesimo nono.

In Germania B. Heydenricus Abbas B. Mariæ de Zedelithz, qui ob præclara vitæ merita ad plures infulas & dignitates in diversis Monasteriis sublimatus, multis claruit virtutibus, & meruit post mortem inter Cistercienses viros illustres ascribi in Menologio. *Monumenta hujus loci.* Bruschius *in Catalogo Abbatum.*

DECIMO CALEND. SEPTEMBRIS.

Vigesimo tertio Augusti.

Populeti in Catalonia beatus Bernardus Monachus, qui regio sanguine natus & Regis Carletensis filius, ac sub Zeno Rege Saraceno in Hispania aulicus & tunc Amethe nominatus, missus est in Cataloniam ab eodem Rege Legatus. Quò quasi per miraculum adveniens, Populeti Monachorum conversatione & colloquio corde compunctus & conversus, abjuratis moribus sectæ Mahumetanæ, aqua baptismali ablutus est, & orthodoxæ fidei ac religionis rudimentis imbutus, Grimoaldi Populeti Abbatis cura, emissisque solennibus votis, ibidem factus est Monachus, nec ampliùs post Legationem ad Zenum infidelem Regem reversus est: cumque ibi per plures annos piè & religiosè vixisset, pro rerum experientia ejusdem Cœnobii Cellerarius institutus est. Quod quidem officium sibi ex obedientia injunctum benè exercuit, & obiit largus & beneficus in ege- Vita S. Bern. Berthet *in Chronicis Hispaniæ.* Manriqueus *ex Chartis Populeti.*

nos factus; ſicque in fide & religione confirmatus, obtenta licentia ab Abbate Hugone, patriam ſuam adiit, ut ſuorum parentum ſaluti conſuleret. Ad fratrem autem Carteтenſem Regulum hac de re iter fecit, apud quem aliquãdiu moratus, ſorores ſuas Zaidam & Zoraidam ad fidem ſuis monitis adduxit, aqua baptiſmali eaſdem luſtrans, mutatis earundem nominibus ethnicis & paganis, in alia ſanctiora *Mariæ* & *Gratiæ*. Quæ omnia reſciens ejus frater Alemanzorius Chriſtianis jam infenſus, pro fidei conſtantia & defenſione eundem Bernardum immaniter trucidari juſſit, ſicut & ſorores Mariam & Gratiam jam ſuſcepto religionis velamine, quæ pari ſupplicio & pari ex cauſa necatæ ſunt, martyrum coronas accepturæ in cælo; quorum quidem omnium feſtivitas nunc temporis Alziræ celebratur & tanquam præcipui loci Patroni coluntur.

Albertus Krantzius. *Carta Cœnobii Vualdſaſſi.*

In Germania venerabilis Ioannes Valdſaſſenſis Abbas, vir in arduis negotiis ſolers; in ſpiritualibus expertus; ſummis Pontificibus pro tempore exiſtentibus & Principibus ſæcularibus propter pietatem carus, ut ex Epiſtola Henrici Imperatoris hujus nominis VII. ad eum tranſmiſſa & ab Henriqueo relata conſtat; de quo quidem Abbate agit idem author in Menologio ad hanc diem.

NONO CALEND. SEPTEMBRIS.

Vigeſimo quarto Auguſti.

IN Italia Cœnobio ſancti Bartholomæi Ordinis Ciſtercienſis & Lombardicæ ſeu S. Bernardi Congregationis feſtivitas ejuſdem Apoſtoli, ſicut & per totum Ordinem inſtar feſtivitatum majoris ſolennitatis.

Epitaphium ejus in dicto Collegio.

Pariſiis in Collegio Bernarditarum moritur piæ memoriæ Reverendus admodum Pater Domnus *Stephanus Maugier* Charmeyæ Abbas, qui ſuſcepto Ordinis habitu à primis pubertatis annis apud Eleemoſinam ſeu parvum Ciſtercium Carnotenſis agri Cœnobium, Pariſios miſſus eſt ut in Collegio Ordinis ibidem ſtudiis vacaret, quod &

feliciter & salubriter effecit. Pietatem enim & virtutem cum doctrina hausit. Baccalaureatus autem gradu decoratus, cùm Ordinem Cisterciensem quem erat professus ob totam ferè per universum Ordinem] disciplinam collapsam repere conspiceret, divino instinctu afflatus, primus omnium in Gallia sanctam morum reformationem & antiquæ illius conversationis sanctorum Patrum Cisterciensium restaurationem, omnibus penè desperantibus & proposito reformationis reluctantibus, est amplexus, & diù in strictiori Regulæ observantia vitæque austeritate perseverans, non solùm Charmeyæ Cœnobium, cui propter zelum præfectus est, in temporalibus & spiritualibus reparavit, sed & toti Ordini periclitanti subvenit, plura alia Cœnobia ad eandem morum reformationem suscipiens, & plures ad suam vitæ austeritatem subeundam suo exemplo provocans. Multis autem virtutibus clarus, in sufferendis probris & objurgationibus extitit patiens; in pauperibus sublevandis, promptus & largus; in hospitibus suscipiendis, hilaris; & in piis orationibus seu meditationibus fervens, ac tandem laboribus & vitæ severitate potiùs quàm senio fractus, dum Vicarii Generalis & Superioris in strictioris observantiæ Monachos vices ageret, piè & sanctè vitam clausit Parisiis in Bernarditarum Collegio, ubi sepultus jacet ante Presbyterii Ecclesiæ gradus & cancellos sub lapide superposito cum nominis sui inscriptione, corde translato in Charmeyæ Cœnobium. *Vita M.M. in Rubra-valle.*

In Belgio Cœnobio de Nazareth prope Liram beatus Bartholomæus Conversus, qui primò ducta uxore, plures ex ea liberos habuit, quos omnes ad pietatem formavit & Deo sacravit. Vxore verò mortua, tria Cœnobia Sanctimonialium condidit, Vallem-Floridam, Rameyam & Vallem-Virginum, ubi suscepto Conversorum habitu, innocentissimam vitam duxit, & futuræ suæ beatitudinis ac suorum liberorum revelatione habita, piè obiit. Gilemannus *in Hagiologio Belgii.* Arnoldus de Raisse *29. Iulii.*



OCTAVO CALEND. SEPTEMBRIS.

Vigesimo quinto Augusti.

Monumenta domûs.

APud Regalem-montem Franciæ Cœnobium festivitas sancti Ludovici IX. Francorum Regis & incliti hujus Cœnobii fundatoris ac dotatoris præcipui, cujus quidem Regis adhuc ibi extant oratorium & ejus filiorum mausceola, olimque pretiosè ejusdem servabatur Sancti scapula.

Monumenta domûs.

Apud Malodunum Cœnobium Sanctimonialium festivitas ejusdem sancti Regis Ludovici præcipui illius loci fundatoris & dotatoris cum matre sua Blancha Regina, asservaturque adhuc ejusdem Regis flagellum in pixide eburnea, quo ad corporis membra torquenda utebatur; visitur & ibidem domus seu castrum illius perantiquum.

Monumenta domûs.

Denique apud Lilium ejusdem Ordinis Cœnobium Sanctimonialium colitur memoria ejusdem sancti Regis loci dotatoris cum matre sua Blancha Regina, proprioque celebratur officio sicut & in omnibus Monasteriis Regiæ fundationis.

Vbique etiam per Ordinem celebre est festum ejusdem sancti Regis sub duplici sacro.

SEPTIMO CALEND. SEPTEMBRIS.

Vigesimo sexto Augusti.

Monumenta domûs. Butzius *in Historia Abbatum Dunensium.*

APud Dunas in Belgio obiit piæ memoriæ Balduinus Monachus, qui moribus & vitæ sanctimonia nobilis ac pro merito sacro diaconatûs ordine decoratus, purissimum Deo famulatum exhibuit: mortuusque post data nonnulla sanctitatis signa ad annum millesimum ducentesimum septuagesimum sextum suavem vitæ suæ odorem posteris transmisit; memoratus in historia Abbatum Dunensium ab Adriano Butzio edita vbi *Balduinus de via* nominatur.

Augustæ

Augustæ Vindelicorum Sibotus Episcopus, qui postquam diu suis piè præfuisset, ex potentissimo Principe & magnæ urbis Antistite, factus est humilis Monachus in Cœnobio de Keikelhain, ubi in magna sanctitate vitæ cursum finivit, etsi sint multi qui ipsum in expeditione terræ sanctæ & bello sacro mortuum dicant. De eo Menologium ad hanc diem.

Arnoldus de Vvion in ligno vitæ. Seguinus in Catalogo Episcoporum qui relictis dignitatibus Institutum Cisterciense professi sunt.

In Vasconia & diœcesi Burdegalensi dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ de Faesia sub Cadunii filiatione.

SEXTO CALEND. SEPTEMBRIS.

Vigesimo septimo Augusti.

IN Burgundia Claravallis Cœnobio beatus Gerardus Sacrista, qui ab incunabulis innocentiæ vitæ deditus, carnem suam speciali Dei dono ab omni libidinis contagione illibatam toto vitæ suæ cursu conservavit. Factus verò Monachus, puriorem adhuc vitam sanctioremque est æmulatus. Sacrario hujus Ecclesiæ præfectus, sacra vasa nonnisi piè & sanctè pertractavit; cùmque, jam austeritate vitæ fractus, in lethalem morbum incidisset, quod ex pietate sancta peragere solebat, infirmus ut potuit adimplere & exequi non destitit: imò ferventior factus tanquam si nihil adhuc dignum æternæ vitæ egisset, insolitæ virtutis signa adhuc majora præbuit. Tandem intentus cogitatione in Christi Domini passionem seu crucem & mente eidem affixus, in ipso spirituali exercitio purissimam animam exhalavit; meruitque post mortem communi virorum illustrium Ordinis Calendario hac die ascribi.

Liber virorum illustrium dist. 3. cap. 12. Barnabas de montalbo tom. 1. Chronic. lib. 2.

Eadem die octava sancti Patris Bernardi per totum Ordinem celebranda.



QVINTO CALEND. SEPTEMBRIS.

Vigesimo octavo Augusti.

Chronicon Villariense. Arnoldus de Raisse *in Auctuario ad Molanum.*

IN Brabantia & Cœnobio Villariensi beatus Ioannes Monachus cognomento Præcursor, qui post professionem monasticam Sacristæ officio deputatus, decenti cum honore vasa sacra & sacras vestes ac cætera Ecclesiæ ornamenta tractavit. Cúmque vacabat in sacristia ne aliundè otio torperet, in actibus Sanctorum sive in aliis divini officii codicibus conscribendis aut legendis tempus insumebat. Factus autem Conversorum fratrum magister & moderator, eosdem quantum potuit piis informavit institutis; Pius etiam in beatæ Virginis cultum quicquid ille pietatis & honoris eidem exhibere poterat, reddebat. Hac de re tantæ Virginis psalterium olim á S. Bonaventura editum quotidie persolvens, jam senex factus & Novitiorum rector institutus, huic novellæ religionis plantationi curam suam dedit, majoris sanctitatis desiderio accendens in eorum mentibus, edito hac de re libro probi & Monachi disciplinati gestus explanante. Demùm pridie Palmarum audita ad Vesperas Antiphona, *Clarifica me Pater, &c.* ita effusus est in lacrymas, ut ab ipso tempore totus ruens in fletus, semper exilii hujus vitæ memor extiterit. Paulatim autem viribus deficientibus ac postea lapide è quodam pariete á dæmone excusso, percussus, Confessoris & Martyris palmam referre meruit; ascriptus in Menologio Henriquei ad hanc diem.

Vincentius Blasco *in Historia Aragoniæ lib. 4. cap. 4.*

In Hispania moritur piæ memoriæ Malachias Monasterii Hortæ Monachus, qui pro vitæ merito primò Abbas Armenteræ in Gallæcia factus, deindè sanctæ Mariæ de Rueda in Aragonia, ac tandem Vticensis & posteà Iacensis Episcopus, ubique verbo & exemplo subditis præluxit. Redditus suos etsi tenues magna ex parte pauperibus erogabat; Ecclesiis suis Rectores idoneos præficiebat; ac sui ovilis saluti & utilitati consulebat, mortuus post sexa-

ginta quatuor annos ſanctè & piè in regimine tranſactos.

Ipſo die feſtum ſancti Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis & Eccleſiæ Doctoris.

QVARTO CALEND. SEPTEMBRIS.

Vigeſimo nono Auguſti.

FEſtum decollationis ſancti Ioannis Baptiſtæ ſub duplici officio celebrandum; cujus quidem S. Præcurſoris pars capitis religioſè apud Vallencuriam, in finibus Picardiæ Sanctimonialium Monaſterium, illuc à quibuſdam ſacerdotibus & peregrinis delata conſervatur.

In Germania Cœnobioque Hemmerodenſi B. Meynerus Prior, vir magnæ integritatis, qui ex Canonico ſancti Simeonis Trevirenſis, ſancti Patris Bernardi monitis Ciſtercienſem habitum induit, multaque probitate præditus ad diverſa promotus eſt munia; Cellerarii primò, poſteà Novitiorum Magiſtri, ac tandem Prioris. In quibus omnibus functionibus, nunquam à ſolitis pietatis penſis avocatus & diſtractus, Deo ſemper adhæſit: imò curis externis aliquando detentus, adhuc per diem pſalterium bis ex integro perſolvebat. Ad extrema autem per morbum deductus, & in ecſtaſi raptus, miranda miraque de Sanctorum gloria & beatitudine, quam in ſpiritu jam præguſtaverat, retulit; ac tandem inter ipſum cordis jubilum, eam quam conſpexerat gloriam eſt conſequutus, poſtquàm in Ordine pluſquàm triginta annis in magna obſervantia perſeveraſſet; aſcriptus hac die communi Ordinis Calendario. *Vita MS. ibidem. Cæſarius lib. 11. cap. 2.*

In Germania Rapatho Comes Abenbergenſis, qui in Cœnobio Fontis-ſalutis à ſe & à ſuis constructo, factus eſt primò Monachus, poſteà verò Abbas. In qua dignitate verbo & exemplo claruit, ac tandem relicta ſanctitatis opinione, carnem exuit, annotatus inter Beatos Ordinis. *Monumenta domus. Bruſchius in Chronologia.*

TERTIO CALEND. SEPTEMBRIS.

Trigesimo Augusti.

Barnabas de montalbo *tom. 1. Chronic. lib. 2.*

IN Gallecia Hispaniarum Provincia beatus Ero Armentariæ Abbas vir magnæ sanctitatis, cui nec dies nec noctes videbantur sufficere ad orationem; totus enim in interioribus positus, & in hac peregrinatione solo corpore constitutus, mente ac cogitatione in æterna patria conversari censebatur. Clarus autem multis miraculis, sancto fine quievit, pro vitæ suæ merito hac die ascriptus in Calendario Sanctorum Ordinis.

Iuxta Meldas apud Pontem-Dominarum & in Pictavia inferiori apud Brollium-grolandi sicut & in Cœnobio de Insula apud Lotharingos commemoratio S. Fiacrii Confessoris; cujus ibidem reliquiæ quædam religiosè asservantur, & à peregrinis ob miracula coluntur. Indutus olim fuit beatus Fiacrius Cistercii habitu, ut in antiquis ejusdem Sancti patet iconibus.

PRIDIE CALEND. SEPTEMBRIS.

Trigesimo primo Augusti.

IN Bria & diœcesi Senonensi ac Cœnobio beatæ Mariæ de Ioyaco non longè à Pruvino oppido Dedicatio Ecclesiæ ejusdem Cœnobii, in honorem sanctorum martyrum Saviniani & Potentiani ejusdem regionis Apostolorum, à Domino Archiepiscopo facta.

Miræus *in Chron. Cist.* Missale antiquum Ordinis.

Signiaci in Campania beatus Arnulphus Abbas sancti Nicasii Rhemensis Benedictini Ordinis, qui cum Cisterciensibus conversans, eorumdem exemplo attractus ad strictiorem observantiam, abdicata sua dignitate Abbatiali & nigro habitu relicto, candidum assumpsit, factus apud Si-

gniacum Monachus cum beatis Abbatibus Gerardo Floriensi, & Guillelmo sancti Theodorici. Vbi tanta vitæ sanctimonia claruit, ut propter pia opera post mortem habitus fuerit Sanctus, ejusque corpus è terra effossum, publico cultui post mortem est expositum, intra Ecclesiæ murum non longè à Claustri foribus, cum sanctis corporibus beatorum Bernardi Abbatis Igniaci, & duorum aliorum supradictorum Gerardi & Guillelmi, ascriptusque manet Arnulphus in Menologio ad hujus mensis ultimam diem.

In Belgio venerabilis Gertrudis Abbatissa Monasterii de Biloca, quæ à juvenilibus annis sæculo valedicens, habitum monasticum suscepit in dicto Cœnobio; ubi post piam conversationem electa in Abbatissam tantam vitæ probitatem suis exhibuit, ut omnibus in exemplum cujusvis virtutis fuerit. Carne verò soluta, creditur angelicis choris associata; annotata inter Ordinis filias illustres ad hanc diem.

Monumenta domûs.
Sanderus *in Hagiologio.*

In Cœnobio Montis-Salvatoris pia Gertrudis Monialis, quæ anno ætatis suæ nono vestem Ordinis suscepit & innocentissimam vitam ibi duxit. Tandem in ipso novitiatus anno consummata in brevi ne malitia mutaret intellectum ejus, purissimam exhalavit animam: visaque est post obitum gloriosa à quadam Sanctimoniali Margareta dicta, ei dum viveret familiari.

Cæsarius *lib. 12. miraculorum cap. 36.*





MENSIS SEPTEMBRIS.

CALENDIS SEPTEMBRIS.

Primo Septembris.



VRELIIS in urbis suburbiis & Prioratu sancti Lupi Sanctimonialium Ordinis nunc Abbatia, festivitas S. Lupi quondam Archiepiscopi Senonensis ibidem nati, paterna domo posteà in Cœnobium commutata. Ejusdem etiam Sancti festivitas in omnibus Cœnobiis diœcesis Senonensis.

Seguinus *in compendio virorum &c. cap. 17.* Exordium Cist. *lib. 5. cap. 34.*

In Dania beatus Theodardus Caræ-Silvæ Monachus, qui sanctorum Patrum Ordinis gesta pressis vestigiis æmulatus, egregiis virtutibus Claustrum illud decoravit. Prævisa autem mortis suæ hora per oraculum edoctus, in ipso agone cælestes spiritus sibi familiares suæ gloriæ socios habuit, ascriptus Menologio ad hanc diem.

Miræus *lib. 5. originum monast.*

In Hispania venerabilis Ægidius primus de Castraneda Abbas in diœcesi Asturicensi vir mirandæ integritatis, qui diù ibidem insolita sanctitate floruit: abdicata tamen successu temporis dignitate, quasi emeritus miles vitam privatam & anachoreticam egit: ac tandem felici morte consumptus, meruit inter Sanctos Ordinis Cisterciensis referri ab Henriqueo ad primam Septembris.

In Ducatu Barrensi Dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ de Insula sub sancti Benedicti de Bosco filiatione.

QVARTO NONAS SEPTEMBRIS.

Secundo Septembris.

LOvanii in Belgio passio beatæ Margaritæ Virginis & Cistercienfis Ordinis neophitæ insignis. Cùm enim habitum Ordinis suscipiendi propositum haberet & in procinctu esset itineris, & ad Villarium usq; Brabantiæ Cœnobium hac de re pergeret, & à prædonibus hominibus per viam reperta & ad peccatum sollicita esset, cum ipsa totis viribus nefandæ eorum libidini resisteret, post vim perpessam immaniter est occisa. Ejus autem corpus insepultum post tam truculentam necem & in aquas projectum à piscibus est præservatum, Lovaniumque contra undarum naturalem fluxum deductum ministerio Angelorum modulamine resonantium in sacello ad hoc constructo, decênti cum honore tumulatum est, continuis fulgens miraculis.

Cæsarius *lib. 6. cap. 34.* Molanus *ad 2. Septemb.*

In Hispania Clemens Gymenez Vallis-paradisi Monachus & regularis observantiæ sedulus æmulator; qui virtutibus clarus, dæmonem habuit invidum & infensum, utpotè quem malignis suggestionibus quamplurimis vexavit. Clamanti tamen præsto fuit Beata Virgo quam speciali semper cultu coluerat, paulóque ante mortem astantibus fratribus in has voces erupisse fertur, *vicimus, frater; vicimus, frater.*

Thesaurus perfectionis monast. cap. 63. Menologium *hac die.*

TERTIO NONAS SEPTEMBRIS.

Tertio Septembris.

IN Germania & Cœnobio Sanctimonialium de Hoüenez floruit beata Euphemia virgo Sanctimonialis, quæ adhuc juvencula Beatæ Virginis famulatui addicta, ab eadem me-

Cæsarius *lib. 7. miraculorum cap. 44.* Calendarium

Gallicum *hac die.*
Nota in vitam B. Josephi Premonstratensis in Germania.

ruit plurimis gratiarum carismatibus illustrari: factaque grandior relicto sæculo, virginitatem suam suaque omnia Deo consecravit, suscepto velo in ipso virginis partenone; ubi sub initio variis à dæmone exagitata formis & illusionibus, ut à sancto proposito ipsa resiliret, fortis & constans in omnibus extitit. Emissis verò solennibus votis, omni virtutum fulgore coruscavit; migransque in ipsa mentis puritate, immaculatum sibi sponsum Christum Dominum perperpetuò comparavit, hac die Septembris in communi illustrium Ordinis Menologio ascripta.

PRIDIE NONAS SEPTEMBRIS.

Quarto Septembris.

Vita sancti Roberti Molismensis.

IN Campania desponsatio seu adoptio spiritualis facta à Beata Virgine de beato Roberto adhuc in utero matris incluso, & futuro magnæ sanctitatis viro ac Ordinis Cisterciensis Institutore, ipsa Beata Virgine per somnium in visionem Ermengardi matri Roberti apparente, & ipse annulum porrigente ut Robertum in suum sibi adoptaret; cujus quidem apparitionis memor Ordo Cisterciensis tanti beneficii memoriam recolit ipsa die in Calendario Sanctorum Ordinis.

Ioannes Heremita *in vita sancti Bernardi cap. 40.*

In Gallia beatus Simon olim Abbas Caziaci Ordinis Benedictini ac posteà Claræ vallis Monachus post mortem S. Patris Bernardi, qui vivens nullo modo ejus cessioni consentire voluerat ob utilitatem multorum sub ejus regimine viventium. Soli autem Deo vacans apud Claramvallem, cælestibus spiritibus visitari meruit. Factusque angelicis choris familiaris in hac vita, non mirum si in æterna credatur ipsis associatus uti ad hanc diem innuit Henriqueus.

NONIS

NONIS SEPTEMBRIS.

Quinto Septembris.

Apud Leodium tranſlatio corporis beatæ Margaretæ Ordinis Neophitæ è Lovanienſi urbe Leodium facta, non ſine ſignis ſanctitatis & aliis miraculis quibus aſſiduè ſacrum illud corpus coruſcavit; referturque illa tranſlatio in Calendario Ordinis, meritoque illius tranſlationis memoria recolitur. Molanus *in na¦talibus Belgii.*

In Germania venerabilis Fridericus Valdſaſſi Monachus, qui ob pietatem Valdſaſſi & Ebraci Abbas ſucceſſivè factus & hinc Epiſcopus Ayſtetenſis aſſumptus, ubique virtute floruit, mortuus in ſenectute bona ad annum Domini milleſimum trecenteſimum trigeſimum quartum, aſcriptus inter Ordinis viros illuſtres in Menologio ad diem quartam hujus menſis. *Monumenta Cœnobii Ebraci.* Seguinus, &c.

Item in Germania Godefridus Sconaugiæ Abbas, qui totus in Deum abſorptus, & rebus divinis intentus, ac ſpiritu prophetico clarus, cuidam Converſo tepeſcenti, futurum caſum prædixit; mortuuſque ac beato fine conſumptus, ſuarum virtutum præconem habuit Henriqueum & alios Ordinis authores. *Collatio Patrum Cisterciensium in loco sancti Bernardi.*

OCTAVO IDVS SEPTEMBRIS.

Sexto Septembris.

IN Germania & Cœnobio Hemmerodenſi beatus Michael Monachus eximiæ pietatis, qui poſtquàm diù jejuniis, diſciplinis ſeu verberibus & aliis vitæ monaſticæ pœnalitatibus propria membra domaſſet, ſilentioque & cujuſvis virtutis exercitio mentem informaſſet, piiſſimam exhalavit animam, ut eandem, quam ſibi pluribus piis operibus gloriam in corpore comparaverat, adipiſci valeret. *Monumenta Hemmerodes.* Cæſarius *lib. 11. cap. 3.*

Eumque omni gloriæ ſplendore fulgentem conſpicere meruit beatus Iſambardus inſignis hujus loci Cœnobita Angelis ipſis familiaris. Annotatus eſt autem Michaël in Calendario Sanctorum Ordinis ad hanc diem ſextam Septembris.

Chenurius *in Chronologia. Liber ſepulchrorum Claravallis.*

In Galliis venerabilis Ioannes Epiſcopus primò Pictavienſis, poſteà Narbonenſis & Lugdunenſis Archiepiſcopus, qui ſæculi curarum pertæſus, præſulatum depoſuit & in Claramvallem ſeceſſit; ubi tanta vitæ probitate floruit reliquis vitæ ſuæ annis, ut poſt mortem inter viros hujus loci claros annumeratus fuerit, & Menologio Henriquei aſcriptus ad hanc diem.

SEPTIMO IDVS SEPTEMBRIS.

Septimo. Septembris.

Dedicatio inſignis Eccleſiæ Morimundenſis in Gallia ſub Abbate Conone facta; cujus quidem dedicationis anniverſarium primò in diem undecimam Septembris celebratum eſt de conſenſu Epiſcopi qui eam baſilicam conſecrarat, ob diem ſeptimum ejuſdem menſis impeditam per Abbates Ordinis ad Capitulum generale hac die Morimundum appellentes: poſteà verò in priorem ſeu hanc diem tranſlatum, tranſpoſito generali Capitulo in aliud tempus.

Arnoldus Vrion *in Martyrologio Monaſtico 4. Febr.* Guido Clareualis *in ſua Hiſtoria Ordinis.*

In Germania & Cœnobio Heyſterbacenſi beatus Chriſtianus Monachus, vir integerrimæ vitæ & pietatis eximiæ, qui à juvenilibus annis ad clauſtrum converſus, ſanctâ vitæ converſatione angelicis ſpiritibus factus eſt familiaris, variaque agitatus ægritudine eandem diù patienti animo ſuſtulit, ac tandem bonorum operum manipulo ditatus, præſentem hanc vitam exuit, ut ſibi immarceſſibilem gloriæ coronam in cælis conſervatam acquireret, hac die vita functus ut ex Calendario Ordinis ſuſpicari licet.

S. Bernardus *in ſermone de illius Laudibus.*

In Gallia beatus Humbertus Caſæ-Dei Monachus, qui primò Benedictinus, poſteà Ciſtercienſis fuit; pro ſtrictiori enim obſervantia Clara-vallenſibus ſeſe aggregavit ſub

ſancto P. Bernardo Abbate, ubi multa ſuæ ſanctitatis ſpecimina dedit. Prior enim ibidem factus ac deinde Igniaco præfectus Abbas & electus, nonniſi invitus præfuit; undè abdicata præfectura, in Claramvallem rediit, & ibi privatam ac piam vitam egit, ac tandem ſancto fine quievit.

SEXTO IDUS SEPTEMBRIS.

Octavo Septembris.

Nativitas Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſolenniter per totum Ordinem cum publica ſupplicatione & ſtatione per Clauſtrum, concione in Capitulo & octavis ſolennibus celebranda.

Apud Cadunium in Petragorio & diœceſi Sarlatenſi fit publica oſtenſio ſanctiſſimi ſudarii Chriſti Domini ab anno reparatæ ſalutis milleſimo centeſimo decimo octavo aut circiter ibidem piè aſſervati, variis miraculis approbati, pluribuſque gratiis & privilegiis tum à ſummis Pontificibus, tum à Regibus Chriſtianis diverſis temporibus & occaſionibus decorati. *Monumenta domûs.*

Apud Valcellas in Belgio beatus Vualterus de Beaumont hujus loci inſignis Aſceta, qui pro claræ vitæ meritis, inſertus eſt poſt obitum ſeriei virorum illuſtrium Ordinis & in Calendario hac die aſcriptus. *Monumenta domûs.*

In Hiſpania venerandus Alphonſus ſanctæ Mariæ de Oya Converſus, qui pietate illuſtris, prout longè ante mortem peroptaverat, Claramvallem adiens, de conſenſu Superiorum ibidem remanſit, & poſt piam vitam, ſanctè obiit eo in loco quem S. P. Bernardus priùs ſuis ſanctis operibus ſanctificaverat, & cujus fidelis imitator in animi demiſſione & humili converſatione fuerat Alphonſus, aſcriptus Menologio Henriquei ad hanc diem. *Seguinus in Catalogo SS. Ordinis.*

QVINTO IDVS SEPTEMBRIS.

Nono Septembris.

Calendarium SS. Ordinis.

ROmæ beatus Silvanus Monachus Clarævallis, qui dicitur aſcriptus albo Sanctorum Eccleſiæ, literis hac de re datis à Cæleſtino ſummo Pontifice, memoratur in Hagiologio Sanctorum Ordinis ad decimam octavam Februarii.

Carolus à S. Maria *in Catalogo virorum Fulienſium.*

Pariſiis pius obitus Guillelmi à ſancta Genoveſa Monachi Fulienſis, qui in ipſa urbe ortus & à ſancta Genoveſa nominatus in ſuſceptione habitus monaſtici, concionibus & colloquiis peculiaribus multos pro zelo ad pietatem pellexit. Quarum quidem converſionum penitùs immemor, ſe tanquam ſervum inutilem deflebat, quamvis aliundè potens in opere & ſermone conciones ad populum, non in Eccleſiarum pulpitis duntaxat, ſed & in cœmeteriis, agris, & aliis locis publicis & plateis ob innumeram populi multitudinem occurrentem habere cogeretur, ſicque ſua doctrina multis Galliæ regionibus illuſtratis ſicut & Ordine Ciſtercienſi vitæ ſuæ probitate, hac die mortuus eſt in ſenectute bona anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto.

Bernardus de Brito *in ſuis Annalibus lib. 6. cap. 36.*

In Luſitania beata Violantia à Caſtro Abbatiſſa de Arouca, quæ indefeſſo ſtudio virtutis ſemitam percurrens, de die in diem ſanctior illuxit, piaque in Chriſti dolores, quos mente perpetuò revolvebat, mortua eſt felici fine, & ad tumulum miraculis pluribus claruit odore ſuavi ex eo emanante.



QVARTO IDVS SEPTEMBRIS.

Decimo Septembris.

LOcedii in Italia ſub filiatione Firmitatis beatus Oglerus hujus loci Abbas, qui S. P. Bernardi fama motus & corde compunctus, ſæculo valedixit, ut ibidem apud Locedium fieret Monachus. In quo quidem Cœnobio tanta vitæ ſanctimonia floruit, ut Abbas electus fuerit communi Monachorum ſuffragio. In qua dignitate multis dotibus & virtutibus refulgens, potius exemplo quàm verbo profuiſſe dicitur, ſilentio, vigiliis, jejuniis & rerum cæleſtium ſpeculationi intentus. Poſt quæ omnia diſſolutionis ſuæ diem appetens, ut Deo per gloriam perpetuò adhæreret, ſancto fine quievit, non ſine relicta apud poſteros ſanctitatis opinione. Cujus quidem vita extat manuſcripta in quodam Sanctimonialium Ordinis aſceterio, non longè à Locedio ut advertit olim Ioannes Ciſtercii Abbas in ſua profectione Italica ad annum milleſimum quadringenteſimum octuageſimum octavum aut circiter: aſcriptuſque legitur in Calendario Ordinis hac die Septembris.

Seguinus *lib. 5. cap. 30.* Barnabas de mõtalbo *tom. 1. lib. 2. cap. 41.*

Apud Claramvallem venerabilis Serlo Savigniaci Abbas, qui chariſmata meliora æmulatus, totam ſuam Savigniacenſem Congregationem Ordini aggregavit; dignitatiſque ſuæ impatiens, ſtuduit onus ſuum deponere. Sed reſiſtente S. P. Bernardo ob regiminis utilitatem, poſt mortem S. Patris illicò ceſſit & Claramvallem ſeſe recepit; ubi humilis Monachus vixit & obiit in ſenectute bona, ſepultus in Clauſtro Claravallis cum quibuſdam illuſtribus viris, annotatus in Menologio ad hanc diem.

Liber ſepulchrorum Claravallis.

TERTIO IDVS SEPTEMBRIS.

Vndecimo Septembris.

Bernardus Britto *Historia tom. 1. lib. 2. cap. 5.*

IN Lusitania & Cœnobio sancti Ioannis de Tarouca beatus Boëmundus S. P. Bernardi discipulus & hujus loci primus Abbas, qui illuc in Portu-Galliam è Gallia ab eodem S. P. Bernardo pro dilatando Ordine transmissus, loco sibi priùs divinitùs demonstrato, Cœnobium novum multo cum labore construxit; pluresque aggregatos ibi discipulos disciplinis monasticis informavit, ac tandem propagato feliciter Instituto Cisterciensi per has regiones, multis bonis & sanctis operibus celebris, obdormivit in Domino. Corpus autem ejus post mortem per dies duos quasi publico cultui & honori exhibitum, à multis peregrinis certatim ejus pedes deosculantibus, veneratum est, spirans ubique suavissimum odorem astantium naribus in suæ sanctitatis signum.

PRIDIE IDVS SEPTEMBRIS.

Duodecimo Septembris.

Vincentius Belloväcensis *Speculum hist. lib. 27. cap. 5.* Bernardus de Britto *tom. 1. lib. 5. cap. 5.*

IN Picardia Vrsicampi Cœnobio beatus Vvaleranus primus Abbas; qui nobili prosapia natus, bonos mores à juventute induit. Audita verò fama sanctitatis sancti Bernardi Clarævallis, ibidem factus est Monachus, studens pressis vestigiis ipsum Patrem æmulari. Sicque jam magna virtute refulgens, Simone Noviodunensi Antistite Monachorum Clarævallensium Coloniam postulante pro novo Vrsicampi Cœnobio cum pluribus aliis missus est illuc beatus Vvaleranus Abbas; ubi fama suæ probitatis ubique divulgata, quamplures discipulos aggregavit. Crescente autem Cœnobitarum numero, plures ad nova fundanda Cœnobia transmittere compulsus est; Nam Mortuum-mare in Nor-

mania, Bellum-pratum & Frigidum-montem in Picardia piis & ſanctis Monachis replevit: quibus omnibus toto vitæ ſuæ decurſu monitis & exemplis præfuit; & ſic omni ſanctitatis ſplendore conſpicuus, relictis ejuſdem pietatis hæredibus, ſpecialem ſibi in ſucceſſorem Hervæum, nobilem juvenem & bonis moribus imbutum delegit ſeu propoſuit eligendum. Mortuus autem in ſenectute bona, glorioſus apparuit Hervæo diſcipulo, propriam gloriam eidem manifeſtans, aſcriptuſque eſt meritò Catalogo Sanctorum Ordinis hacdie duodecima Septembris.

In Gallæcia Dominicus Monaſterii Nucalenſis Monachus dictus à puero Ieſu quòd ipſe puerum Ieſum unicè diligeret; qui antequàm ad vigilias ex officio vacarent fratres, verberibus uſque ad ſanguinis effuſionem corpus caſtigabat; ſuis precibus animas in purgatorii locis retentas, juvabat; ac multis ægris ſanitatem reſtituebat, uti experta eſt Comitiſſa de Rivadavia ad mortem periclitans. Totus tandem Dèo intentus, & multis virtutibus clarus, obiit anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto. *Theſaurus perfectionis Monaſtica.*

IDIBUS SEPTEMBRIS.

Decimo tertio Septembris.

MOrerolæ in Hiſpania beatus Petrus Monachus, qui Beatæ Virginis cultui deditus, eandem quo potuit affectu honoravit. Sacrario Eccleſiæ deputatus, ſacras veſtes & ſacra ornamenta cum reverentia & omnimoda decentia pertractavit. Sacris autem ordinibus & ſacerdotio pro merito initiatus, non ſine magna cordis compunctione ac pietatis ſenſu ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium libabat, & mortuus poſt plura pia opera, viſus eſt Sanctorum conſortio aggregatus poſt obitum. Arbertus Abbas *lib. Sanctorum Ciſterc. cap. 2.*

In Hiſpania beata Maria Monialis de Arayo Palentinæ diœceſis olim in ſæculo nupta, ſed ſuſcepta veſte monaſtica, poſt innocentiſſimam vitam migravit ad Chriſtum; ſe- Seguinus *lib. 5. Sanct. Ciſt. cap. 89. &c.* Henriquez *in ſuo Menologio.*

pulta in Capitulo ejusdem Cœnobii, & annotata inter Ordinis Sanctas à Seguino & Henriqueo.

Helinandus *in Chronicis.* Vincentius Bellovacensis *in spec. lib. 29. cap. 6.* & alii.

In Anglia beatus Guntelinus Monachus, qui aliquando in ecstasim raptus, cælestis vitæ gaudia prægustavit, variis visionibus & illustrationibus. Ierosolymitanam tamen peregrinationem meditans in expiationem suorum delictorum, monitus est à Beata Virgine de Cisterciensi veste induenda. In qua veste piè vixit & sanctè obiit, memoratus ab Helinando Monacho Frigidimontis propter eas quas habuit visiones, & ab Henriqueo in Menologio ad hanc diem.

DECIMO OCTAVO CAL. OCTOBRIS.

Decimo quarto Septembris.

Monumenta domus.

Apud Andegavos & Cœnobio beatæ Mariæ de Busseria festum Exaltationis sanctæ Crucis, cujus pars non exigua ibidem religiosè asservatur, & à peregrinis illuc undiquè confluentibus colitur, olim è Palæstina allata à nobili quodam viro & eidem Cœnobio concessa, quadam pia ad hoc fundatione facta, ut lumen ante ipsam ardere continuè posset.

Martyrologium Romanum 8. Maii. Baronius. Molanus, & alii.

In Comitatu Burgundiæ & Cœnobio Bellæ-vallis depositio sancti Petri Tarantasiensis Archiepiscopi vulgò *junioris* dicti, ad discrimen alterius Petri Tarantasiensis Archipræsulis ex Abbate Firmitatis; qui prior Petrus è christianis & nobilibus parentibus ortus in loco sancti Mauritii territorii Lugdunensis, piè educatus est cum fratribus Lamberto & Andræa: & literis humanioribus posteà traditus imbuendus, intra breve tempus doctor evasit. Factus autem adolescens, cùm nihil nisi vanum & inane in mundo conspiceret, cælesti lumine illustratus, sæculo valedixit, & habitum Monasticum in Bona-valle Viennensi Monasterio suscepit sub beato Ioanne Abbate. Cujus exemplum sequuti sunt fratres ejus Lambertus & Andræas, sicut & ejus pater Petrus, facti in eodem Cœnobio Monachi; ubi

ubi miros in virtute progressus Petrus filius faciens, ad varia officia post professionem promotus est: sicque in multis exercitatus & expertus, in Stamedium novum Losanæ diœcesis Cœnobiũ transmissus est Abbas. In qua dignitate nova luce fulgens, famam suæ virtutis in vicinas regiones imò & exteras transmisit, tum propter magnam quam habebat in Deum pietatem, tum ob suam in pauperes & egenos liberalitatem & misericordiam, tum denique propter insignia miracula quibus jam elucebat. Electus in Archiepiscopum Tarantasiensem, nonnisi invitus onus & dignitatem suscepit; audita enim sua electione, delituit in latebris, speluncis & antris. Repertus tamen & coactus in publicum prodire, electioni minimè adhuc voluit consentire, nisi priùs accessisset Superiorum jussus, imò & mandatum Patrum Capituli sui Ordinis generalis. Qua de re Legati urbis Tarantasiæ Capitulum generale adeuntes, quod petebant obtinuerunt; annuentibus enim pro eorum desiderio Patribus, compulsus est Petrus onus subire, urgente etiam ipsum S. Bernardo Abbate & literis & verbis. Quantis autem virtutibus in Archiepiscopatu claruerit, non facile dictu est. Nam primam sibi retinens Petrus observantiam Ordinis simul cum habitu, in exemplum virtutis omnibus cessit. Clerum jam deviantem in moribus à temporibus alterius Petri Archipræsulis, negligentiâ cujusdam Iesraëlis successoris, reparavit & reformavit. Templa diruta suæ diœcesis restauravit & ornavit. Hospitalitatem advenientibus peregrinis & pauperibus præbuit. Nosocomia & Xenodochia pro iisdem egenis diversa construxit. Concionibus suis & monitis devios à recta vitæ ratione, ad meliorem frugem reduxit. In Schismaticos homines & summo Pontifici rebelles, imò & in Imperatorem Fridericum, etsi aliundè amicissimum, pro schismate sævit, ipsum animosè & audacter arguendo; nec tamen Imperator, pro reverentia quam habebat in Sanctum, destitit eundem audire & venerari, quamvis persuasus à quibusdam pseudo-Episcopis, & præsertim Heriberto Archiepiscopo Bisuntino eundem Sanctum repellere ipsique malum inferre. Cúmque aliquando Heribertus ipse Chrisopolitanus Petro plures tendisset insidias, Divino fre-

tus præsidio, illæsus abiit. Cælesti autem ultione mulctato omnium Coriphæo, alii destiterunt; nec facilè prævaluerunt illi qui tantis miraculis fulgebat, ut ab omni populo quasi alius suscitatus Bernardus coleretur, propter frequentia quæ faciebat miracula. Cæci enim visum, surdi auditum, claudi gressum & alii languidi & ægri omnimodam recuperabant sanitatem. Quæquidem omnia prodigia Gallia ipsa conspicere meruit, dum ille ab Alexandro III. summo Pontifice missus ad Reges Galliæ & Angliæ pro pace inter eos reformanda, Parisios & alia oppida adjacentia, imò Cœnobia Pruliaci, Mortui-maris, Vallium-Cernaii Monachorum, Altæ-bruetiæ, Hederæ Sanctimonialium similibus signis & miraculis illustravit. Fontenetum quoque in reditu sicut & Buxeriam, cujus Ecclesiam sacravit, adauxit. Tandem pauperum pater factus, ubiq; omnes suos reditus in illis sublevandis & alendis insumpsit. Propriis vestibus quas exuebat eos induit, & propriis equis quibus vehebatur non pepercisset, nisi retentus ab Abbate Clarævallis Henrico fuisset, cùm eos divendere vellet ut inopibus subveniret. Relinquens aliquando propriam Ecclesiam & dignitatem ut in aliquo Ordinis Monasterio incognitus latitaret, deprehensus à suis vix potuit persuaderi, ut ad propriam sedem rediret. Tandem post illa omnia opera pietatis, humilitatis & charitatis, senio gravis anno suæ ætatis sexagesimo secundo & reparatæ salutis septuagesimo primo supra millesimum & centesimum, lecto decumbens in Cœnobio Bellævallis Comitatus Burgundiæ, susceptis sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis & Monachis ad virtutem adhortatis, obdormivit in Domino, sepultus retro majus altare ejusdem Ecclesiæ ante aram Beatæ Virginis sub tumba lapidea, ubi adhuc continuis claret miraculis, non solùm corporibus valetudinem, sed & mentibus sensum restituens. Etsi autem hac die Exaltationis sanctæ Crucis non Inventionis obierit, festum tamen ejus de mandato summi Pontificis in mensem Maïum translatum est.

Cæsarius lib. 1. miraculorum cap. 37.

Morimundi in Gallia venerabilis Petrus Abbas, qui à juventute sæculari scientiæ deditus, traditur à dæmone edoctus; conversus tamen & corde compunctus, posteà fugit

ad claustrum Morimundi, ubi factus Monachus pœnitentiam egit. Electus autem in Abbatem, vix & nonnisi ægrè dignitatem suscepit, imò post tres annos, deposito onere, ad priorem Ordinem rediit, & tanquam humilis Monachus privatam vitam egit. Verùm electus denuò in Abbatem, coactus est gregi commisso adhuc invigilare; mortuus paulò post cum opinione sanctitatis, & ascriptus hac de re inter illustres Ordinis viros ab Henriqueo in Menologio ad hanc diem, ubi plura alia habet non ita certa.

In Vasconia beatus Stephanus Grandisilvæ Conversus; qui sub Pontio Abbate tanta virtute fervebat & tanto videndi Deum desiderio æstuabat, cupiens dissolvi & esse cum Christo, ut hanc perpetuò corporis dissolutionem appeteret, & Deo tenacius inhæreret. Mortuus verò, gloriosus apparuit proprio Abbati, & meruit pro vitæ ratione memoriam sui habere in Menologio Ordinis ad hanc decimam quartam Septembris diem. *Liber virorum illustrium Cisterc. dist. 5. cap. 4.*

DECIMO SEPTIMO CAL. OCTOBRIS.

Decimo quinto Septembris.

IN Nivernio Galliæ & diœcesi Antissiodorensi Dedicatio Beatæ Mariæ de Bono-radio sub filiatione Pontigniaci.

In Valesia Cœnobio de Parco-Dominarum venerabilis Anna de Veteri-ponte Sanctimonialis, quæ claris parentibus in Normania orta, vestem Monasticam induit apud Parcum; ubi quibusdam annis non ita piè transactis, strictiorem posteà vitam est æmulata. Multis enim claruit virtutibus, pietate videlicet, Religionis zelo & præcipuè humilitate. Hac de re Priorissa electa & Novitiis præfecta, tanta virtutis signa dedit in eo officio, ut nequidem per instans à Deo voluntariè videretur abstracta, Christo sponso mente & cogitatione fruens. In adversis existebat patiens; in prosperis humilis; commissa delicta uberrimis fletibus, licet exigua, deflebat. Cúmque per belli tempus Parisios *Monumenta & traditio domus.*

cum sodalibus aufugisset, labore fatigata in morbum incidit, susceptisque Ecclesiæ Sacramentis & ad extrema redacta, tanto æstu ad Christum sponsum suspirabat, ut cupiens dissolvi & esse cum eo, longiorem vitam reformidaret. Mortua verò anno ætatis suæ circa quadragesimum, futuræ suæ beatitudinis indicia dedit, insolito sui vultus decore post mortem apparente, sepultaque jacet non in Monasterio Ordinis sui, uti multis votis exoptaverat, sed in Xenodochii sancti Gervasii Ecclesia & Cœnobio Sanctimonialium Ordinis sancti Augustini quo secesserat cum sororibus anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo trigesimo sexto.

Meyerus in Annalibus Flandr. Miræus in Chron. Cisterc.

In Belgio beatus Ligerius Dunensis Anachoreta, qui diù in Eremo exercitatus ad singulare certamen cum dæmone, coactis quibusdam discipulis Dunensi Cœnobio, primò Benedictini Instituti, postmodùm Cisterciensi Ordini aggregato, initium dedit. Aliis præfectus tanta claruit virtutis fama, ut ad eum venirent è Gallia quamplures Monachi strictioris vitæ desiderio ducti: Annotatus autem extat Ligerius inter Sanctos Ordinis ad hanc diem.

Seguinus in Catalogo SS. Ordinis Cisterc.

In Gallia beatus Milo Cistercii Professus, qui pro merito & ratione vitæ suæ Caroliloci Abbas præfectus, pietate insignior fuit, ubique splendidum virtutis suæ exemplum respargens. Quamobrem post mortem specialem habuit commendationem inter Abbates hujus loci, sepultus, ut legitur, ante librorum armarium in claustro lectionis, lectionis amator; annotatus meritò inter viros Ordinis illustres post mortem. Florebat autem ad annum millesimum ducentesimum trigesimum aut circiter.

DECIMO SEXTO CAL. OCTOBRIS.

Decimo sexto Septembris.

Monumenta domus.

IN Germania & Cœnobio Hemmerodensi festivitas sanctæ Euphemiæ Virginis & martyris, cujus sacra ossa olim

in Calcedonenſi civitate recondita, illuc tranſlata dicuntur, ut ejuſdem Cœnobii antiquiora inſtrumenta teſtantur.

Item Commemoratio ejuſdem Virginis per totum Ordinem ſicut & Luciæ & Geminiani martyrum.

In Hiſpania & Cœnobio Hortæ beatus Martinus Abbas qui nobili genere natus & Blaſio primo Abbati de Cantavos ſeu de Horta piè à parentibus oblatus, ibidem vitam à primis annis innocentiſſimam duxit; undè poſteà Monachus factus & pluribus virtutibus locupletatus, Blaſio è vivis ſublato, à Monachis ad Abbatialem dignitatem raptus potiùs quàm ſponte promotus, ubique mirandæ ſuæ ſanctitatis certa ſigna dedit, gregi ſibi commiſſo proficiens verbo & exemplo. Succeſſu autem temporis fama ubique ſuæ virtutis facta, à Clero Seguntino, vacante ſede, in Epiſcopum poſtulatus, humeros oneri ſupponere coactus eſt, mœrentibus Monachis, plebe verò gaudente. Cui quidem Seguntinæ Eccleſiæ præfuit & profuit, ſuos ſermone & opere docens. Expleto autem ſeptennio in præſulatu, dignitatis ſuæ impatiens & ſolitudinem appetens, ceſſionem ſuam à ſummo Pontifice multis precibus obtinuit. Qua obtenta, lugentibus Clero & populo, primum repetiit Cœnobium, ut ibidem ad mortem piis aliis operibus ſeſe diſponeret, tum aſſidua cæleſtis patriæ ſpeculatione, tum diſſolutionis ſui corporis deſiderio. Cúmque jam ſenio gravis aliquando ex Monaſterio Olivæ, quod viſitaverat, remearet ad propria, annum ſuæ ætatis ſeptuageſimum tertium agens, felici obitu expiravit. De cujus morte moniti Hortenſes Monachi, ſacris ejus occurrerunt exuviis, corpuſque ſepelierunt ante aram Beatæ Virginis, ubi multa patrata ſunt miracula. Pluribus autem annis poſt obitum ſacro corpore è terra elevato, Angeli cujuſdam monitu, Sanctus ipſe ſub nomine ſancti Sacerdotis proprio cultus eſt officio, hac die inter Sanctos Ordinis Calendarii relatus. Ejus feſtum ad quintam Maii eſt tranſlatum.

Barnabas de montalbo *tom. 1. lib. 2. cap. 32.* Miræus *originum Monaſt. lib. 5. cap. 15.* & alii.



DECIMO QVINTO CALEND. OCTOBRIS.

Decimo ſeptimo Septembris.

ABſolutio generalis omnium Parentum, Familiarium & Benefactorum Ordinis in Capitulo facienda ab Abbate, & à Cantore denuncianda, præſente toto Conventu.

Item eorundem defunctorum Anniverſarium prima die vacante ſolenniter peragendum in Eccleſia, ſicut & tricenarium per triginta ſequentes dies celebrandum ex præſcripto generalis Capituli ſtatutum, quòd primis Ordinis temporibus his diebus apud Ciſtercium celebraretur.

In Leodio & Cœnobio vallis-ſancti-Lamberti feſtivitas ejuſdem Sancti Epiſcopi & martyris, ſicut & per totum Ordinem olim ſub duodecim Lectionibus celebrata, nunc ſub tribus celebranda.

Lib. virorum illuſt. Ord. Ciſt. diſt. 4. cap. 12. Bernardus Britto *Chronic. tom. 1. lib. 4. cap. 20.*

In Claravalle beatus Stephanus Converſus, qui in ſæculo dives, relictis opibus Chriſtum eſt ſequutus, veſte Laïcorum ſeu Converſorum fratrum indutus ibidem, ut in vilibus ſeſe exercens, humilitatem inter alias virtutes nobiliſſimam faciliùs ſibi compararet. In qua quidem virtute tantum excelluit, quantum eandem præ cæteris omnibus prætuliſſe fertur; ſicque ſanctitatis titulo clarus, hac die obiiſſe creditur.

Henriquez *in ſuo Menol. ad hanc diem.*

In Polonia & Cœnobio Olivæ paſſio ſancti Caſimiri Abbatis ejuſdem loci, qui cum ſuis Monachis hac die ab hoſtibus fidei & religionis trucidatus, martyr occubuit.

DECIMO QVARTO CAL. OCTOBRIS.

Decimo octavo Septembris.

IN Aurelianensi diœcesi apud Gallias & Cœnobium Curiæ-Dei beatus Hugo Monachus & Abbas; qui ibidem vitam cœnobiticam professus, eximia sanctitate præluxit, & suis & externis forma gregis sui per virtutis exercitium factus, sicut & externis per miracula clarus. Vnde post piam mortem sepultus in cœmeterio hujus Cœnobii, ut mos erat, tanquam Sanctus á peregrinis cultus est, pluribusque claret miraculis, febricitantibus & aliis sanitatem reddens.

Seguinus *in Catalogo SS. Ordinis Cist.*
Henriquεus *in suo Menologio ad hanc diem.*

Vrsicampi in Picardia venerabilis Stephanus Clarevallis Abbas, qui natione Anglus & discipulus S. Edmundi Parisiis factus, una è stellis ex schola ejusdem Edmũdi per visum prosilientibus, in Ordinem Cisterciensem fuit præsignatus. Doctor autem Facultatis Theologicæ Parisiensis factus, in Angliam est reversus; ubi suscepta Ordinis veste, factus est primò Abbas Stratæ-Floridæ. Fama verò facta virtutis ipsius, in Galliam est revocatus, ubi electus Abbas in Normania apud Savigniacum, ibidem è terra levari corpora Sanctorum Vitalis, Aymonis, Petri & aliorum, & è priori sacello in quo posita fuerant in Basilicam transferri curavit, ut dignis honoribus cereorũ accensione inter Divina officia & pregrinorum veneratione colerentur, post acceptam hac de re licentiam á generali Ordinis Capitulo Ad Claramvallem autem postea sublimatus Præsul, multa digna egit in sui Monasterii commendationem & utilitatem. Monachorum enim accepto á Comitibus Campaniæ hospitio, Parisiis ibidem pro scholaribus Ordinis, & præsertim sui Cœnobii *Collegium* vulgò *Bernarditarum* erexit. Quod tamen resciens Guido Cistercii Abbas qui tale Collegium non probabat, infensus factus est illi. Visitans enim ex officio Claramvallem Guido, Stephanum á sede deposuit. Quod patienter ferens Abbas depositus, in Vrsicampi Cœnobium secessit, ibidem vitam privatam acturus. Cumque ejus restitutionem in sedem apud

Arspheldius *hist. Ecclesiast. Angliæ sæculo 13.*

summum Pontificém procurarent Doctores Parisienses, hac de re obtento Rescripto Apostolico, maluit Stephanus cedere & pati pro justitia, quàm Abbati Cistercii resistere. Verùm cùm rescivisset summus Pontifex patientiam & humilitatem viri Dei, eundem apud Anglos Episcopum nominavit. Sed dum illius nominationis Nuncii Vrsicampum venirent, eundem mortuum repererunt, ibidem sepultum intra murum Capituli cum Epitaphio.

DECIMO TERTIO CAL. OCTOBRIS.

Decimo nono Septembris.

Monumenta domûs.

VRsicampi in Gallia depositio venerabilis Michaëlis de Coudrayo, qui à pueritia præservatus ab aquis, in quas fortuitò submersus fuerat, voto facto sese futurum fore Monachum Vrsicampi in actionem gratiarum spopondit. Crescente tamen ætate, propositum implere & exequi distulit. Verùm Canonicus Noviomensis factus, in gravem morbum incidit. Quo compunctus Michaël, renovato voto sanatur: factusque Novitius, piam vitam duxit. Sed consummatus in brevi, explevit tempora multa; sepultusque est in claustro Capituli ad annum millesimum trecentesimum quartum, postquàm vivens propriæ vitæ suæ Scriba fuisset.

In Burgundia & diœcesi Æduensi dedicatio Ecclesiæ beatæ Mariæ de Buxeria juxta Cistercium à sancto Petro Tarantasiensi Archipræsule & Ordinis Monacho peracta, ubi idem sanctus Petrus multa patravit miracula in gratiam & utilitatem infirmorum.

Cæsarius *lib. 10. dialog. cap. 16.* Barnabas de montalbo *Chronic. tom. 1. lib. 2. cap. 40.*

In Germania & Cœnobio Houenensi beata Sophia virgo Sanctimonialis & hujus loci Abbatissa; quæ primò Monialis consecrata apud Ditkirghen Benedictini instituti Monasterium, & diù laudabiliter conversata, pro strictiori observantia amplectenda, de Superiorum suorum consensu secessit in Cœnobium Cisterciensis Ordinis de Monte-sanctæ-Valburgis dictum: propter vitæ meritum in Priorissam promota, ibidem latere non potuit; sed celebris ubique facta per

per regionem, in Hoüenensem Abbatissam est electa. In qua quidem dignitate non solùm morum probitate claruit, sed & miraculis quamplurimis resplenduit, cervisia aliquando in vinum conversa. Facta autem Angelicis spiritibus familiaris, visus est eam aliquando Angelus cum lucerna ardente præcedere, dum è vigiliis rediens lumine indigeret. Sicque meritis & miraculis gloriosa, animam sanctissimam ad superos transmisit, ascripta Ordinis Menologio ad hanc diem.

DVODECIMO CALEND. OCTOBRIS.

Vigesimo Septembris.

LOsannæ apud Allobrogos beatus Amedæus Episcopus; qui ex nobilibus parentibus ortus in Castro de Gosia juxta Viennam in Delphinatu, & à juventute pietati deditus, quicquid virtutis erat & noscebat, amplectebatur. Piè autem educatus cum patre Amedæo in Cœnobio Bonævallis, quo pater secesserat ibidem aliquandiu perstitit, sed posteà humanioribus literis traditus, & in aulam Henrici Imperatoris transmissus, non diu ibidem potuit remanere; memor enim primæ suæ educationis apud Bonamvallem susceptæ, relicta aula secessit in Claustrum, Altamcumbam petens: ubi suscepto Ordinis habitu, spretisque mundi illecebris, in brevi profecit. Porrò electus pro merito hujus loci Abbas, miranda virtute & sanctitate sibi adhuc viam fecit ad altiores dignitates. Vndè ad Episcopatum Lausanensem communi Cleri suffragio assumptus, tam sedulè ovili sibi commisso invigilavit, ut populo carus, Eugenio III. summo Pontifici notus, Principibus sæcularibus Conrado II. & Friderico I. Imperatoribus familiaris, & Deo carissimus extiterit. Pius etiam in Deiparam Virginem fuit, ad cujus honorem opuscula quædam variis præconiis ejusdem Virginis plena dictavit & scripsit; quòd autem die sanctæ Agneti Virgini sacra natus esset Amedæus, & pari die literis esset imbuendus, professionem Monasticam in Ordine emisisset & ad Abbatialem dignitatem promotus fuisset, duplici officio eandem Virginem coli jussit

Miræus *in Auctuario ad ann. 1148.* Barnabas de montalbo *Chron. tom. 1. lib. 2.* & alii.

per Lausanensem diœcesim. Tandem verò cùm per duodecim annos sanctè & piè Ecclesiæ suæ præfuisset, feliciter hac præsenti die migravit ad Dominum; post mortem albo Sanctorum insertus, si non Curiæ Romanæ & universalis Ecclesiæ ritu, saltem populorum acclamatione & consensu.

Miræus *in Chron. Ord. Cist.* Arnoldus de Raisse *in Auctuario ad Molanum.*

In Belgio beatus Ioannes Eustachius, qui ex Monacho Ordinis Vallis-scholarium factus Cisterciensis pro strictiori observantia, paulò post Monachatum nominatus est primus Abbas Iardineti post expulsas Moniales ob solutiorem vitam. Quod quidem Cœnobium in utroque statu reparavit, fervore animi & corporis abstinentia celebris: mortuus ad annum millesimum quadringentesimum quadragesimum primum & ad hanc diem annotatus in Menologio.

VNDECIMO CALEND. OCTOBRIS.

Vigesimo primo Septembris.

Apud Paracletum Picardiæ Cœnobium Ordinis Sanctimonialium festivitas sancti Mathæi Apostoli & Evangelistæ, cujus ibidem dicitur brachium religiosè asservari.

Apud Fontenetum diœcesis Æduensis Cœnobium in Burgundia filiationis Clarævallis, Dedicatio basilicæ ejusdem loci peracta ab Eugenio III. summo Pontifice & Clarævallis anteà Monacho, tota Curia Romana astante dum in Galliis idem summus Pontifex cogentibus Arnaldistis hæreticis seu schismasticis versaretur.

In Bituria Galliæ Provincia Dedicatio Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Oliveto.

DECIMO CALEND. OCTOBRIS.

Vigesimo secundo Septembris.

Monumenta domus. Bellarminus *ad*

Morimundi in Gallia depositio beati Othonis Abbatis; qui nobili Imperatorum genere & stirpe natus,

utpote Henrici IV. Imperatoris nepos, Henrici V. sororius ac Conradi Regis frater uterinus, Friderici I. patruus, sancti Leopoldi Marchionis Austriæ & Agnetis Principissæ filius, virtute & sanctimonia nobilior extitit. Missus enim Parisios in Galliam ut ibi studiis vacaret tam Philosophicis quàm Theologicis, cùm hinc in patriam rediret cum sociis ac per Morimundense Cœnobium transiret, Monachorum pietate & modestia ita compunctus est, ut ibidem habitum postulaverit Monasticum, eumque cum pluribus aliis susceperit ad probationem. Emissis autem solennibus votis cùm in dies probitate vitæ refulgeret, in Abbatem hujus loci communi fratrum suffragio est assumptus. Fama verò suæ sanctitatis ubique per Galliam & Germaniam evulgata, electus est Episcopus Frisingensis; quam quidem sedem tantis sanctimoniæ illustravit exemplis, ut ab omnibus fuerit veneratus & habitus ut Sanctus. Porrò transactis quibusdam annis in præsulatu, cùm de more ad Cisterciense Capitulum pergeret, & per Morimundum suæ primæ stabilitatis & conversionis locum transiret, ibidem gravi morbo pressus, lecto decubuit: & munitus sacro-sanctis sacramentis, hac die prout optaverat obiit, sepultus in Ecclesia sub decenti tumulo. Vivens multa scripsit, historiam nempe sui temporis & aliarum rerum volumina. *scriptoribus Eccle- siast. & alii.*

In Gallia & Regalismontis Cœnobio commemoratio & festivitas Sanctorum Martyrum Legionis Thebanæ, quorum octo corpora olim à Conrado Archiepiscopo Coloniensi concessa & ab Adriano Priore allata ibidem requiescunt. *Charta domest.*

Item Caroliloci eorundem Martyrum commemoratio, quorum duo corpora illuc delata sunt à sancto Rege Ludovico nudis pedibus, ut patet in antiqua Ecclesiæ tabella.

NONO CALEND. OCTOBRIS.

Vigesimo tertio Septembris.

MOuciaci in Picardia ad Arondam fluvium olim Sanctimonialium Ordinis Cœnobii, nunc verò sub titulo Prioratûs, Dedicatio Ecclesiæ ejusdem loci, cujus anniversarium ibidem hac die singulis annis recolitur.

In Sabaudia Ordo Militaris sancti Mauritii & alius sancti Lazari sub eodem Instituto Cisterciensi uniuntur de mandato summi Pontificis anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo tertio.

Lib. virorum illustr. Ordinis Cisterc.

Romæ beatus Balsamus sancti Anastasii Monachus, qui eximia animi puritate celebris, suavem ubique vitæ odorem tanquam gratiarum charismate & unguento plenum respargebat, & tanto desiderio novæ sanctitatis æstuabat, ut apud Claramvallem vivere & mori pluribus votis exoptaret. De consensu itaque proprii Abbatis Claramvallem adiit, & ibi piis operibus ditatus, purissimam animam ad cælos transmisit, apud posteros pro virtute commendatus. Extat autem ejus vita in virorum illustrium Ordinis Cisterciensis libro, cujus summarium legitur in Menologio.

OCTAVO CALEND. OCTOBRIS.

Vigesimo quarto Septembris.

Monumenta Cisterc. Barnabas de montalbo *Chron. tom. 1. lib. 2.*

CIstercii obiit piæ memoriæ Arnaldus Abbas hujus loci, alterius Arnaldi successor, qui multis pietatis operibus clarus, & merito ad hanc sedem sublimatus, toti Ordini profuit in magna vitæ probitate. Solitudinis autem Monasticæ peravidus & jam curarum hujus vitæ omninò pertæsus, ut Deo quietiùs vacaret, paulò ante mortem cessit, vita posteà functus in senectute bona. Porrò in serie & Catalogo Abbatum Cistercii est decimus septimus loci illius Antistes.

Novantulæ in Longobardia olim Benedictinorum postea Cistercienfium Monasterio plurimi Monachi occisi sunt ab Hussitis infidelibus pro fidei ortodoxæ defensione, quorum corpora ibidem requiescunt eorumque martyrii festum celebratur.

Miræus lib. 5. originum monastic. cap. 15. Langius Coclæus & alii.

In Claravalle eodem die moritur beatæ memoriæ Nicolaus Roschildensis Episcopus & Domini Estrili Laudensis Archiepiscopi consanguineus, pro libertatis suæ Ecclesiæ defensione ibidem exul ac hospes, ubi in magna probitate vitæ vixit; sepultus ante aram sancto Martino sacram hac præsenti die, ut liber sepulchrorum Claræ vallis testatur.

Manuscriptum Dunense. Liber sepulchrorum Claravallis.

SEPTIMO CALEND. OCTOBRIS.

Vigesimo quinto Septembris.

IN Germania moritur piæ memoriæ Cæsarius Heisterbacensis, qui postquam habitum Ordinis suscepisset; tam sedulus imitator extitit Sanctorum Patrum Cisterciensium, ut eorundem actus memoriæ primò, & posteà scripto consignaverit, evulgandos & declarandos Noviciis & Ordinis tironibus, quorum cura specialis fuerat demandata: Tantaque sanctitate refulsit, ut ejus sepulchrum in honore post mortem habitum fuerit. Prior autem hujus loci factus, quicquid prius in codicibus legerat, opere implevit, exemplo potius quàm verbo prælucens.

Tritemius de Scriptoribus Eccl. Arnoldus de Vvion lib. 1. ligni vitæ cap. 48. & alii.

In Belgia beatus Franco de Laken Villarii Conversus, vir in sæculo clarus & in claustro propter virtutem præclarus; qui post mortem ob vitæ sanctimoniam specialem meruit habere commendationem in Chronico ejusdem Monasterii Villariensis, memoratus etiam in Menologio ad vigesimam Septembris.

Lib. illustrium Villariensium.

Item in Belgio beatus Balduinus de Bocla Flandriæ oppido juxta Gandavam oriundus ex parentibus Christianis; qui anno ætatis suæ undecimo Benedictinum Institutum professus apud sanctum Petrum de Gandavo pietate

Vita MS. ibidem. Miræus in Chron. Cist. & alii.

claruit. Vbi factus etiam dæmoni infensus suis meritis, ab eo plura suscepit certamina per mulierem maleficam ejus castitati invidentem in domo paterna, quo illi jussum fuerat properare. Sed victor ubique existens, de consensu Abbatis eremum adivit; primò quidem in Anglia, posteà in Vuasia ubi quadraginta aut circiter diebus sex solis panibus exiguis vixit: Posteà verò à Deo solo sustentatus est: per egenum quemdam, qui priùs ab ipsomet eleemosinam acceperat. Silentii quoque custos etiam per ægritudinem solis signis statutis horis necessaria exigebat; Prophetiæ spiritu insignis multorum cordium abdita pandebat. Tandem aggregatis pluribus discipulis, Guillelmo videlicet, Hugone & aliis, novum illis condidit Cœnobium de Bodeloo dictum Ordinis Cisterciensis, priùs habitâ de eo ædificando per Beatam Virginem, cui familiaris erat, revelatione; ubi sub ejusdem Ordinis ritibus vixit ad mortem usque & ubi sepultus est, memoratus apud Henriqueum ad hanc diem.

Miræus *lib. 5. originum monast. cap. 55.* Manriqueus. Henriqueus, & alii.

In Hispania venerabilis Maria de Vela, Sanctimonialis Monasterii Abulensis, quæ revelationibus illustris & à cælitibus visitata, Christo crucifixo pluribus cruciatibus meruit conformari, & quam Christus in cruce pendens hac de re amplexatus est aliquando, uti olim sancto Patri Bernarno contigerat. Expleto verò vitæ curriculo, ad eundem sponsum felici fine pervenit, mortua anno millesimo sexcentesimo decimo septimo, annotata in Menologio ad præcedentem diem Septembris.

SEXTO CALEND. OCTOBRIS.

Vigesimo sexto Septembris.

Vaquerus *in vita B. Mariæ de vela parte 1. cap. 48.* Henriqueus *in suo Menologio ad hanc diem.*

IN Hispania venerabilis Anna de Villaroel sanctæ Annæ Abulensis Monialis, quæ jugi silentio celebris, illud ad mortem usque strictè observavit. Continuè Deo vacans, humi ad terram per noctem decumbebat, & quotidie piè & reverenter Eucharistiam suscipiens, pluribus virtutibus

clara, mortua eſt anno Domini milleſimo ſexcenteſimo, memorata in Menologio.

In Hibernia beatus Odanus Ciſtercienſis Ordinis Monachus, doctrina & vitæ integritate conſpicuus; qui poſtquàm piam vitam in Clauſtro traduxiſſet, aſſumptus & electus in Archipræſulem Armachanum, majori adhuc virtute refulſit. Cúmque per aliquot annos munus illud dignè obiiſſet, mortuus eſt in ſenectute bona & aſcriptus in Menologio ad hanc diem.

Seguinus *in tractatu de Archiepiſcopis Ordinis Ciſterc.*

In Germania beatus Henricus, qui ex Doctore humilis diſcipulus factus, Converſorum fratrum habitum ſuſcepit: multiſque donis & virtutibus clarus, pia morte quievit, aſcriptus hac die Menologio.

Barnabas de mōtalbo *Annal. parte 1. lib. 4. cap. 19.*

QVINTO CALEND. OCTOBRIS.

Vigeſimo ſeptimo Septembris.

IN Claravalle beatus Gilbertus Monachus, qui ex Canonicorum Regularium Ordine ad Ciſtercienſem pro ſtrictiori obſervantia ſuſcipienda tranſiens, in Claravalle ſanctos mores induit. Factuſque S. parentis Bernardi ſpecialis cultor, eundem pluries gloria refulgentem videre meruit. Sæpiùs etiam inter orandum ecſtaticus per integram diem aliquando extra ſe raptus perſtitit; & in extremis poſitus, adhuc ab eodem ſancto Patre Bernardo viſitatus, creditur meritò eidem ſociatus in gloria; mortuo corpore inſolito ſplendore in terris refulgente in ſignum ſanctitatis. Aſcriptus autem manet Gilbertus inter Ordinis viros inſignes à multis Ordinis authoribus.

Collationes PP. Ordinis Ciſt. *lib. 4. cap. 7.* Bernardus de Britto *Chron. lib. 4. cap. 35.*



QVARTO CALEND. OCTOBRIS.

Vigesimo octavo Septembris.

Monumenta domus.

IN Marchia & diœcesi Lemovicensi Dedicatio Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Bonoloco filiationis Dalonii & Pontigniaci à S. Gerardo Episcopo solenniter peracta, qui Ecclesiam simul & Cœmeterium sacravit.

In Luxemburgo Ioanna Abbatissa Clarifontis Henrici Comitis Luxemburgensis filia, quæ virtute adhuc nobilior, pia Dei genitricis cultrix extitit, à qua plura etiam charismatum dona accepit, mortua hoc ultimo sæculo millesimo quingentesimo, annotata ad hanc diem in Menologio.

TERTIO CALEND. OCTOBRIS.

Vigesimo nono Septembris.

Vita eius MS. & varii authores.

IN Longo-ponte Galliæ & Valesiæ Cœnobio diœcesis Suessionensis, depositio beati Ioannis de Monte-mirabili hujus loci insignis Monachi; qui ex Patre Andræa & matre Heliarde genitus, & nobilissima stirpe ortus, à teneris annis Militiæ nomen dedit. Gratusque factus Philippo Augusto Galliæ Regi, primo quidem ludis & sæculi vanitatibus deditus, multis placuit, & ducta uxore plures ex ea suscepit liberos: sed successu temporis sæculi curarum pertæsus, pietati multum sededit, & multa charitatis opera & humilitatis in pauperes exercens, quamplures pecunias eisdem erogabat. Nudos propriis vestibus induebat; debiles & infirmos humeris suis in propriam domum deferebat ut ipsemet eos curaret. Nec minus pius in Ecclesias extitit; plura enim loca sacra variis redditibus dotavit; Xenodochia pro pauperibus & ægris extruxit; ac tandem post multas & diversas à probis doctisque viris consultationes acceptas,

acceptas, ut quidnam Deus de eo melius disponeret, resciret: de uxoris suæ consensu & assensu, ut suspicari licet, spreto mundi schemate, habitum monachalem induit in Longo-ponte sub Galchero Abbate ad annum decimum supra millesimum & ducentesimum aut circiter; ubi tantis refulsit virtutibus, ut ab omnibus vulgò tanquam Sanctus haberetur. Quæ quidem hominum existimatio non parum illi molesta erat, uti solebat conqueri: nimis abstinentiæ & corporis austeritati deditus, viribus omninò defecisset, nisi per aliquod tempus aliquantulum corpori indulsisset ex proprii Abbatis injuncto & mandato, cui tanquam Deo obediens, ad literam obtemperabat. Cùm enim aliquando esset inter fratres querimonia, quòd Ioannes in Refectorio non comederet, ei præcepit Abbas ut quicquid ei porrigeretur, manducaret; & ipse pisciculum ei porrectum ita ex integro comedit, ut eum simul cum aristis manducaverit. Impatiens tamen quòd Monachi Confratres nimis eum venerarentur, de ipsis apud Abbatem conquestus est: quibus, ne nimia afficeretur tristitia, coactus est præcipere, ne honorem Ioanni Monacho exhiberent. Ipse verò cunctis subserviens, fratrum calceos depurgabat, & quicquid ei humilitas suggerere videbatur, adimplebat, lampades Ecclesiæ emungens & alia quamplurima vilia exercens. Patientia insignis quorumdam ex suis olim famulis improperantium & irridentium hominum probra sustinebat. Egressus aliquando è Monasterio, cùm urgeretur alicubi propter proximam noctem demorari & hospitari, nullus eum ex suis voluit suscipere; undè coactus apud exteros sese recipêre, de suis nullum murmuris uerbum emisit: sicque meritis & moribus insignis & gloriosus Ioannes ad extrema perductus est, & Sacramentis Ecclesiasticis susceptis, deposita corporis mole, purissimam ad cælum transmisit animam: & multis illius beatitudinis revelationibus factis, post obitum quampluribus etiam miraculis ad tumulum coruscavit. Concurrentibus autem hac de re undique peregrinis, creverunt in dies prodigia, effossumque corpus è terra, è Cœmeterio in Capitulum translatum est; undè adhuc posteà delatum in Ecclesiam fuit, ut ma-

jori cultu coleretur, ſacro interea capite ejus aſſervato in ſacrario Longi-pontis, & brachio ejus apud Vrſicampum ante aram præcipuam religioſè poſito. Appenſi ſunt autem ad ejus tumulum lampades, cerei & alia luminaria ex fidelium fundatione. Tandem omnium actuum & vitæ ejus perquiſitione facta ab Epiſcopis Sueſſionenſis urbis, & recenter ab ultimo noſtris temporibus, ac Romam miſſa ut albo Sanctorum à ſummo Pontifice poſſet aſcribi, meritò in hac Sanctorum Ordinis ſerie ponitur.

Conſtitutiones & Inſtituta Ordinis.

In Luſitania Inſtitutio Ordinis Militaris de Ala ſub legibus & ritibus Ciſtercienſibus, facta in honorem ſancti Michaëlis Archangeli & cæterorum Angelorum, ob relatum inſignem in Agarenos antiquos fidei hoſtes à Luſitanis victoriam: qui Ordo ſubditus eſt Alcobaciæ Abbati & ejus ſucceſſoribus ab anno milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio aut circiter.

PRIDIE CALEND. OCTOBRIS.

Trigeſimo Septembris.

CIſtercii in Burgundia commemoratio SS. Martyrum & Virginum Fidei, Spei & Charitatis ac matris earum beatæ Felicitatis ſub Diocletiano trucidatarum pro fidei defenſione, quarum oſſa apud Ciſtercium reponuntur.

Cęſarius *lib. 3. miracul. cap. 33. & lib. 5. cap. 21.* Miræus & alii.

In Claravalle depoſitio beati Conradi Abbatis, qui illuſtri proſapia genitus, & per bellum obſes, tandem liberatus, contempto ſæculo, Monachalem veſtem induit apud Villarium Brabantiæ Cœnobium, ubi poſt longum pietatis tirocinium & virtutis experimentum, pro vitæ merito ad Abbatialem dignitatem raptus potius quàm ſublimatus, quòd ipſe electioni conſentire renueret, ibidem piè & ſanctè præfuit. Fama verò probitatis ejus facta per Ordinem, ad Claravallenſem ſedem communi fratrum ſuffragio è Villario eſt tranſlatus. Imò altiùs adhuc ad Ordinis apicem aſſumptus & Abbas Ciſtercii electus, vividiùs præluxit, & Ordine ejus clariſſimis moribus ac ſanctis operibus illuſtrato, nova luce virtutis ſuæ Eccleſiam univerſalem illuſtrare coa-

ctus est. Nam S. R. Ecclesiæ Cardinalis Portuensis à summo Pontifice renunciatus, in Germaniæ Provincias transmissus est Legatus; ubi Clerum reformavit; Ecclesias quoad disciplinam collapsas reparavit, habito hac de re Coloniæ Agrippinæ Concilio. Prædicatorum seu Dominicanorum Ordinem recenter natum in iisdem partibus, fovit & promovit. Summo Pontifice mortuo, Romæ cùm purpurati patres eundem Conradum in Ecclesiæ Pastorem universalem elegissent, ut electioni consentiret, nunquam adduci potuit. Et sic Conradus humilitate, prudentia & sanctitate celebris sicut & miraculis, ita ut suis digitis tanquam lucerna seu cereis ardentibus noctu inter legendum uteretur; obiit in senectute bona, dolens in morte quòd ad tantas dignitates promotus fuisset, & sibi non licuisset per vitam humiliter in claustro vixisse. Mortuus autem ad annum millesimum ducentesimum vigesimum septimum, sepultus est in Presbyterio Basilicæ Clarævallensis ad latus sancti Bernardi.





MENSIS OCTOBRIS.

CALENDIS OCTOBRIS.

Primo Octobris.

Monumenta domûs.



N Agro Laudunensi & Cœnobio Sanctimonialium de Salvatorio Ordinis Cisterciensis & filiationis Claraevallis, commemoratio S. Piatonis Martyris & Episcopi Tornacensis, cujus memoria ibidem celebris est propter sacras reliquias ejusdem Martyris ibidem religiosè asservatas, ad quas quamplures peregrini & advenæ accedunt.

Cæsarius *lib. 3. cap. 33. virorum illustr. & lib. 9. cap. 31.* Arnoldus de Raisse *in Auctario ad Molanum, hac die.*

In Brabantia & Cœnobio Villariensi beatus Vlricus Monachus, qui natione Germanus & Patria Coloniensis adhuc adolescens, sæculum deseruit: datoque nomine sacræ religionis Cisterciensis militiæ apud Villarium, & emissis post tirocinium expletum solenniter votis, tanta cum vitæ puritate vixit, ut cùm aliquando Namurci sacrum faceret, visus fuerit super ejus caput globus igneus ferventis animi typus. Hora autem mortis sibi divinitùs demonstrata, quicquid in suis exequiis eventurum erat, spiritu prophetico demonstravit; sicque sanctitate clarus, post longa jejunia, vitæ austeritatem & plura alia pia opera, & vitam omni lethali labe immunem, uti ejusdem Confessarii adverte-

runt, obdormivit in Domino, dipticis Sanctorum Ordinis perpetuò ascribendus, & hac de re ipsa die annotatus in Calendario.

In Normania & Præsulatu Rothomagensi apud omnia hujus regionis Cœnobia dedicatio Ecclesiarum; non quòd ipsa die consecratæ sint, sed quia hac die Metropolis fiat consecratio.

SEXTO NONAS OCTOBRIS.

Secundo Octobris.

APud Regalem-montem in Francia & diœcesi Bellovacensi non longè ab Isaræ ripis festum sanctæ Bergæ Virginis & Martyris, & unius ex ipsis Virginibus Coloniensibus, quæ pro conservanda castitate, sponso suo Christo Domino vitam cum sanguine effuderunt. Cujus quidem Virginis sanctum corpus olim Colonia allatum in Galliam, & à Conrado Archiepiscopo Coloniensi concessum sancto Regi Ludovico Regalis-montis Fundatori, ibidem requiescit.

Chartæ domûs.

In Campania pius obitus Illustrissimi Comitis Theobaldi Ordinis Cisterciensis familiæ associati, viri eximiæ pietatis; qui suis reditibus multa ejusdem Ordinis Cœnobia condidit, videlicet Prulliacum, Ioyacum in Bria, Pontigniacum & Claramvallem in Burgundia, saltem ex majori parte ædificiorum.

Vita S. Bernardi *lib. 2. cap. 5. & c. 8. lib. 4. cap. 3.* & alii authores.

Villarii in Brabantia beatus Godefridus Pachomius, qui ex Canonico Regulari Lovaniensi factus Villarii Monachus, strictioris vitæ desiderio ductus, ibidem multis piis operibus & signis extitit illustris; imò prophetiæ dono claruit: & tandem post piam vitam obiit, annotatus inter Villarii viros illustres & in Menologio ad hanc diem.

Miræus *originum Monast. lib. 5. cap. 15.* Arnoldus de Raisse *in Auctuario ad Molanum.*

In Hibernia beatus Nehemias sancti Malachiæ discipulus, qui ejusdem sancti hortatu, factus est Ordinis Monachus & magna pietate claruit. Electus autem pro merito in Episcopum Cluanensem, gregem verbo & opere pavit,

& post mortem coronam gloriæ piis suis operibus sibi promeruit, & in Menologio ad hanc diem ascribi.

QVINTO NONAS OCTOBRIS.

Tertio Octobris.

Vita ejus M S. Cæsarius *lib. 1. dialog. cap. 35.* Barnabas de Montalbo *in suis Chronic.* & alii.

IN Brabantia Cœnobio Villariensi natalis beati Godefridi ejusdem loci Monachi, qui è Monasterio sancti Pantaleonis Coloniensis Instituti Benedictini egressus ut novam Cisterciensem & strictiorem observantiam amplecteretur, studuit primò in Heysterbacensi Monasterio in Monachum suscipi. Sed cùm in his rebus accederet suspicio levitatis, & hac de re repulsus multoties fuisset, tandem apud Villarium, quod ei per spiritum ostensum fuerat, est susceptus; ubi moribus omninò maturus & claris operibus celebris, Sacristiæ officio deputatus est ob eximiam puritatem: nec tamen per exteriorum curam ab interioribus distractus, variis illustrationibus irradiari destitit, imò internus omninò factus, Christum ipsum Dominum & Deiparam Virginem ac alios cælestes spiritus sibi familiares habuit. Spiritu quoque prophetiæ insignis, non solùm futura antequam evenirent declaravit, sed & cogitatus internos multis detegens, titubantes animos inter plura dæmonum tentamenta suis meritis firmans, omninò celebris extitit. Sicque sanctis operibus ditatus, ex hac mortali luce sublatus est, ut in admirabile Dei lumen cum sanctis ingredi valeret. Nudatum verò sancti viri corpus post obitum ut ablueretur, plagis lividum totum inventum est; ferturque ipsum tam in vita quàm in morte miraculis pluribus claruisse: si quidem zonâ ejus puer gravi & diuturno morbo vexatus, sanatus est: mulier puerperii doloribus ejusdem zonæ contactu, erepta est, & tandem alio morbo laborans, sanitatem pristinam recuperavit. Ob quæ miracula & habitam à Deo beatitudinis illius revelationem, sacra ejus ossa è terra effossa, in sacrario religiosè recondita sunt; inserto nomine apud commune Ordinis Hagiologium hac die.

In Portugallia & Braccarensi diœcesi dedicatio Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Burio filiationis Alcobaciæ & Claræ-vallis.

QVARTO NONAS OCTOBRIS.

Quarto Octobris.

IN agro Noviomensi & Cœnobio Vrsicampi beatus Herveus de Baugentio cognominatus hujus loci secundus Abbas, qui regio sanguine natus, regium habuit animum, non Curiæ sæculi deditum, sed rebus salutis intentum. Cùm enim adhuc puer esset Herveus, prævisa pueri futura sanctitate à S. Patre Bernardo inter celebrandum, & habita de ipso quadam visione, factus est humilis Monachus sub Vuallerano Abbate, contemptis mundi opibus & honoribus. In quo quidem statu tantum pietati animum addixit, ut sæpè extra se positus inter orandum, multas habuerit visiones & revelationes. Electus verò pro vitæ merito Vrsicampi Abbas & Vuallerani successor, eundem pressis vestigiis tum in pietate tum in prudentia æmulatus fuerit: & sic sanctimonia clarus, meruit post pium obitum in Calendario Sanctorum reponi in terris, cujus anima sociata sanctis Angelis creditur in cælis.

Vincentius Bellovacensis *lib. 27. cap. 5.* Bernardus de Brito *tom. 1. lib. 5. cap. 5.*

In Hispania venerabilis Maria prima Carizienfis Abbatissa, Stephanæ Comitissæ Arminiaci filia, quæ suscepto religionis velo, extitit pietate illustris; & post plura pia opera, beato fine quievit, dipticis Ordinis ad hanc diem inserta.

Seguinus *lib. 3. cap. 128.*

In Diœcesi Lemovicensi dedicatio Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Buelho sub Dalonio & Pontigniaco.



TERTIO NONAS OCTOBRIS.

Quinto Octobris.

IN Petragorio & diœcesi Sarlatensi, dedicatio Ecclesiæ Abbatialis Cadunii filiationis Pontigniaci, facta olim die ipsa Dominica quinta Octobris ab Antistibus Petragoricensi, Agennensi & Engolismensi, nondum Sarlatensi Ecclesia in Episcopalem sedem sublimata, in honorem Dei & Beatissimæ Virginis & omnium Sanctorum.

In Gallia & diœcesi Senonensi ad Sequanæ ripas dedicatio Basilicæ Beatæ Mariæ de Sacro-Portu seu de Barbello filiationis Prulliaci & Cistercii, olim à Ludovico pio Francorum Rege hujus nominis septimo fundatæ.

Bruschius *in Chronologia.* Tabulæ hujus monasterij

In Germania venerabilis Guervuicus Valdsassi Monachus, qui olim in sæculo miles, ac posteà contritus ac corde compunctus, quòd hostem hasta occidisset, primò Sibergensis Benedictini Instituti Monachus factus est, posteà verò Valdsassi, quod Cœnobium paulatim condiderat, suscepto habitu Cisterciensi, ibidem omnibus in exemplum virtutis fuit & piè obiit, annotatus inter Ordinis Sanctos ad hanc diem.

PRIDIE NONAS OCTOBRIS.

Sexto Octobris.

Arnoldus *ligni vita lib. 1. cap. 44.* Robertus Rusca *in suo Compendio.*

PIsis in Tuscia Italiæ provincia depositio beati Balduini Archiepiscopi, qui natione Gallus & professione Claræ vallensis Monachus ac S. Bernardi discipulus & sedulus imitator, ita virtute floruit, ut primus omnium, Ordinis Monachorum, in Concilio Claromontano apud Arvernos pro vitæ merito Cardinalis S. R. Ecclesiæ fuerit renunciatus ab Innocentio II. summo Pontifice. Hinc autem ad Archiepiscopatum

chiepiſcopatum Piſanum ſublimatus, ſuis præfuit & profuit. Subortis tamen quibuſdam inter ſuos jurgiis, cùm pro reformanda pace laboraret, invidente diabolo, factus eſt eiſdem infenſus. Vndè eorum inſtantia exilio pulſus, multas eſt perpeſſus ærumnas pro juſtitia, nec tamen otioſus populo huic cum quo converſabatur factus eſt, eorumdem converſioni & ſaluti ſuis concionibus & monitis incumbens. Fractus tandem labore & ſenio, paulo poſt ibidem multarum virtutum titulo inſignis, obiit in ſenectute bona. Apparuit autem poſt obitum glorioſus & exultans cuidam Religioſo viro, perpeſſis quibuſdam in purgatoriis locis pœnis, ob contractos per vitam leves nævos; aſcriptus Calendario Sanctorum Ordinis ad hanc diem, & in actibus vitæ S. Bernardi magnum Eccleſiæ lumen dicitur.

In Bituria dedicatio Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Locô-Regio filiationis Ciſtercii olim fundatæ ab Archiepiſcopo Bituricenſi.

In Burgundia beatus Odo Moliſmi Monachus & ſancti Roberti Abbatis diſcipulus, qui cum eo & aliis primis Ordinis Patribus è Moliſmo in Ciſtercium tranſiens ut ſtrictam Regulæ obſervantiam amplecteretur, ſuis piis operibus novellam plantationem illuſtravit; annotatus inter Sanctos Ordinis, & in reſcripto Hugonis Lugdunenſis Epiſcopi & Legati Apoſtolici memoratus. Seguinus *lib. 5. Sanctorum Ordinis Ciſt. cap 7.*

NONIS OCTOBRIS.

Septimo Octobris.

IN Hiſpania Cœnobio Vallis-paradiſi ſanctus Martinus Abbas, qui à juvenilibus annis pietate ductus, eremiticam vitam primò coluit, in qua auſteritatem vitæ ſatis inſolitam eſt æmulatus. Inventus autem in antro ab Alphonſo Rege totus ſanguine reſperſus & vulneribus plenus propter flagella quæ ſuſtinuerat, ad novum Monaſterium conſtruendum ab eodem Principe adhortatus eſt; qui ad hoc ſumptus & expenſas ſubminiſtravit, & idem Cœnobium Literæ ejus Canoniſationis. Ioannes Abbas *in Catalogo SS. Ord.* Miſſale vetus.

Vallem-paradisi nominavit. Præfectus verò eidem loco Martinus in Abbatem, vitæ pristinam austeritatem non minuit, sed auxit: Institutumque Cisterciense cum suis quos congregaverat discipulis suscepit. Inter quos tantis claruit virtutibus & signis, ut felici morte consumptus, meruerit inter Sanctos annumerari & hac die annotari in Menologio, qua festum ejus celebratur per totam reformatam Hispaniæ seu Castellæ Congregationem.

Monumenta varia domûs.

In Luxemburgo venerabilis Havidis Abbatissa Clarifontis, soror Comitis Theobaldi Luxemburgensis, quæ ab adolescentia pietatem colens, electa est prima Abbatissa ejusdem loci & Monasterii noviter fundati à Margareta Henrici Comitis filia, ubi piè præfuit & profuit; mortua cum suavi opinione sanctitatis & annotata ad hanc diem.

OCTAVO IDVS OCTOBRIS.

Octavo Octobris.

Franciscus Bivarius *de mulieribus illust. Ord. Cist.*
Miræus *in originibus monasticis.*

TOleti in Hispania & Monasterio Monialium sancti Dominici Ordinis Cisterciensis, obiit piæ memoriæ Beatrix de Silva Monialis, quæ post varios labores in sæculo perpessos, mundi tædio affecta, reliquos vitæ suæ annos Deo devovit. Suscepto autem sanctimonialis velo ibidem cùm aliquandiu vixisset, & Moniales Regulam tepidè observantes advertisset, desideriis parens, Deo disponente, specialem erexit Congregationem sub sanctæ Mariæ Conceptionis titulo; assumptis hac de re duodecim Monialibus ex ferventioribus sui Monasterii de Superiorum consensu, quibus pias dedit Constitutiones, posteà à summo Pontifice anno reparatæ salutis quingentesimo octogesimo nono supra millesimum pridie calendas Maii confirmatas. Virtutibus tandem insignis Beatrix Antistita, feliciter expiravit, non sine sanctitatis opinione; fulgida enim & omninò splendida astantibus inter moriendum paruit, ejusque nomen scriptum reperitur in Calendario Sanctorum Ordinis ad hanc diem.

In Belgio beatus Elias Dunensis Abbas vir Deo & hominibus gratus, quem Leopoldus Dux Austriæ venerabatur tanquam patrem & reverebatur ut sanctum, & quem Richardus Angliæ Rex liberatorem nominabat: Imò totum Belgium ipsum virtutibus clarum ut Sanctum suspiciebat. Mortuus autem est in senectute bona, & ascriptus Menologio hac die.

Adrianus Butzius *in suo Chron.* Henriquens *in Men. ad hanc diem.*

SEPTIMO IDUS OCTOBRIS.

Nono Octobris.

PEr totum Ordinem & præsertim apud Longum-pontem Suessionensis diœcesis in Valesia festivitas sancti Dionysii Areopagitæ; cujus quidem sancti Præsulis & Martyris caput seu pars capitis illuc allata à Nivelone Suessionensi Antistite ad annum millesimum ducentesimum aut circitur è Constantinopolitana civitate, ibidem quiescit in sacrario, ut ejusdem loci testantur monimenta antiqua & lectiones & hymni diœcesis Suessionensis in festo omnium sacrarum Reliquiarum ejusdem diœcesis.

Monumenta domûs.

In Cenomanensi diœcesi dedicatio Abbatialis Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Persignia filiationis Cistercii, olim à Comitibus Alenconii erectæ, anno Christi 1245. celebrata.

Item in Campania & diœcesi Senonensi dedicatio insignis Basilicæ B. Mariæ de Vallelucenti filiationis Pruliaci & Cistercii; cujus tamen dedicationis anniversarium his temporibus de peculiari Superiorum licentia, sive ob impeditam hanc præsentem diem, sive aliis de causis, in secundum sabbatorum post Pascha translatum est.

Item in Galvetia sub finibus Campaniæ & diœcesi Catalaunensi dedicatio novæ seu restauratæ Ecclesiæ B. Mariæ de Charmeya filiationis Clarævallis & Vallis-claræ ab illustrissimo Diœcesano Episcopo Henrico Clausseo peracta anno salutis millesimo sexcentesimo & trigesimo, cura & instantia Domini Stephani Maugerii ejusdem loci Abbatis & Ordinis disciplinæ collapsæ Restauratoris.

Exordium Ord. Cist. *lib. 4. cap. 17.* Calendarium SS. Ord. Cist.

In Suevia Novæ-vallis Cœnobio beatus Gerardus Abbas; qui natione Belga, factus est humilis Monachus cum pluribus aliis apud Claramvallem, ubi à S. P. Bernardo piè educatus & instructus, in brevi extitit ejusdem Sancti verus æmulator. Pro merito autem suæ virtutis in Septemtrionis plagas ad Ordinem dilatandum transmissus, & illuc nova Monachorum colonia insigne construxit Cœnobium, ubi, Abbas præfectus, multis claruit piis operibus, & regni Magnatibus notus factus, apud eosdem & præcipuè apud Regem carus extitit. Reversus verò in Gallias sub ultimis vitæ suæ annis juxta datum à sancto Patre vaticinium apud suos Claræ vallenses sancto fine quievit hac die, ut innuit Sanctorum Ordinis Calendarium.

Monumenta domûs & ejus sepulchrum.

Aquiriæ in Brabantia elevatio corporis beatæ Sybillæ, quæ ibidem ex Canonica sanctæ Gertrudis Nivellensis, facta Cisterciensis Sanctimonialis & literis humanioribus instructa, iisdem sapienter est usa in vitæ suæ actibus piè & ritè componendis. Cura verò sanctæ Lutgardis noviter in Ordine susceptæ ei demandata, eandem piis institutis informavit, & mortuæ elegans Epitaphium posuit. Variis autem gratiarum carismatibus illustrata, sancto fine obiit, & post mortem ejus corpus nostris temporibus, anno videlicet undecimo supra millesimum & sexcentesimum, elevatum è terra ab Antistite Namurcensi de consensu Superiorum, publico cultui est expositum, juxta quod fons scaturiens peregrinis salutares hujus Beatæ Virginis meritis aquas concedit.

Cantipratanus *lib. 2. vita S. Lutgardis cap. 11.* Arnoldus de Raisse *in Auctario ad Molanum 9. Octobr.*

Item Aquiriæ beata Iolenta Monialis, quæ ex Benedictino Instituto ad Cisterciense pro strictiori observantia amplectenda convolans cum sancta Lutgarde socia, ibidem rigidissimam instituit vitam, undè vulgò pœnitens est dicta. Mortis autem horæ non ignara, eandem longè antè denunciavit, & meruit post obitum cæleste regnum adipisci, ut ipsa post obitum sanctæ Lutgardi apparens indicavit, & jure sacrario sanctorum Namurcensis Ecclesiæ ascripta est ad hanc diem apud Molani Auctarium.

Carolus à S. Maria *in Catal. Ful. illustr.*

Burdigalæ in Vasconia obiit piæ memoriæ Ioannes Iacobus à sancta Scholastica, qui anno ætatis suæ decimo

quinto rigorem Fulienſis Congregationis amplexus, nudis pedibus & abſque ſocculis, detecto capite ſine pileo ullo incedens, pane furfureo, pura aqua, herbis inſulſis & ſine oleo aut butiro coctis, pro obſonio contentus, ut de more tunc temporis erat ipſius Congregationis victitare; per civitates vicinas & oppida verbum Dei magno zelo diſſeminabat. Inſtitutaque per eum ſanctæ Vrſulæ Congregatione, & edito opuſculo peregrini agonizantis, ac multis aliis præclaris actibus celebris, obiit hac die anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto.

SEXTO IDVS OCTOBRIS.

Decimo Octobris.

IN Campania & diœceſi Catalaunenſi Dedicatio Eccleſiæ B. Mariæ de Tribus-Fontibus Clarævallis primogenitæ filiæ, olim à Guillelmo de Campellis Epiſcopo Diœceſano & viro inſigni fundatæ.

Antiſſiodori in Gallia beatus Hugo hujus loci Epiſcopus, qui Matiſcone in Burgundia natus, & ſancti Patris Bernardi ſecundum carnem propinquus, ac apud Caſtellionem Caſtrum Scolaris, ab eodem Sancto adhuc adoleſcente & conſodali ad religionis ſuſcipiendæ propoſitum eſt converſus. A quo tamen reſiliens Hugo, malignis ſociorum ſuaſionibus diſſuaſus, iterùm ab eodem Bernardo in voto eſt confirmatus. Factus autem Ciſtercii Monachus ſub ſancto Patre Stephano Abbate, poſt quam omni virtute fuiſſet inſtructus, ad novum Pontigniaci Cœnobium, Hildeberti Canonici Antiſſiodorenſis ſumptibus excitandum, eſt tranſmiſſus cum nova Monachorum colonia ad annum milleſimum centeſimum decimum quintum, & ibidem pro vitæ ratione & merito primus Abbas deſignatus, magna ſanctitate apud ſuos claruit. Inde ſucceſſu temporis ſtabilito ſuo Monaſterio, & reformato illo ſancti Lupi Trecenſis ad inſtantiam Campaniæ Comitis, imò & Sanctimonialium de Hedera Cœnobio Pariſienſis diœceſi ritè diſpoſito

Ioannes Abbas in Catalogo SS. Ord. Ciſt. Arnoldus *lib. 1. cap. 46.* & alii.

ad supplicationem Episcopi, & pluribus aliis Abbatiis Or-
dinis & suæ filiationis per Galliam & adjacentes regione
constructis, è proprio Monasterio avulsus, postquam plu-
res è sæculo suscepisset in suos discipulos & Monachos, &
alios diversi Ordinis ad strictiorem observantiam adduxis-
set, assumptus est & electus in Episcopatum Antissiodoren-
sem. In qua quidem dignitate quicquid honoris in Deum
quicquid decoris & utilitatis, in Ecclesiam suam referre po-
tuit, adipisci curavit. Restauratis quoque pluribus loci
quoad disciplinam collapsis, & novis Cœnobiis purâ Præ-
monstratensium & aliis institutis, pace reformata inter
Campaniæ Comitem & Ludovicum Galliæ Regem, &
inter Parisiensem Episcopum Stephanum & Regem, &
multis aliis operibus ab eodem Hugone factis, sancto tan-
dem fine quievit, relicta post se suavi suæ sanctitatis opinio-
ne, sepultus & relatus in suum Pontigniacense Cœnobium,
& positus sub simplici nominis sui inscriptione, uti vivens in
votis habuerat. In signum autem ejusdem beati viri sancti-
tatis, ejus corpus sub terra multis annis reconditum & è
terra effossum, à putredine illæsum permansit & perstitit ad
hæc usque tempora. Sed nefarii fidei nostræ hostes hæreti-
ci inaudita immanitate & sævitia non tantùm in vivos, sed
& in mortuos sanctum ipsum corpus flammis dederunt, è
quibus pars duntaxat ventriculi pellis à Monachis erepta
est.

Monumenta domûs.

In Hispania beatus Gundisalvus Iuniensis Abbas, qui
post multa pia opera & sanctitatis signa, cùm de more fle-
xis genibus oculis in cælum erectis oraret, inter rupes &
silices extra Cœnobium expiravit: cujus mors est indicata
per campanas ultrò pulsantes, accurrentibus undique ho-
minibus ad tantum prodigium. Facta sunt autem & alia
quamplurima ad tumulum hujus Beati Abbatis mira-
cula.



QVINTO IDVS OCTOBRIS.
Vndecimo Octobris.

IN Campania & diœcesi Rhemensi Dedicatio Basilicæ B. Mariæ de Valleregia Igniaci immediatæ filiationis sub Claravalle.

In Hispania beatus Rodericus Novitius, qui in ipso suæ probationis anno innocens moribus, consummatus in brevi explevit tempora multa. Visusque est post obitum corona aurea redimitus, & magno splendore refulgens à Ferdinando Monacho; ascriptus est in Menologio ad hanc diem Octobris.

Aybertus Abb. *Lib. virorum illustr. Ord. Cisterc. cap. 2.*

Apud Claramvallem in Gallia obitus insignis viri Gumari Sardiniæ Principis, qui audita sancti Patris Bernardi sanctitate, eundem invisere voluit; ubi per vaticinium futuræ suæ conversionis respōso accepto ab ipso sancto Patre, rediit in Sardiniam: & concepto jam religionis voto, non ampliùs regni sui opibus & honoribus est irretitus, imò dimisso sceptro & diademate deposito, ac in suam dignitatem primogenito suo filio subrogato, venit iterùm in Claramvallem. In qua suscepta Ordinis veste, regiam seu potius angelicam vitam duxit, & multis piis operibus clarus, regnum cælorum post felicem obitum creditur adeptus; insertus inter viros illustres Ordinis ab antiquis temporibus in libro virorum illustrium Ordinis, & ad præsentem Octobris diem in Calendario Sanctorum Ordinis.

Bernardus Brito *Chron. lib. 4. cap. 29.* Molanus *ad hanc diem.*

Apud Prateam Bituricæ Cœnobium festivitas sanctæ Faustæ Virginis, cujus ibidem sacræ reliquiæ repositæ sunt.



QVARTO IDVS OCTOBRIS.

Duodecimo Octobris.

Monumenta hujus domûs. Arnoldus de Raisse *in Auctario ad Molanum.*

IN Belgio juxta Mechliniam felix memoria piæ matris Mariæ Sanctimonialium de Muysen secundæ Priorissæ, quæ sicut dignitate cæteris sororibus præfuit, ita vitæ probitatis exemplo præluxit; & quamvis ætate junior esset, moribus tamen maturior extitit: splendidaque aliquando visa inter preces & orationes, novæ suæ sanctitatis signa præbuit; mortua anno reparatæ salutis trigesimo octavo supra millesimum & quadringentesimum, & ascripta inter sanctas Belgii in Auctuario ad Molanum.

Molanus *in additionibus ad Usuardum.* Cæsarius *lib. 11. cap. 30.* & alii.

Fusniaci in Picardia beatus Gerbrandus Abbas Claricampi, qui post multa sanctitatis opera & piissimum regimen, è Capitulo generali revertens, ibidem sanctè obiit anno millesimo ducentesimo octavo decimo, suæque beatitudinis signa dedit cuidam Moniali Cœnobii de Sion filiationis Claricampi, quæ ejus animam ab Angelis in cælu deferri conspexit, revelatis eidem & loco sepulturæ & Mo nasterio ubi obierat. Extat Gerbrandus ascriptus in Ca lendario Sanctorum Ordinis, etsi pro Claricampi ibi scr ptum sit Flori-dicampi.

In Pertica Cœnobio de Claresiis commemoratio seu f stum sanctæ Margaretæ Coloniensis Virginis cujus corp ibidem reponitur.

TERTIO IDVS OCTOBRIS.

Decimo tertio Octobris.

Calendarium SS. Ordinis Cister. Publicus cultus.

IN Armoricis Sancti Mauritii Abbatis, qui in his Bri niæ partibus ex oppido de Londuac natus ex medi fortunæ parentibus, & literis in fæculo apprimè imbu pietatem ab ipsa adolescentia coluit: & grandior fa cælesti lumine ductus, mundum deseruit, & in Mon

rio Langoneti recenter conſtructo Monachus factus, triennio à ſua converſione nondum expleto, ob morum ſuorum gravitatem & probitatem in Abbatem ejuſdem loci eſt aſſumptus. Quod onus ſuſcipiens invitus, non pigrè ſibi oves commiſſas rexit, diſcipulos ſuos diſciplinis regularibus informans, vir verbo & opere potens. Transfactis autem quinque luſtris in regimine, jam ſenex factus, cùm ſolitudinem appeteret ut ibidem quietius Deo vacaret, deſertum locum ſibi concedi à Conano Britanniæ Duce poſtulavit, ut in hoc loco ad inſtar emeriti militis ſingulari certamine dæmones vigiliis, jejuniis & abſtinentia, ac ſpiritualibus exercitiis debellaret. Quo obtento, ibidem adeſſe ſine diſcipulis non potuit; concurrentibus enim ad eum quampluribus, quibus ejuſdem Sancti probitas nota erat, in brevi Cœnobium novum conſtruxit, quod Carnoetum vulgari nomine vocavit. Factus autem eorum omnium Abbas, non ſolùm piis operibus floruit, ſed & miraculis innumeris claruit: Nam cùm ob bonorum & prædiorum inopiam, & nimiam loci paupertatem, vinum aliquando Carnoeti Monachi non haberent pro ſacris faciendis, aquam in urceolis & doliis contentam in vinum commutavit, obſeſſoſque plurimos à dæmone ſuis precibus liberavit. Quæ quidem omnia miracula adhuc ad ejus tumulum perſeverant, propter quæ inchoata eſt ejuſdem Abbatis canonizatio, literis hac de re datis à ſummo Pontifice Epiſcopo Coriſopitenſi, nondum tamen perfecta; ipſius verò corpus è terra elevatum, publico cultui expoſitum eſt, & ibidem proprio colitur officio.

In Campania & diœceſi Lingonenſi Dedicatio Baſilicæ Clarevallenſis temporibus ſancti Patris Bernardi Abbatis inchoatæ, eodem in loco quo ipſe orans cæleſtia Angelorum agmina pſallentia per noctem conſpexerat, ſed nondum perfecta niſi poſt ejus obitum.

In Normania & Cœnobio Gomeri-fontis Dedicatio Eccleſiæ ejuſdem loci, ab Archiepiſcopo Rothomagenſi facta anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo vigeſimo quinto; qua de cauſa antiquitùs ipſa die anniverſarium dedicationis recolebatur, ſed nunc in primam Octobris diem tranſlatum, cum omni diœceſi celebratur.

Ibidem in Normania & diœcesi Rothomagensi Dedicatio Ecclesiæ Sanctimonialium B. Mariæ de Thesauro, à Mauritio Archiepiscopo Diœcesano facta anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo ea die, licet anniversarium prima etiam Octobris die cum tota diœcesi celebretur.

Eadem die apud Belgas Consecratio Ecclesiæ B. Mariæ Dunensis, facta à Radulpho Morinensi Episcopo & Ioanne Tornacensi, anno salutis millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, quibusdam signis & miraculis celebris, illuc allata sacra ac miraculosa imagine Christi Domini è Monasterio Sanctimonialium de Monstrolio, ubi adhuc religiosè asservatur, olim Roma huc transmissa, & ipsis Monialibus concessa, omninò Veronicæ sudario simili.

In Germania Dedicatio Basilicæ B. Mariæ Zunetelensis diœcesis Pataviensis alio nomine Claræuallis dictæ.

PRIDIE IDVS OCTOBRIS.

Decimo Quarto Octobris.

IN Picardia diœcesi Noviomensi Dedicatio Ecclesiæ
Maria de Vrsicampo filiationis Claræuallis.

Santerus in Hagiologio Flandriæ. Barnabas de Montalbo & alii.

Apud Claramvallem depositio piæ memoriæ venerabi
Ala, qui ibidem à sancto Patre Bernardo ad habitum O
dinis susceptum, & post plures annos probatæ vitæ in Ri
torii Cœnobium transmissus, ibidem primus Abbas pr
ctus est. In qua dignitate pluribus virtutum exemplis d
discipulis & Monachis suis, ac amplissimis redditibus dot
Cœnobio, ne Monachi inopia oppressi languescerent
disciplina, ad altiora vocatus, electus est Episcopus A
fiodorensis. Quod onus invitus suscipiens, gregem
commissum uberrimis pascuis verbi & operis pavit, e
tisque annis tredecim in regimine, de licentia Sedis
stolicæ præsulatum dimisit, & Claramvallem secedens
dem curis vacuus, quietè ad mortem usque soli Deo
vit, in antiqua sancti Patris Bernardi Cellula morans;
tuusque in senectute bona, sepultus est intra hujus loci
licam.

In Vasconia & Cœnobio Grandisilvæ diœcesis Tolosanæ beatus Bernardus Monachus, qui genere clarus in sæculo, virtute clarior extitit in claustro; pauper namque pro Christo factus, sub Pontio Abbate insigni viro admirandam suis confratribus humilitatem & charitatem imitandam exhibuit. Nullus enim in Conventu scabiosus seu ulceribus infectus fuit, qui Bernardum medicum & adjutorem non habuerit: hac de causa in Calendario Sanctorum Ordinis Infirmarius dictus. Cúmque sic plurimis virtutibus per vitam eluxisset, in extremis positus, sui Abbatis jussu coactus est mira & abdita astantibus renuntiare quæ è cælo didicerat; extinctus verò felici morte suæ sanctitatis tot testes & precones habuit, quot fratres. Exordium Cist. lib. 2. cap. 26. Robertus Rusca in suo Compend.

IDIBVS OCTOBRIS.

Decimo quinto Octobris.

TRebiniaci in Polonia depositio S. Heduvigis Ducissæ, quæ ex Bertoldo Marchione Badensi & Agnete filia Marchionis Orientalis nata, ac literis humanioribus instructa, à teneris annis pietati se dedit. Adolescentula autem facta, Henrico cognomento barbato Silesiæ Duci in uxorem data est à parentibus. Ex quo connubio tribus susceptis liberis, & Henrico conjuge posteà occiso in bello contra barbaros, ad Trebiniacense Cœnobium Sanctimonialium Ordinis quod à fundamentis erexerat, sese recepit. Vbi facta hospite seu Moniali, reservato sibi jure pauperibus subveniendi, plurima charitatis & misericordiæ opera in ægros & inopes exercuit: vitaque celibe & religiosa in Monasterio ducta, ac sanctitate vitæ clara, sanctissimè obiit sub filia sua Abbatissa, ac post mortem albo Sanctorum à Clemente IV. Papa ob frequentia miracula quæ ad ejus tumulum patrabantur, solenni ritu est ascripta anno 1267. & nunc per totum Ordinem celebratur ex decreto Capituli generalis anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo habiti. Martyrologium Romanum. Baronius & alii.

In Burgundia non longè à Lingonis Dedicatio Ecclesiæ de Albaripa sub filiatione Claræyallis.

Cæsarius *lib. 4. historiarum cap. 94.*

In Germania beatus Richuvinus Hemmerodensis Monachus, qui ab initio conversionis suæ multa patienter passus à dæmone, factus est miles Domini strenuus: pluribusque ditatus virtutibus, coronam meritorum suorum in cælo pia morte promeruit; memoratus à Cæsario & Henriqueo ad hanc diem.

In Petragoricis Dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ de Petrosa vulgò *Perouse*.

DECIMO SEPTIMO CAL. NOVEMBRIS.

Decimo sexto Octobris.

Cæsarius *lib. 5. miraculorum cap. 45.* Henriquens *in suo Menologio ad 5. Decembris.*

IN Germania beata Elisabeth Hoüenensis Abbatissa quæ suis precibus animas è purgatoriis locis liberans, viventibus & mortuis proficiebat: orationi verò valdè dedita multa arcana rescire meruit, pluribus illustrata fulgoribus. Revelata autem sibi mortis hora per Angelum piè & sanctè obiit, ac meruit post mortem suarum virtutum preconem habere beatum Iosephum Canonicum Premonstratensem quem per vitam earumdem habuerat testem ocularem.

Seguinus *libro de Archiepisc. Ord. Cist.* Arspheldius *in Historia Eccles. Angliæ 12. sæc. cap. 18.*

In Siria moritur beatus Balduinus Devonius Cisterciensis Ordinis Monachus & Cantuariensis Archiepiscopus, q[ui] ab adolescentia sua Ecclesiastico statui deputatus, & A[r]chidiaconus Oxoniensis factus, pietatem coluit. Vndè pa[u]lò post curarum sæculi pertæsus relicta dignitate, factus Monachus Fordensis, ac tandem pro vitæ ratione Ab[bas]. Hinc autem in dies pro sanctitate notus, ad Episcopat[um] Wigorniensem assumptus est, & tandem ad Archipr[æsu]latum Cantuariensem translatus. Sicque Primas totius [An]gliæ factus, primariam humilitatem & simplicitate[m in] vestibus, cibis & moribus sibi retinuit, & accepto c[rucis] vexillo, ut in bellum sacrum pergeret, ibi post multa b[ona] in pios usus distributa, occubuit Christi miles Tiri in S[yria] ubi sepultus est anno salutis millesimo centesimo non[a]...

mo tertio, & manet aſcriptus hac die Octobris in Calendario Ordinis inter Sanctos, vir olim magnæ eruditionis & ſingularis doctrinæ.

In Bria & Cœnobio Prulliaci diœceſis Senonenſis Dedicatio Eccleſiæ ejuſdem loci ſub filiatione Ciſtercii, & poſt primas quatuor Abbatias primogenitæ.

DECIMO SEXTO CAL. NOVEMBRIS.

Decimo ſeptimo Octobris.

IN Burgundia Dedicatio Baſilicæ Ciſtercienſis Cœnobii cæterarum Eccleſiarum Ordinis matris, cujus quidem Dedicationis anniverſarium hac die recolitur.

Item apud Ambianos in Cœnobio Sanctimonialium de Hiſpania filiationis Ciſtercii ſacratur antiqua Eccleſia, nunc ex parte à Monialibus derelicta, ut ex agro in urbem Abbatiſvillam Cœnobium transferrent, & novum quibuſdam reclamantibus ædificarent.

Eadem die in agro Carnotenſi dedicata eſt Eccleſia Sanctimonialium de Aqua filiationis Ciſtercii, ex parte deſtructa & reparata ſub initio hujus ſæculi ſexcenteſimi, ac benedicta à Reverendo Patre Domno Edmundo à Cruce Ciſtercii Abbate anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio, ad inſtantiam Dominæ Ludovicæ *Hurault* Abbatiſſæ.

Item Toloſæ in Vaſconia moritur beatus Gilbertus Ciſtercii Abbas cognomine Magnus, tum ob dicendi peritiam, tum ob vitæ ſanctimoniam; qui primò Abbas Urſicampi deſignatus, & tandem Ciſtercii, doctrina & virtute claruit, ab anno milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio ad ſexageſimum ſextum, quo mortuus eſt hac præſenti die, Ciſtercium poſt mortem relatus. Ioannes Abbas *in Catalogo SS. Ord. Ciſt.* Arnoldus Vvion. Henriqueus & alii.

In Luſitania Chryſoſtomus à Conceptione inſignis Alcobaciæ Monachus, qui poſt multos exantlatos labores, dies ſuos ſanctè finivit in Cœnobio Vallis-Eccleſiarum, præ- Monumenta domûs. Henriqueus *in theſauro cap. 49. lib. 1.*

visa priùs sua morte longè ante obitum inter horum verborum prolationem, *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.*

DECIMO QVINTO CAL. NOVEMBRIS.

Decimo octavo Octobris.

Traditio. Liber sepulchrorum Clarævallis.

IN Belgio veneratio Imaginis B. Virginis Mariæ in Cœnobio Affligemiensi Ordinis Benedictinorum, quæ sanctissimum Patrem Bernardum clara voce magno miraculo salutasse dicitur, & in hæc verba prorupisse, *salve Bernarde.* In cujus miraculi signum, ibidem Imago illa religiosè asservatur.

In Campania & diœcesi Catalaunensi Dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ de Monasteriis in Argona filiationis Claræ vallis.

Ioannes Abbas *in Catalogo SS. Ord. Cist.* Montalbo *tom. 1. lib. 2. cap. 41.*

In Monasterio Sichemensi beatus Vulchinus Abbas, qui post magnæ sanctitatis experimentum susceptum in Monasterio Valkenrodes, ubi habitum Ordinis induerat, transmissus est in Sichemense Cœnobium noviter exstructum cum duodecim aliis Monachis, quibus verbo & opere præluxit. Aggregatis autem aliis ibidem novis religionis tyronibus, eosdem suæ virtutis hæredes exemplo vitæ suæ fecit & formavit; mortuus cum sanctitatis opinione & ascriptus veteri Ordinis missali inter antiquos ejusdem instituti Sanctos, sicut & in Calendario Sanctorum ad hanc diem.



DECIMO QVARTO CAL. NOVEMBRIS.

Decimo nono Octobris.

IN Provincia Viennensi seu Delphinatus & Cœnobio Bonævallis beatus Amedeus senior, qui genere nobilis & in sæculo Albæ-ripæ Dominus, cùm post ductam uxorem bis & ter, & susceptos liberos, inter quos extitit pietate celebris Amedeus junior Losanensis Episcopus, cùm, inquam, jam à multis annis Religionis propositum & votum haberet, spreto tandem sæculo, veluti alter Bernardus in Bonam-vallem cum pluribus aliis sociis, quos sibi ejusdem voti compotes fecerat, secessit. Susceptoque habitu Monastico, tanta claruit sanctimonia, ut omnibus velut virtutis jubar splendesceret. Tantæ tamen sanctitati invidente diabolo, cùm nimia junioris Amedei, quem secum in Monasterium adduxerat, cura urgeretur senior Amedeus, è Bonavalle in Cluniacum animi levitate sese contulit. Vbi mutato habitu & mitiori regula suscepta, ibidem quosvis pios habitus, quibus priùs præditus fuerat, deposuisset, nisi pristini statûs memor, minus rigidam Cluniacensium vitam attendens, quamcitò in Bonamvallem rediisset. Vbi ad pœnitentiam susceptus, post plures dies ad januam Monasterii magna humilitate transactos, sanctiorem adhuc & strictiorem vitam duxit, senioque fractus, omni virtute coruscans obiit, annumeratus jure inter Ordinis Sanctos post obitum, & ascriptus Calendario ad hanc diem.

Barnabas de Montalbo lib. 2. cap. 35. Ioannes Abbas in Catalogo sanctorum Cist.

Apud Valcellas in Belgio nova dedicatur hujus loci Basilica ab Henrico Rhemensi Archiepiscopo anno salutis millesimo centesimo trigesimo quinto, præsentibus Ioanne Archiepiscopo Mithelenensi, Godefrido Cameracensi, Othone Atrebacensi, & pluribus aliis.

Regalimonte in Gallia ad Isaræ ripas, Dedicatio insignis hujus loci Basilicæ à supradicto Ioanne Mithelenensi Archiepiscopo, præsentibus sancto Ludovico Rege fundatore ac totius Curiæ proceribus, facta anno salutis trige-

ſimo ſexto ſupra milleſimum & ducenteſimum in honorem ſanctæ Crucis anno ſeptimo à fundamentis ejuſdem Eccleſiæ poſitis.

DECIMO TERTIO CAL. NOVEMBRIS.

Vigeſimo Octobris.

Bernardus de Britto *Chronic. tom. 1. l. 6. c. 36.*

IN Luſitania Cœnobio Sanctimonialium de Arouca ſanctitate floruit beata Eliſabeth Monialis, quæ à Deo electa, & ab utero matris ſignis peculiaribus præſignata, & meritis ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ, ut dicitur, obtenta à matre, per totam vitam pietate inſignis extitit. Monialis enim apud Aroucam facta, ita Deo vacavit, ut ſæpè ex nimio Divini amoris ardore, in ecſtaſim raperetur. Imò miraculis rutilans, ſola manûs impoſitione ſeu ſigno Crucis facto, ægros quoſlibet ad eam pro valetudine recuperanda, ex eis vicinis regionibus confluentes curabat. Quæ quidem miracula adhuc poſt ipſius mortem perſeveraſſe dicuntur, ipſa Sanctorum Ordinis aſcripta ad hanc vigeſimam Octobris diem.

In Agro Antiſſiodorenſi Dedicatio Eccleſiæ Pontigniacenſis multarum Eccleſiarum matris.

Item Dedicatio Eccleſiæ Porigniaci diœceſis Vaſconenſis & filiationis Pontigniaci.

Eodem die in Agro Silvanectenſi Dedicatio Baſilicæ Caroliloci à Guarino Epiſcopo diœceſano, præſentibus aliis Epiſcopis Fulcone Toloſano & Gualtero Carnotenſi, olim Ordinis Ciſtercienſis Monachis Grandiſilvæ & Prulliaci.

In Pictavia Dedicatio Eccleſiæ B. Mariæ de Miſericordia-Dei filiationis Pontigniaci, facta anno milleſimo ducenteſimo quarto.

In Picardia & Pontini Comitatu Dedicatio Baſilicæ de Valoliis aliàs de Balantiis ab Adamo Morinorum Antiſtite, celebrata anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſexto, quæ Eccleſia nunc flammis eſt abſorpta.

Eadem

Eadem die Savigniaci in Neustria depositio beati Guillelmi hujus loci Novitii; cujus præclara acta & vitæ innocentiam sæpè miratus est beatus Aymo Magister ipsius, cujusque sacrum corpus felici morte ab anima disjunctum & honorificè sepultum, è terra effossum est, ac decenti cum honore translatum in Basilicam hujus loci, & cum aliis sanctis corporibus repositum; manetque ejus mors ascripta ad hanc diem in Menologio Barberii in Normania.

Monumenta domûs.
Seguinus *in Compendio Sanctorum Ordinis Cist. cap. 69.*

DVODECIMO CALEND. NOVEMBRIS.

Vigesimo primo Octobris.

PEr Ordinem festivitas undecim millium Virginum, quę ad instantiam Magnentii tiranni ex Armorica regione majorem Britanniam petentes, ut ibidem Christianam fidem foverent ac propagarent Christianis connubiis, adverso vento Coloniam versus ductæ sunt. Vbi in ipso Rheni tractu ab hostibus fidei & barbaris militibus Hunis videlicet interceptæ, pro castitate conservanda, & in odium fidei trucidatæ sunt. Proprioque per Ordinem officio coluntur ex Capituli generalis decreto, ad instantiam Domini Archiepiscopi Coloniensis, qui hac de re plura earumdem sanctarum Virginum corpora Ordini concessit; putà sanctæ Bergæ & duarum aliarum Regalimonti; Sanctæ Odæ Argensolio; sanctæ Olivæ apud Malodunum; sanctæ Margaretæ apud Aquam; sanctæ Claræ apud Gaudium propè Compendium; sanctæ Romuliæ apud Gomerifontem; sanctæ Agathæ & sancti Mathiæ earumdem Confessarii apud Vrsicampum; sanctæ Cordubæ apud Paraclitum & Pentimontem; Item ibidem sanctarum Marcianæ, Flaviæ, Honoratæ & Basiliæ; apud Liberam Abbatiam sanctæ Sponsæ; apud Vallem sanctæ Mariæ Sanctarum Vdæ & Gertrudis, quarum ibi fit peculiaris solennitas ipsa die; apud Carolilocum duarum aliarum sanctarum Virginum; apud Lilium propè Melodunum aliarum plurimarum, ad quarum ossa plu-

Monumenta & Chartæ domorum.

res recurrunt ægri ſanitatis causâ; apud ſanctum Antonium ſanctarum Chriſtinæ & Bleſinæ.

Monumenta domûs.

In Leodio Ioannes Abbas Alnenſis quem ex Epitaphio pro juſtitiæ zelo mortuum conſtat, uti annotavit Henriquecus ad diem 26. Octobris.

Bernardus de Britto *Chronicis tom. 1. lib. 2.*

Apud Luſitanos beatus Alanus ſancti Patris Bernardi diſcipulus, qui è Claravalle tranſmiſſus in Cœnobium ſancti Ioannis de Tarouca, multa ſanctitate floruit, & cujus acta ſunt deſcripta à Britto authore Luſitano & ab Henriqueco ad hanc diem.

Arnoldus *in Martyrologio.* Muræus, Montalbus & alii.

In Livonia beatus Bertholdus Monachus de Luka & in Livonia Epiſcopus, qui infidelium converſionem nimio fervore exoptans, proprium Germaniæ ſolum, Domum, & Cœnobium deſerens de licentia Superiorum, ſeu Galcheri Ciſtercii Abbatis & Honorii III. inſtantia, in Livoniam eſt profectus, ad propagandam fidem verbis potius quàm armis, ubi plurimos ad fidem adduxit Chriſtianam. Tandem ab aliis infidelibus agitatus & vexatus, inter militum turmas poſt varios & multiplices exantlatos labores occiſus occubuit, ſanguinem & vitam pro Chriſti Domini nomine libenter effundens. Extatque B. Bertholdus inter præcipuos Livoniæ Epiſcopos & Apoſtolos, aſcriptus in Calendario Ordinis ad hanc diem.

VNDECIMO CAL. NOVEMBRIS.

Vigeſimo ſecundo Octobris.

IN Picardia & diœceſi Bellovacenſi Dedicatio Eccleſiæ B. Mariæ de Frigido-monte filiationis Vrſicampi & Claræ vallis.

Arnoldus *in ligno vitæ.* Montalbus *in Chronicis.* Henriqueus *ad 23. Martii.*

Apud Armoricos obiit piæ memoriæ Ruandus Epiſcopus, qui ex Monacho Ordinis Ciſtercienſis ad Epiſcopatum Venetenſem ſublimatus, multis virtutibus claruit, meruitque ut poſt obitum nomen ejus dipticis Ordinis & Calendario Sanctorum hac die insereretur.

Vita ejus M.S.

In Belgio B. Henricus Villarii Converſus, qui Bruxellæ

natus & literis humanioribus instructus, ex vitæ dissolutione scholas dimisit. Nuptiarum autem avidus ac proximus, cùm cognatos suos Villarienses inviseret, ante nuptias corde compunctus, eorum modestia & sæculum & sponsam deseruit. Factus tandem Conversus apud Villarium tanta excelluit pietate, ut plures per diem ecstases pateretur inter orandum: & sic clarus virtutibus & miraculis post plures ægros sanatos manuum impositione, & ostensam patientiam admirandam in ægritudine, obiit, ad hanc diem Menologio ascriptus.

Arnoldus de Raisse in Auctario ad Molanum.

DECIMO CALEND. NOVEMBRIS.

Vigesimo tertio Octobris.

IN Germania & Cœnobio Sanctimonialium sanctæ Vualburgis B. Richmunda Monialis; quæ pro pietate variis illustrationibus irradiata, ipsum Regem Angelorum Christum Dominum recenter natum, non sine magna animi jubilatione per spiritum aliquando conspicere meruit: eundemque Christum in tremendis altaris mysteriis gloria coruscantem, & Ecclesiam totam illustrantem, advertit. Cùm verò vigiliis, jejuniis & aliis corporis pœnalitatibus fracta esset, meritis pluribus cumulata perrexit ad cælos, relicta corporis sarcina in terris; cujus nomen ascriptum manet in communi Sanctorum Catalogo Ordinis ad hanc diem.

Calendarium SS. Ordinis Cisterc. Henriquez in suo Menologio ad hanc diem.

In Francia & finibus agri Parisiensis Dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ de Vallibus olim Sartensibus nunc Cernaii filiationis Savigniaci & Clarævallis.

In Burgundia B. Mansuetus Molismi, qui sub sancto Patre Bernardo cum aliis Ordinis Cisterciensis Patribus è Molismo Cistercium transiens pro strictiori observantia, ibidem novum Ordinem instituit, & multis virtutibus claruit: ac mortuus post plures exantlatos labores, coronam quam suis piis operibus consequutus fuerat, obtinuit: annotatus inter Ordinis Beatos apud Ordinis authores.

Seguinus in Catalogo SS. Cist.

NONO CALEND. NOVEMBRIS.

Vigesimo quarto Octobris.

IN Valesia Provincia Galliæ consecratur insignis Basilica totius Ordinis amplissima & sumptuosissima in his Galliæ partibus B. Mariæ de Longo-ponte anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo septimo, à Iacobo Episcopo Suessionensi & Diœcesano, præsentibus sancto Rege Ludovico è suo sacro redeunte, & serenissima Blanca Regina ejus Regis genitrice, ac cæteris regni proceribus.

In Gallia Belgica & agro Noviomensi Dedicatio Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Libera Abbatia filiationis Claræ-vallis.

In Britannia Dedicatio B. Mariæ de Villanova ad annum millesimum ducentesimum vigesimum quartum, præsentibus septem hujus provinciæ Episcopis.

In Cenomania Dedicatio B. Mariæ de Campania filiationis Savigniaci & Claræ-vallis à Guillelmo Cenomanensi Antistite, peracta anno reparationis mundi millesimo ducentesimo sexagesimo quarto.

In Picardia apud Bellovacum dedicata est Ecclesia B. Mariæ de Bello-prato filiationis Vrsicampi & Claræ-vallis.

OCTAVO CALEND. NOVEMBRIS.

Vigesimo quinto Octobris.

Monumenta Aureæ-vallis. Henriquez *in Menol. ad hanc diem.*

IN Belgio & Cœnobio Aureæ-vallis memoria Reverendi admodùm & pii Patris Doctoris Theologi ac Abbatis Claræ-vallis Dionysii *Largentier*, qui à primis adolescentiæ suæ annis suscepto habitu in Monasterio eodem Claræ-vallis, post tyrocinia religionis & studia Theologiæ perfecta in Collegio Bernarditarum apud Parisios, de manda-

to Abbatis Cistercii Romam missus, communia Ordinis negotia apud Summum Pontificem ritè gessit. Hinc autem cura ejusdem Abbatis Cistercii Tironelli electus Abbas & Charmeyæ nominatus, tandem Clarævallis communi fratrum suffragio est sublimatus. In qua dignitate post aliquos regiminis annos corde compunctus, & sanctæ reformationis miro fervore ac zelo succensus, proprium Claravallense Cœnobium & alia quamplura suo exemplo ad primum Ordinis rigorem reduxit, multo tamen cum labore. Nec dubium quin alia, imò totum Ordinem in disciplina collapsum restaurasset, nisi morbo præventus apud Aureamvallem, dum Cœnobia suæ filiationis visitaret & eorum reformationi incumberet, apoplexi seu letargia obiisset: ibidem sepultus, ubi etiam pluribus signis & miraculis claruisse dicitur. Cor verò ejus in Claramvallem relatum, ibidem in claustro Capituli est tumulatum.

In Germania sævientibus Hæreticis, quamplurimi Monachi in odium fidei trucidati sunt, ascripti hac die Calendario Sanctorum Ordinis sub numero vigenti seu quadraginta sex Monachorum Martyrum.

Manrique *in Calendario SS. Cist. hac die.*

SEPTIMO CALEND. NOVEMBRIS.

Vigesimo sexto Octobris.

IN Hispania sanctus Bernardus Abbas de sanctis Crucibus & Episcopus Vicensis, qui post susceptum Ordinis habitum & plures à professione Monastica transactos annos in omni virtute, pro merito vitæ Abbas est præfectus, ut cæteris doctrinæ suæ & virtutis exemplo præluceret. Notus autem per totam regionem, expostulatus in Episcopum Viguensem, authoritate Apostolica onus suscipere cogitur. In qua quidem dignitate extitit vir verè Apostolicus, qui boni Pastoris munia obiens, singulis diebus Dominicis ad populum concionem habebat; pupillos & viduas tuebatur; ægris subveniebat; pecunias pauperes, scholares eleemosinis juvabat; egenas Virgines suis sumptibus dotabat

Monumenta hujus domûs & Ecclesiæ Vicensis. Antonius Vincentius *de Sanctis Cataluniæ lib. 2.*

ut matrimonium castum inirent; Diœcesim propriam sæpè sæpius visitabat; castitate quoque angelica pollebat. Cum enim in ipsum aliquando nonnullæ mulieres nimis curiosæ & non ita pudicæ oculos injecissent, & pulchritudinem ejus multis laudibus extollerent, ipse in seipsum sæviens & indignatus, lapide sibi dentes confregit. Leves quoque culpas puniens nec sibi parcens, cingulo ferreo ita proprios artus constringebat, ut sibimet vulnus produxerit. Divinitùs tamen & per oraculum monitus à tanta severitate desistere, coactus est corpori delicato & vulnerato parum indulgere. Cæterùm cùm pluribus fulgeret miraculis, sæpè domum adiens, populum obvium habebat, campanis urbis pulsantibus sine ullo mortalium adminiculo. Fertur etiam & ipsum tribus uvarum racemis dolia domûs suæ vacua vino replevisse, & multis pauperibus ex eo subvenisse, panesque egenis distributos, etsi paucos, magno miraculo multiplicasse, non sine astantium stupore & admiratione. Innumeris autem piis operibus ditatus, mortuus est in senectute bona, anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo tertio; multis adhuc post obitum coruscans miraculis, ita ut centum & amplius prævia juris informatione autenticè comprobata, in archivis Ecclesiæ Viguensis facta legantur, & ejus festum ab his temporibus officio Ecclesiastico in Ecclesia sua Viguensi celebratur.

In Portugallia & diœcesi Lamensi dedicata est Ecclesia B. Mariæ de Salseda.

In Picardia & Cœnobio B. Mariæ de Gardo non longè ab Ambianensi civitate dedicatum est sacellum infirmitorii hujus loci.

Tabula Alnensis. Apud Alnam in Leodio quidam Monachus hujus loci dicitur pro justitia occisus.



SEXTO CALEND. NOVEMBRIS.
Vigesimo septimo Octobris.

IN Germania beatus Menfredus Eberbiaci Monachus seu in Rumbaneto Cœnobita, vir in Deum eximiæ pietatis, in seipsum mirandæ austeritatis; qui Cœnobium suum inter ingruentes tumultus subortos ex schismatis Friderici Imperatoris, mira prudentia conservavit incolume, factusque dæmonibus terribilis in virtutis odium, & sanctis familiaris ac spiritu Prophetico celebris, ex hac luce meritis plenus, ad æternam vitam migravit Calendario Sanctorum Ordinis hac die Octobris ascriptus. Liber illustrium Ord. Cist. dist. 5. cap. 7. Calendarium Ordinis.

In Gallia diœcesi Silvanectensi & Cœnobio B. Mariæ de Parco-Dominarum depositio piæ matris Catharinæ *Fiessé* ibidem Monialis, quæ sub fine quintidecimi sæculi nata ex honestis & piis parentibus, & in pietate ab infantia educata, vitam piam in sæculo duxit: anno verò vitæ suæ duodecimo aut circiter ducta ad ejus instantiam in Cœnobium de Parco-Dominarum, purissimam vitam egit, in habitu quidem sæculari per plures annos, sub voto tamen castitatis & obedientiæ simplici. Facta autem quinquagenaria aut circiter, ad habitum religionis suspirans, post plures preces ad probationem admissa est, ac tandem ad professionem solennem. Subtilis quidem ingenio, sed sensu proprio voluntariè destituta & humilis: Cui nulla alia virtus deerat, sed instar sapientis Virginis, maximè prudens & discreta erat; semper Deo præsens; Sororibus suis amabilis; charitate plena in proximum; & zelo amoris Dei ita succensa, ut continuè ad unionem cum Deo suspiraret. Multis gravissimis morbis afflicta ex corporis deformitate & contractione, patientia extabat illustris; Imò pluribus cumulata gratiis, ne dicam, illustrationibus è cælo irradiata, pia morte finiit, vigesimi septimi Octobris nocte præcedente anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo quinquagesimo, ætatis suæ Monumenta hujus domûs.

ſexageſimo aut circiter, ſepulta in clauſtro, Sororibus è Monaſterio per bella abſentibus.

QVINTO CALEND. NOVEMBRIS.

Vigeſimo octavo Octobris.

Bernardus de Britto *tom. 1. lib. 4. cap. 35.* Liber illuſtrium Ordinis Ciſterc.

IN Claravalle depoſitio beati Simeonis olim Abbatis Caziaci Benedictini Inſtituti ac poſteà Monachi Claræ-vallis, qui cùm adhuc vivente ſancto Patre Bernardo habitum Ciſtercienſem induendi deſiderio arderet, & ipſi denegaret ſanctus Pater, quòd multùm ſuo gregi proficeret, ipſo mortuo quod animo conceperat à multis diebus, executioni demandavit. Nam abdicata dignitate Abbatiali, factus eſt humilis in Claravalle Monachus; ubi per ſeptem annos indefeſſo ſtudio virtutum paleſtram decurrit, vitam Angelicam ibidem ducens. Totus autem in Deum intentus & ſui penitùs immemor, meruit poſt obitum cælos conſcendere, & in terris virorum illuſtrium albo inſcribi, audita ut dicitur in ejus obitu Angelorum harmonia.

Monumenta hujus domûs. Henriquez *in Menologio ad hanc diem.*

In Brabantia beatus Egbertus Villarii Converſus, qui gravi ruptione viſcerum vexatus, patientiæ admirandæ exemplum dedit: aliorum verò morbis compatiens, prout poterat eis ſubveniebat. Studens autem preſſis veſtigiis Sanctorum Ordinis inhærere, factus eſt de die in diem illuſtrior, & viſionibus clarus ac virtute celebris, felici obitu perrexit ad Chriſtum, annotatus in Menologio ad hanc diem.

QVARTO CALEND. NOVEMBRIS.

Vigeſimo nono Octobris.

IN Italia diœceſi & urbe Cremonenſi Dedicatio Abbatiæ S. Mariæ Magdalenæ Sanctimonialium Ordinis Ciſtercienſis.

Monumenta hujus domûs.

In Hiſpania & Cœnobio de Sacris-Menibus B. Ioannes Converſus.

Converſus, qui ab adoleſcentia ſolitariam vitam eligens, ibidem duxit auſteram, aquâ ſolâ & arido pane victitans; undè vulgò Ioannes pan-y-aqua, eſt nominatus, ſic itaque jejuniis & aliis corporis caſtigationibus domans carnem, miraculorum dono eſt inſignitus, tam in vita quàm poſt mortem; coliturque tanquam Sanctus à peregrinis, & ejus oſſa publico cultui exponuntur.

Henriqueus *in Menol. ad 14. Decembr.*

In Belgio B. Ida de Leuvis virgo Monialis apud Rameyam, quæ variis illuſtrata gratiarum donis, intima cordium cognoſcebat; infirmis ſanitatem reſtituebat; afflictis ſolatium & levamen impendebat, ac denique in oratione ecſtaſes patiens, plerumque non ſine aſtantium ſtupore cæleſtes ſpiritus ſibi familiares habebat, eiſdem juncta poſt mortem in cælis, manet in terris aſcripta Menologio ad hanc diem.

Vita ejus in M S. Rubra-valle. Miræus. Arnoldus de Raiſſe, & alii.

TERTIO CALEND. NOVEMBRIS.

Trigeſimo Octobris.

IN Claravalle B. Gerardus Farfenſis, qui Benedictini Inſtituti Monachus, in Italia de mandato proprii Abbatis ut verus obediens in Gallias venit, ut cum S. Patre Bernardo quædam monaſtica negotia pertractaret, & de conſtituendo Ordinis Monaſterio in Italia ageret. Audita tamen Abbatis ſui morte, de ſuſcipiendo habitu Ordinis apud proprium Cœnobium deſperans, ibidem in Claravalle remanſit; ibique Monachus factus, magna virtute refulſit, crebrò ab Angelis viſitatus & illuſtratus. Mortuus autem piè & ſanctè uti vixerat, ſepultus eſt in clauſtro Clarævallis intra murum cum quibuſdam aliis Beatis.

Vincentius Bell. *lib. 29. cap. 31.* Cæſarius *lib. 8. cap. 78.* & alii.

In Brabantia beatus Raynerus Villarii Monachus, corpore quidem debilis & infirmus, ſed patientia fortis, ſeverus in ſeipſum, aliis verò benignus & mitis, nunquam abſens à choro. Cùm autem aliquando egeno cuidam ſuam veſtem dediſſet de licentia Abbatis, ſe in brevi moriturum divinitùs reſcivit: & ſic meritis clarus, in Domino obdormivit, annotatus ad hanc diem in Menologio.

Vita ejus ibidem M. S.

PRIDIE CALEND. NOVEMBRIS.

Trigesimo primo Octobris.

Catalogus sanctorum Poloniæ. Henriquecus *ad hanc diem.*


IN Polonia beatus Ladislaus Conversus vir simplex ac timens Deum, qui specialis cultor existens B. Virginis, suæ sanctitatis signa patentia & in vita & post mortem reliquit; memoratus ab antiquis Ordinis authoribus. Inter quos non infimæ notæ fuit Cæsarius Heysterbacensis Historicus in suis dialogis, ubi hujus pii viri virtutes & acta refert.


Seguinus *in suo Compendio Ordinis sanctorum.* Cæsarius *lib. 11. miraculorum cap. 55.*

In Monasterio de Bechburc venerabilis Iutta virgo Monialis, quæ sæculi delitiis dedita, per miraculum conversa est. Suscepta autem Monastica veste, animum meditatione, lectione, cælestiumque rerum contemplatione pavit: & sic multis titulis virtutum celebris, cum sponso Christo ad cælestes nuptias ingressa est, post obitum ascripta ad hanc diem in Menologio.

Cæsarius *lib. 12. cap. 45.*

In Germania beatus Apollonius Monachus, qui per quadraginta annos Christo Domino intra claustrum famulatus, meritis & virtutibus decorus extitit. Mortuus verò post plura pietatis opera cuidam viro gloriosus apparuit, memoratus apud Cæsarium in historia sua & in Menologio ad hanc diem.





MENSIS NOVEMBRIS.

CALENDIS NOVEMBRIS.

Primo Novembris.

FESTIVITAS Sanctorum omnium Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum atque Sanctarum Virginum per totum Ordinem celebratur cum octavis ſolennibus.

Item Commemoratio omnium ſanctorum, Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, Priorum & Prioriſſarum, Monachorum & Sanctimonialium, omniumque Ordinis noſtri perſonarum ac militum ſub legibus Ciſtercienſibus, imò & Familiarium Ordinis. Quorum quidem jam plures publica Eccleſiæ authoritate albo Sanctorum aſcripti ſunt: multi veró miraculis inſignes & olim probis moribus illuſtres, tacito populorum conſenſu Eccleſiaſtico officio coluntur. Plurimi tandem Deo noti & hominibus ignoti, Sanctorum gloria perfruuntur in cælis, dum eorum corpora tam in Cœmeteriis, quàm in clauſtris requieſcunt. Quorum omnium feſtivitas ſeu ſolennitas, addecimam tertiam hujus menſis Novembris transfertur, propter diem impeditam præſentis ſolennitatis.

Monumenta & tabulæ hujus domûs.

In Claravalle Elevatio Corporum sanctorum Monachorum, Conversorum & Novitiorum, qui sub sancto Patre Bernardo Abbate in Claravalle suscepti, felici fine post sanctam vitam quieverunt; sepulti quidem primò in veteri Cœmeterio Clarævallis, posteà verò die ipsa Sanctorum omnium, anno reparatæ salutis millesimo centesimo quadragesimo aut circiter, cum laudibus, precibus & hymnis in Cœmeterium novæ Abbatiæ asportati sunt. Quas quidem audiens sanctus Malachias ibidem hospes & proximè moriturus, cælesti jubilatione repletus est, jam futuræ gloriæ delitias degustans.

Tabulæ hujus Ordinis.

In Hispania sacra Calatravæ Militia à beato Raymundo Fiterii Abbate instituta, hac die ab Alexandro IV. summo Pontifice confirmatur.

Monumenta & traditiones hujus Cœnobii.

In Arouca Cœnobio Sanctimonialium apud Lusitanos beata Spinela, genere quidem nobilis, sed virtutum splendore clarior; quæ ibi suscepto Ordinis habitu & virginum velo, palęstram virtutis decurrit. Sed sancto fine consummata, ad Christum sponsum cum lucida Sanctorum operum lampade meruit pervenire: & in ejus transitu Angelorum melos auditus est, magna cum astantium admiratione.

QVARTO NONAS NOVEMBRIS

Secundo Novembris.

Decreta Capit. gener.

Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, & præsertim omnium Monachorum, & Monialium nostris Cœmeteriis & Basilicis quiescentium ac in purgatoriis locis pœnas delictorum suorum luentium. Pro quibus omnibus à quolibet nostrûm, Psalterium ex integro ea die sive præcedenti recitatur, & per totum annum decem alia Psalteria à junioribus, nondum sacerdotali gradu initiatis, sunt recitanda, & à sacerdotibus viginti sacra facienda.

S. Bernardus. Martyrologium Romanum.

In Claravalle depositio sancti Malachiæ Archiepiscopi, qui parentibus Catholicis in Hibernia natus, & à juventute

pietati deditus, Imarum Eremitam Magistrum elegit. Sub cujus disciplina ita profecit, ut facto rumore ejus sanctitatis, in sacerdotem, etiam renitens, à vicino Episcopo fuerit promotus. In qua dignitate concionibus ad populum occupatus, non mediocrem animarum segetem collegit. Hinc factus Episcopus Dublinensis, non nisi invitus onus suscepit. Qui cùm verbo & opere proficeret gregi, populum Clerumque ad sanctiores mores, malis sublatis habitibus, reduxit. Celso autem expirato Ardinathensi Archiepiscopo & totius Hiberniæ Primate, ab eodem paulò antè mortem in successorem designatus, successit, ut ambientibus dignitatem, & sanctuarium Dei hæreditate possidere volentibus, mos amputaretur. In qua tamen re non parum laboravit Malachias; multaque hac de causa opprobria, injurias & insidias ab iniquis hominibus accepit. Reformatis tandem barbarorum illorum hominum moribus, sicuti priùs proposuerat, Archiepiscopatum honesto cuidam & probo sacerdoti resignavit, ut priorem suum præsulatum tenuioris redditûs resumeret. Intra quem constructo Cœnobio, & viris religiosis ibidem institutis, cum iisdem piè vixit. Suscepta autem peregrinatione in Italiam & Romam, pro suæ Ecclesiæ ac totius Hiberniæ negotiis, per Claramvallem transiit, ubi colloquio habito cum S. P. Bernardo sibi amicissimo, multùm confortatus est. Verùm magno succensus religionis desiderio, iter prosequens, à summo Pontifice Eugenio III. onus Episcopale deponendi licentiam impetrare tentavit, sed minimè obtinuit. Nam Eugenius audito Malachia & ejus legatione ac petitione, peculiari favore propriam infulam capiti illius imposuisse dicitur, ipsum summo Pontificatu digniorem, quàm unius privatæ Ecclesiæ præsulatu innuens. Imò Malachias per Hiberniam summi Pontificis Legatus creatus, in patriam redire coactus est, quibusdam ex suis discipulis apud Claramvallem relictis, ut ibidem institutis monasticis possent informari, ac posteà quæ ibi didicerant, apud Hibernos docere valerent. Transactis autem quibusdam annis adhuc in Præsulatu intra Hiberniam, & habitis pluribus Synodis pro Ecclesiæ restauratione, Romam iterùm redire compellitur, ut super

quibuſdam dubiis ſummum Pontificem conſuleret. Sed cùm in itinere paululùm apud Claramvallem hoſpitatus fuiſſet, ipſa die ſancto Lucæ ſacra, poſt ſolennia miſſarum celebrata, in morbum incidit. Quo ingraveſcente, & cognita ſuæ mortis hora, Sacramentis Eccleſiæ muniri voluit, præſente S. P. Bernardo: & ſic inter Fratrum *Claræ*vallenſium gemitus ac ſuſpiria, in loco tam ab eo peroptato, beato fine quievit; ſepultus retro majus altare è *regione* S. P. Bernardi, ut quemadmodum in vita ſua ſeſe dilexerant, ita nec in morte eſſent ſeparati. Feſtum ejuſdem Sancti alia die celebratur, quòd præſens memoria *defunctorum* Fidelium ſit impedita.

TERTIO NONAS NOVEMBRIS.

Tertio Novembris.

Praxis Ordinis.

FEſtivitas ſancti Malachiæ Archiepiſcopi Hiberniæ in hanc diem ob impeditam præcedentem tranſlata. Cuius quidem ſancti Archipræſulis gloria & felicitas ita S. P. Bernardo in ipſis exequiis revelata & demonſtrata fuit in ſpiritu, ut inter miſſarum ſolennia pro ipſo celebrata, ſub fine, Collectam ſive orationem de Communi Sanctorum Confeſſorum poſt communionem, omiſſa illa defunctorum, recitaverit, præſente Clarævallenſi cœtu.

In Campania & Cœnobio Trium-fontium feſtivitas ſancti Huberti Epiſcopi Vltrajectani, cujus ſacræ quædam Reliquiæ ibidem aſſervantur.

Hac quoque die Dedicatio Eccleſiæ B. Mariæ de Bellobeco in Normania & diœceſi Rothomagenſi. Quæ quidem Eccleſia licet dedicata fuerit præcedenti die, anniverſarium tamen dedicationis tranſlatum eſt in præſentem, ob impeditam illam defunctorum ſolenni commemoratione.



PRIDIE NONAS NOVEMBRIS.
Quarto Novembris.

Apud Portzetum Sanctimonialium Cœnobium in agro Limburgensi non longè ab Aquisgrano depositio beati Gregorii hujus loci primi Abbatis & fundatoris, olim Monachorum Cœnobii nunc Monialium. Qui Gregorius genere nobilis Nicephori Bisantii Imperatoris filius ac Theophaniæ Othonis II. uxoris frater, totus pietati deditus, Monasticam vitam amplexus est sub Abbate Pachomio. Cujus jussu ad sacros Ordines promotus, posteà à Saracenis fuit interceptus, & usque ad mortem graviter vulneratus. Cùm autem variis fulgeret miraculis, de consensu Superiorum Romam adiit, ubi sancti Salvatoris Cœnobium construxit, sumptibus sororis suæ Theophaniæ. Belgium verò reversus, aliud Portzetum dictum pro Monachis extruxit. Quibus præfectus, piè & sanctè vixit: ac tandem post multos exantlatos labores & magnam vitæ austeritatem obdormivit in Domino, in eodem Cœnobio sepultus.

Monumenta hujus domûs.

In Germania Hemmerodensi Cœnobio beatus Henricus Conversus; quem sanctitate clarum, Deipara virgo, Angeli & alii cælestes spiritus quibus peculiari cultu magis erat addictus, visitare dignati sunt, variis apparitionibus eidem factis. Ipse autem dæmonibus infensus, eum pluribus malignis suggestibus tentantibus, suis precibus eosdem longè à se fugabat. Christo verò carus, sub speciebus panis & vini in sacra Eucharistia ipsum sub figura pueri decori & conspicui videre meruit: imò verò Spiritum ipsum sanctum sub columbæ specie super ipsum Christum descendentem suspexit. Qua visione recreatus, non exigua perfusus est gratiæ unctione. Multis autem præclaris operibus cumulatus, è vita mortali ad æternam est sublatus, & ad cælestes nuptias & epulas invitatus, cum Christo sponso tanquam virgo vivere meruit; ascriptus hac die in Catalogo Sanctorum Ordinis.

Cæsarius *in suis Dialogis.* Barnabas de Montalbo *in Chronicis.*

Barnabas de Montalbo *tom. 1. lib. 2. cap. 31.* Henriquez *in Menol. ad 3. Novemb.*

In Hibernia beatus Christianus Episcopus Dunensis, qui factus sancti Malachiæ & S. P. Bernardi discipulus, ac apud Claramvallem Monachus, ibidem piis suis operibus Galliam illustravit. Reversus autem in Hiberniam, primò promotus est in Abbatem Mellifontis; successu verò temporis, fama facta sanctitatis suæ, electus est in Episcopum Dunensem. In qua dignitate sese piè gessit, gregis saluti sedulò invigilans. Meritis tandem plenus, viam universæ carnis felici morte ingressus est, ascriptus cum aliis Ordinis Beatis.

NONIS NOVEMBRIS.

Quinto Novembris.

Monumenta domûs Dun. Meyerus & alij.

IN Belgio venerabilis Kacquetus ex Decano sancti Donatiani Burgensis Monachus Dunensis, ac posteà pro merito Abbas primus Dustanus seu Capellæ Thesanæ; ubi quamplurimis virtutibus clarus emicuit. Revocatus autem ad Dunensem Ecclesiam ut Abbas præesset, suæ pietatis exempla ibidem quamplurima reliquit: mortuus cum sanctitatis opinione, & juxta sanctum Idesbaldum sepultus. Memoratur in Henriquei Menologio ad quartam Novembris.

OCTAVO IDVS NOVEMBRIS.

Sexto Novembris.

Barnabas de montalbo *in Annal. lib. 2. cap. 41.* Arnoldus de Raisse *in Auctario ad Molanum.*

IN Germania & Monasterio Bebenhasano beatus Guisbertus Prior, qui ante monachatum adhuc in sæculo versans, ita deditus est pietati, ut in omni re, sive in vestibus, sive in cibis, sive in conversatione, deliciis quibusvis renuntiaret. Monachus verò factus, severior adhuc in seipsum extitit, non solùm à carnibus ex Regulæ præscripto abstinens, sed & in vino aqua potum temperans, ut sic ca-

stigata

ſtigata carne, ſpiritus vegetior fieret, & faciliùs ac liberiùs Deo vacaret, rerumque cæleſtium contemplationi ardentiùs inſiſteret. Silentii quoque, jejuniorum cæterarumque regularium obſervantiarum amator exiſtens, factus eſt meritò aliorum rector & paſtor, non tam authoritate & dignitate, quàm exemplo & virtute. Eoque munere tam ritè perfunctus eſt, ut jure poſt obitum, in Sanctorum Ordinis ſerie hac die meruerit annotari, tam in recenti quàm in veteri Catalogo Sanctorum Ordinis.

In Hibernia beatus Vdardus Cuprenſis Cœnobii Monachus, humilitate, pietate ac charitate conſpicuus, & pro vitæ merito, ad Brechinenſem Epiſcopatum ſublimatus. In qua dignitate multùm floruit: poſtmodùm verò corporis ſarcina depoſita, ad cælos evolavit, jure aſcriptus inter beatos Ordinis ad hanc diem.

Arnoldus Vvion in ligno vitæ lib. 1. cap. 46. & alii.

SEPTIMO IDVS NOVEMBRIS.

Septimo Novembris.

IN Pago de Rameſia inter Belgii fines, paſſio pii Patris Pauli Lamps Monaſterii B. Mariæ de Boneffia Monachi, humilitate ac pietate inſignis. Qui inter flammas ſui Monaſterii à novæ Religionis ſectatoribus & hæreticis, ſub Duce Auriaco in ipſo Rameſiæ pago comprehenſus, in odium ſacerdotii & Religionis veræ, primò Monachali veſte exutus, cruci eſt affixus, & poſteà laqueo aſtrictus, cùm adhuc pauliſper reſpiraret, ſclopetis impetitus martyr occubuit. Sacrum ejus cadaver in Cœmeterio memorati pagi telluri mandatum eſt, & nomen ejus inſertum Catalogo Sanctorum Belgii.

Arnoldus de Raiſſe in Auctuario SS. Belgii. Henriquez in ſuo Menologio ad hanc diem.

In Claravalle B. Gaudefridus Virdunenſis, qui piè in ſæculo educatus, à juventute pietatem coluit: & hinc factus quaſi per miraculum Monachus cum Andrea ejuſdem Eccleſiæ Virdunii Archidiacono, multis eſt illuſtratus meritis & virtutibus; aſcriptus ad ſequentem diem in Menologio.

Bernardus de Britto tom. 1. Chron. lib. 4. diſt. 13. Barnabas de Montalbo parte 1. Chron.

SEXTO IDVS NOVEMBRIS.

Octavo Novembris.

Exordium Cistercienſe *lib. 2. cap. 24.* Ioannes Abbas *in Catalogo SS. Ord.* & alii.

IN Claravalle Beatus Godefridus Epiſcopus Lingonenſis, qui inter primos ſancti Patris Bernardi diſcipulos, ibidem apud Claramvallem ad Ordinis habitum ſuſceptus, & cum illo apud Ciſtercium primò converſatus, & Monachus factus, ut eidem ſecundum carnem erat propinquus, multùm ſtuduit conformari. Magna enim vitæ ſanctimonia floruit; undè Fontanetum recenter conſtructum tranſmiſſus, primus Abbas eidem præfectus eſt à ſancto Bernardo, etſi invitus. Non diu tamen præeſſe voluit; abdicata enim præfectura, illicò Claramvallem rediit, & nova adhuc ibidem virtute emicuit. Vndè Prior Clarævallis conſtitutus, abſente ſancto Patre Bernardo, & in Curia Romana pro Eccleſiæ negotiis verſante, Godefridus Clarævallenſes & alia Cœnobia pendentia pacificè rexit, ita ut poſteà S. P. Bernardo reverſo, multis meruerit laudibus extolli ob ſtrenuum regimen. Sicque toti regioni notus, electus eſt in Epiſcopum Lingonenſem, alio Pſeudomonacho Cluniacenſi deturbato. Renuens tamen electioni aſſentire Godefridus, propter ipſum S. Bernardum coactus eſt onus ſuſcipere. In qua quidem dignitate novum ſibi vivendi genus perfectiuſque præſcripſit; priſtinum enim Ordinis rigorem non deponens ſed potiùs augens, cùm continuè ad ſolitudinem Clarævallis ſuſpiraret, Bernardo mortuo, & cùm nullus amplius eſſet qui eum gravi authoritate in dignitate contineret, petita pluries licentia cedendi à ſummo Pontifice & tandem obtenta, ceſſit poſtquam multas Cœnobiorum fundationes procuraſſet, & alia pia opera expleſſet. Reverſus autem in Claramvallem, ibidem ad mortem uſque in ea cella lignea, vbi S. P. Bernardus obierat, ſeſe incluſit: erectoque juxta cellam ſacello, ibi velut alter Moyſes in monte ſtans, ſeu potiùs in valle ſedens, cum Deo con-

tinuum habuit consortium. Mortuus tandem in senectute bona, sepultus est intra Basilicam ante aram sancto Salvatori sacram hac præsenti die, ut fert ejus Epitaphium & recens Ordinis Calendarium.

In Bavaria & diœcesi Ratisponensi Dedicatio Basilicæ B. Mariæ de Valdsasso à suffraganeo Episcopo solenni ritu peracta.

QVINTO IDVS NOVEMBRIS.

Nono Novembris.

VIllarii in Brabantia beatus Nicolaus ejusdem loci Conversus, vir quidem corpore parvus, sed mente & ingenio magnus, qui tantùm semel in die cibum sumebat, & carnem die ac nocte cilicio domabat, humi decumbebat, & plerumque orationi vacabat. Cùm autem per quinquaginta annos in omni vitæ probitate intra claustrum vixisset, feliciter in Domino obdormivit, meruitque in obitu plures animas è purgatorio igne suis precibus & meritis liberare, sicut cuidam pio viro visione demonstratum est.

Chronicon Villariense. Arnoldus de Raisse *in Auctuario ad Molanum 6. Decemb.*

QVARTO IDVS NOVEMBRIS.

Decimo Novembris.

IN Claravalle beatus Alquirinus Monachus, qui in arte medicinæ in sæculo peritus, pauperum ægrorum sublevationi curam omnem impendebat. Nec solùm ipsorum morbos & livores sanabat, sed & languentium putrida membra tanquam Christi vulnera propriis manibus attrectabat. Sobrius autem in victu, in vestibus humilis & pauper, in seipsum severus, & in alios temperatus, tanta sanctitate floruit, ut cælestibus promissis in vitæ discrimine & fine recreatus, nutu & verbo, præsente B. Pontio Clarævallensi Antistite, futuram suam beatitudinem insolita

Robertus Rusca *in Compendio suo.* Barnabas de Montalbo *lib. 2. cap. 39.* & alii.

conſcientiæ ſecuritate demonſtraverit, & placido vultu & tranquilla mente expiraverit. Aſcriptus eſt poſt mortem hac die Ordinis Calendario.

Exordium Ordinis *lib. 3. c. 31.* Calendarium SS. Ordinis Ciſterc.

In Claravalle beatus Theſſelinus Monachus & ſacerdos, qui cùm diu dolores acutos patienter perpeſſus eſſet, ſub fine vitæ à cæleſtibus ſpiritibus meruit viſitari, quibus poſt obitum adjunctus eſt in cælis.

TERTIO IDVS NOVEMBRIS.

Vndecimo Novembris.

Martyrologium Romanum & alii.

FEſtum ſancti Martini Archiepiſcopi Turonenſis per totum Ordinem celebrandum: ſed præſertim in Cœnobio B. Mariæ de Valloliis peculiari ritu colendum, cùm ſingulis diebus ibidem fiat memoria tanti Præſulis, tam in Veſperis quàm in Laudibus.

Lib. virorum illuſtrium Ordinis *cap. 21. & 22.* Barnabas de Montalbo *tom. 1. lib. 2. c. 31.*

In Claravalle beatus Gaufredus Meloduni natus ex nobili ſtirpe, qui factus Monachus charitate extitit plenus. Curam enim infirmorum ex injuncto officio exercens, tanta virtute refulſit, ut in Soretanum Epiſcopum pro merito vitæ electus fuerit. Quo munere ritè perfunctus, in Claramvallem rediit, ubi abdicato Præſulatu, pia morte diebus ſuis finem poſuit: ſepultus ibidem intra Baſilicam, & hac die Menologio ſeu Calendario Ordinis annotatus.

Henriquez *in Theſauro Monaſtica perfectionis & in Menologio ad 16. Novemb.*

In Cœnobio Vallis-Eccleſiarum Martinus Novitius, qui ut alter Antonius miris modis à dæmone tentatus & vexatus, tandem ejus conatus fregit, ſpecialis cultor Beatæ Virginis, cujus patrocinio ubique tutus, victor ſemper evaſit. In brevi autem conſummatus, explevit tempora multa.



PRIDIE IDVS NOVEMBRIS.

Duodecimo Novembris.

IN Vasconia & diœcesi Albiensi Dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ de Candelio filiationis Claræ vallis.

In Claravalle Beatus Ioannes Prior, vir in vita sua corporis castigator severus, ac Paternarum traditionum seu antiquæ regularis Ordinis disciplinæ sedulus æmulator: qui vitæ puritate, & sanctæ conversationis exemplo, sacram illam Claræ vallis Congregationem illustravit. Omnibus enim omnia factus, alios sanctis verborum lenociniis ad vitam & morum conversionem provocabat: alios verò verbis durioribus arguens & urgens, intra officii & muneris metas ac terminos coërcebat. Egregiis itaque virtutibus decorus, dignam laborum suorum mercedem accepit in morte, & meruit inter Ascetas Ordinis illustres annumerari in communi Sanctorum Ordinis Calendario ad hanc diem. Catæ domûs.

In Germania Dedicatio B. Mariæ de Riddaghusio, facta quidem decima quinta Iunii, sed temporis successu translata in Dominicam sequentem festum S. Martini.

IDIBVS NOVEMBRIS.

Decimo tertio Novembris.

FEstum omnium Sanctorum Ordinis Cisterciensis summorum Pontificum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Abbatum, Abbatissarum, Priorum, Priorissarum, Monachorum, Monialium, Conversorum & Conversarum, Militum & Familiarium ejusdem Ordinis, sub ritu solenniori celebrandum.

In Brabantia & Cœnobio Villariensi beatus Vualterus de Trajecto, qui illustri stirpe progenitus Trajecti, sanctitatis Cæsarius *lib. 2. Historiarum cap. 30.*

Arnoldus de Raisse *in Auctuario ad Molanum.*

vitæ generis nobilitatem adæquavit. Ipse enim pro vitæ merito post aliquos annos à professione monastica ductos, electus Abbas ad annum millesimum ducentesimum decimum quartum, ibidem ita Deo adhæsit per orationem absorptus, ut per mediam vel etiam integram diem cælestium rerum speculationi insisteret, quo tempore nulla levi cogitatione distrahebatur. A quo tamen orationis monte plerumque descendens, exigente charitate, velut alter Moyses zelo succensus, suos subditos verbo & exemplo ad virtutis semitam provocabat & adducebat: Sicque ad annum quadragesimum quintum ætatis suæ ita mente purus erat, ut nequidem leve seu veniale peccatum contraxisse videretur. Infensus verò hac de causa dæmonibus, solo crucis signaculo ubique tendentem insidias, & à concionis auditione avertentem auditores propellebat. Divino quoque lumine irradiatus, cordium multorum abdita revelabat, non sine magna adstantium admiratione. Clarus denique vitæ sanctimonia, operibus, & signis, & tædio hujus lucis affectus, felici transitu sublatus est ad cælos, in Valle-sancti-Lamberti sepultus, anno reparatæ salutis millesimo ducentesimo vigesimo primo, hac die Sanctorum Calendario annotatus.

DECIMO OCTAVO CAL. DECEMBRIS.

Decimo quarto Novembris.

In relatione martyrum Hiberniæ. Henriquecus *in Menol. ad hanc diem.*

IN Hibernia beatus Eugenius Abbas Asseroënsis, vir magnæ virtutis & sanctimoniæ, qui anno sexcentesimo sexto supra millesimum ab hæreticis in odium fidei captus, capite plexus est; memoratus inter Beatos Ordinis ad hanc diem Novembris.

Seguinus *lib. 3. SS. Ord. c. 6.* Henriquecus *in Menologio ad hanc diem.*

In Gallia beatus Letaldus Molismi Monachus & unus ex primis Ordinis Cisterciensis Institutoribus, qui Cistercium primò coluerunt & suis virtutibus illustrarunt; memoratus cum laude in rescripto Hugonis Legati pro Ordinis institutione, & in Menologio ad hanc diem.

DECIMO SEPTIMO CAL. DECEMBRIS.
Decimo quinto Novembris.

IN Vallesia Galliæ Provincia obiit piæ memoriæ soror Edmunda *Duguet* Parci-Dominarum diœcesis Silvanectensis Monialis insignis & Suppriorissa hujus loci, quæ ab ineünte ætate pietati, austeritati vitæ & corporis puritati dedita, ita sanctimonia claruit, ut aliquando visa fuerit quasi extra se rapta, facie omninò refulgens, & insoliti splendoris radios emittens. Ita etiam clausuram Religionis coluit, ut nequidem pro lethali morbo curando, urgentibus medicis, voluerit exire è Monasterio. Ita fervens in choro, ut etiam gravibus morbis affecta, ab officio Divino non abesset. Ita charitate succensa, ut pro aliarum Monialium salute continuè oraret, & monitis suis salubribus ad amorem virtutis eas excitaret. Ita patiens in ægritudine, ut acerbis doloribus vexata, per annum & ampliùs eos patienter toleraret. Tandem continuis suspiriis ad cælestem vitam aspirans, pia morte quievit in ipso pervigilio Sanctissimi Patroni sui Edmundi sub initio vesperarum, anno salutis millesimo sexcentesimo trigesimo octavo in claustro lectionis sepulta. Monumenta & traditio domûs.

DECIMO SEXTO CAL. DECEMBRIS.
Decimo sexto Novembris.

POntigniaci in Gallia seu potiùs Soliaci in Bria, depositio sancti Edmundi Archiepiscopi; qui in Anglia natus, & à pia matre ad cilicium & ad jejunia christianè educatus, in adolescentia missus est Parisios ut studiis vacaret: ubi pietate & ingenio fervens, in tantum profecit, ut in brevi Doctoratûs gradum in Facultate Theologica consequutus fuerit, & aliorum Magister & Præceptor factus. Martyrologium Romanum cum Baronio & aliis.

Visa est autem ab auditoribus ejus Scholasticis candida super eum columba, seu Spiritus sanctus in columbæ specie visibiliter descendens. Vndè ferventiùs solitò loquens Edmundus, Scholarium suorum mentes ad pietatem commovit, ita ut paulò post ad Ordinem Cisterciensem ex illis septem convolarint, præhabita revelatione septem stellarum quasi è schola prodeuntium. Reversus verò post studia in Angliam Edmundus, suis orbatus parentibus, sorores suas in Monasteriis monialium à labe simoniaca haud infectis collocavit, & bonis pauperibus erogatis, Christum nudum sequutus est nudus. Promotus verò ad Ecclesiasticos & sacros Ordines pro merito, communi suffragio Clericorum de consensu Regis Archiepiscopus Cantuariensis, ac totius Angliæ Primas electus est, satis, ut erat humilis, invitus, nec diu tamen quietus in hac dignitate perseveravit. Nam magnanimus in suæ Ecclesiæ juribus tuendis, Regem in brevi infensum habuit. Coactusque è regno exire pro simili causa, ac olim sanctus Thomas Cantuariensis, in solitum Cantuarensium Archipræsulum azilum, Cœnobium scilicet Pontigniaci in Gallia situm, se recepit; ubi per tres aut quatuor annos Monachus inter Monachos effectus, omnium ad se animos admiratione convertit. Somno enim parcens, nec in lecto sed humi cubans vel potiùs sedens, cilicio carnem domabat, & asperis disciplinis seu verberibus castigabat. Tandem verò adhuc exul, & nondum sedi suæ restitutus, in morbum incidens & aërem mutans de Medicorum consilio, in Prioratum de Solciaco sub Abbatia sancti Iacobi de Pruvino dependentia, venit: ubi morbo ingravescente, prævisa mortis suæ hora & Sacramentis Ecclesiasticis munitus, piè & sanctè obiit. Cúmque ante discessum suum è Pontigniaco, priùs Pontigniacensibus sese reversurum die ipsa sancto Martyri Edmundo sacra promisisset, ut prædixit evenit; nam corpus ejus in curru vectum, ipsa die Pontigniacum relatum est, ubi pluribus miraculis claruit. Quo tempore Garnerus Ioyaci Abbas gravi morbo detentus, voto facto ad sanctum istum Confessorem, ab ægritudine sanatus est. In cujus tantæ rei memoriam ipse Abbas primus aram in nomine illius in suo Cœnobio sub gradibus Dormitorii

Dormitorii posuisse dicitur. Corde verò ipsius in sancti Iacobi Pruvinensis Abbatia reposito in vase quodam deaurato, corpus ejusdem S. Cuti quòd vivens obnixè petierat, apud Pontigniacum est susceptum à Monachis, campanis sine ullius adminiculo ultrò pulsantibus, quod decenti sepultura posteà donatum est. Sed cùm post illius tumulationem coruscantia priùs miracula cessarent, mirantibus Monachis audita est hæc vox ab ægris ad tumulum astantibus qui opem Sancti implorabant, *quomodo miracula faciam, si manus adhuc terrâ oneratæ persistant?* Quod rescientes Monachi, corpus Sancti, quod à putredine illæsum repererunt, elevari & in loculo honorificentiùs recondi curarunt. Publico autem cultui peregrinorum accedentium est expositum retro majus altare Basilicæ Pontigniaci, ubi adhuc magno miraculo incorruptum perseverat, continuis fulgens prodigiis & signis. Infantes enim sine baptismali unda extincti, vitæ signa edunt, ita ut possint ablui. Altera verò ex eodem corpore manu miraculo distracta, adhuc cernitur ibidem vivida & integra, sicut & reliqua corporis membra. Edmundus albo Sanctorum solenni ritu ascriptus est, & vita ejus à Bertrando Monacho transcripta, ejusque officium hac die officio proprio colitur in Monasteriis lineæ Pontigniaci, sicut & in aliis Ordinis communi.

DECIMO QVINTO CAL. DECEMBRIS.

Decimo septimo Novembris.

APud Claramvallem beatus Edmundus Monachus, qui allectus & adductus ad Ordinem odore vitæ S. P. Bernardi, ex Canonico Regulari factus est ibidem Monachus. In quo loco tam sanctè & piè inter fratres est conversatus, ut postquàm plurimarum virtutum exemplo præluxisset, mirabili visione meruerit ad gloriam vocari à sancto Patre dum in extremis esset, & ea tandem perfrui beatitudine post longa per vitam cum dæmone suscepta certamina, &

Britto *lib. 4. c. 35.* Manrique *in Laurea Evangel. lib. 3. disc. 7.*

insignes virtutes & victorias relatas; inscriptus post mortem in Calendario Sanctorum Ordinis.

Vincentius Bellovacensis *in speculo lib. 29. c. 24.* Seguinus *de Abbatibus cap. 2.*

In Gallia venerabilis Guarimundus Pontigniaci Abbas tertius, qui in Gastinio natus ex illustri stirpe, virtute nobilior extitit; Monachus enim factus, meruit ad infulam Pontigniaci sublimari, & paulò post vitæ merito, ad Antissiodorensem Cathedram promoveri. Cujus tamen Ecclesiæ cùm nondum pacificam possessionem adeptus fuisset, ob ortam dissensionem inter Canonicos, in ipso itinere Romæ obiit: vivens fratres habuit Regni Galliæ ministros, post mortem memoratus in Menologio ad hanc diem.

Cæsarius *lib. 10. miraculorum c. 5.* Seguinus *Catalogo Sancto-rum Ordinis Cist.*

In Germania beatus Anianus Eberbaci Conversus, vir miræ simplicitatis & innocentiæ; qui solo tactu & manus impositione, ægros sanabat. Iussus tamen ab Abbate à miraculis desistere propter advenientium tumultum, destitit, factus obediens usque ad mortem.

DECIMO QVARTO CAL. DECEMBRIS.

Decimo octavo Novembris.

Baronius *in Annalibus ad ann. 1145.*

Romæ ipsa sancti Martini die & Dedicationis Ecclesiæ sancti Petri anniversaria, beato Eugenio summo Pontifice Divina mysteria celebrante, visus est super caput ejus splendor insolitus ad modum radii solaris, & in ipso duæ columbæ ascendentes & descendentes pariter visæ sunt, tanti Pontificis sanctitatem, charitatem & simplicitatem præsignantes, ut rectè Baronius annotavit.

Petrus venerabilis *lib. 6. Epist. 26.* Robertus Rusca *in suo Compendio.*

Apud Claramvallem beatus Everardus, qui ex Præfecto generali militiæ templi Monachus factus sub sancto P. Bernardo, variis est illustratus miraculis & visionibus, & piis operibus cumulatus: sed præcipuè abstinentiæ & austeritatis virtutibus ditatus, vivere desiit, non sine nota sanctitatis.

DECIMO TERTIO CALEND. DECEMBRIS.

Decimo nono Novembris.

ROmæ concordi Patrum Purpuratorum ſuffragio eligitur in ſummum Pontificem Bernardus Piſanus ſancti Athanaſii Ordinis Ciſtercienſis Abbas vir miræ integritatis, dictus poſteà Eugenius III. nondum tamen Cardinalis renuntiatus, cui eadem die ſuæ conſecrationis, creditur ſcientia divinitùs infuſa.

Baronius *tom. 12. ann.* & alii innumeri.

In Germania & Comitatu Iuliacenſi beata Eliſabeth Comitiſſa Iuliacenſis, quæ ſpreto ſæculo ſimul cum divitiis & opibus, facta eſt Monialis in Cœnobio de Burvenich, ubi multis virtutibus floruit, & ſancto fine quievit.

Gilmanus *in vita S. Iuliana.* Arnoldus de Raiſſe *ad Molanum.*

In Leodii Provincia beata Eliſabetha Monialis Montis-Cornelii, quæ diu piè converſata cum beata Iuliana Prioriſſa, & pluribus perſequutionibus vexata pro juſtitia, meruit poſt mortem ſpecialem habere commendationem inter præclaras Ordinis filias in Menologio ad hanc Novembris diem.

Gillemanus *in vita S. Iuliana.* Arnoldus de Raiſſe *in Auctuario ad Molanum ad 5. Aprilis.*

DVODECIMO CAL. DECEMBRIS.

Vigeſimo Novembris.

APud Vuaſcones & Cœnobium de Grandiſilva Bertrandus Abbas, qui mira ſanctitate præditus, ſuis cujuſvis virtutis exempla miniſtravit: & quamvis ejus acta habitantium incuria perierint, ejus tamen ſanctitas ubique nota, eumdem & ſignis & piis operibus claruiſſe ſatis demonſtrat; aſcriptuſque eſt hac die Beatorum Catalogo.

Molanus *in appendic ad Vſuardum.* Calendarium Gallicum Sãctorum Ordinis.

Caroliloci in Gallia venerabilis Ioannes de Gornayo Prior, vir zelo plenus; quòd enim perditiſſimum fratrem pſeudoconverſum pro crimine arguiſſet & pœna mulctaſſet,

Seguinus *in Catalogo cap. 7.* Henriquecus *in ſuo Men. ad hanc diem.*

ab eodem est interfectus in ipso ingressu Capituli. Qui parricidæ parcens Ioannes recitando versum, *in manus tuas Domine commendo spiritum meum*, piè obiit, in ipso Capituli limine, post mortem sepultus sub honorifico lapide.

VNDECIMO CALEND. DECEMBRIS.

Vigesimo primo Novembris.

Miræus *lib. 6. originum Monastic. cap. 15.* Manriqueus *in Calend. SS. Ord.*

IN Hibernia Gelasius Oculenam Abbas Boylensis, qui genere clarus & Belosanii natus, factus est Ordinis Monachus, ac posteà pro vitæ merito electus Abbas Boylensis, in fide constans Hæreticis restitit; undè ab iisdem captus pro fide ipsa, capite damnatus est. Ductus autem ad patibulum, per viam plusquam quingentos Hæreticos suis monitis ad ortodoxam fidem reduxit. Suspensus verò & in quatuor partes divisus, Dublinii Martyr occubuit anno salutis millesimo quingentesimo octogesimo secundo hac die.

Miræus *lib 5. orig. Monast. c. 15.* Manriqueus *in Calend. SS. Ord.*

Ibidem in Hibernia beatus Eugenius Omulkeram Ordinis Monachus, qui simul cum Beato Gelasio Abbate ab Hæreticis interceptus, variis affectus est suppliciis in fidei odium, & Martyr occubuit.

DECIMO CALEND. DECEMBRIS.

Vigesimo secundo Novembris.

IN Germania pro fide trucidantur ab Hæreticis plusquàm triginta Monachi Ordinis, communi Sanctorum Ordinis Catalogo hac die ascripti.

Historia & traditio Pictaviensis.

Item in Gallia & præsertim in Pictavia alii quamplures Monachi, sævientibus Calvinistis immaniter cæsi & suspensi in odium fidei: alii verò è Cœnobiis pulsi, Basilicis funditùs versis, plura probra sustinuerunt.

Liber cui titulus est *Theatrum Ca-*

In Anglia B. Ioannes Torne, quem nec Regis sævissimi ira, nec tormentorum immanitas, nec bonorum proscriptio,

nec exilii pœna, nec parentum vexatio à fidei ortodoxa divellere potuerunt: ſuſpenſuſque ac in quatuor partes diſſectus, Martyr occubuit anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto.

tholica ac proteſtantis religionis. Henriqueus *ad hanc diem in Menologio.*

NONO CALEND. DECEMBRIS.

Vigeſimo tertio Novembris.

IN Germania & Cœnobio Hemmerodenſi beatus Goſbertus Converſus; qui diu in Monaſterio piè converſatus, cujuſvis virtutis exemplum præbuit: & ſic piis operibus clarus, migravit ad Chriſtum, poſtquàm felicitatis ſuæ futuræ plura ſigna dediſſet, multaque ſibi revelata in aliorum ſalutem aſtantibus expoſuiſſet, aſcriptus poſt mortem Calendario Sanctorum Ordinis ad hanc diem.

Cæſarius *in lib. 11. Hiſtoriarum cap. 12.* Calend. Sanctorum Ord.

Ebraci in Germania depoſitio beati Adami Abbatis, qui à juventute apud Ciſtercium factus Monachus cum beato P. Bernardo, extitit pietatis titulo illuſtris: Hincque miſſus Fuſniacum, ibidem etiam virtute refulſit. Succeſſu verò temporis Morimundum profectus, de conſenſu Superiorum ibidem ſtabilitur ſub Abbate Arnoldo: cui ita obediens fuit, ut ejuſdem Abbatis ſuaſu deſertum locum adierit. A quo tamen per literas S. P. Bernardi revocatus, Ebraci in Germania præfectus eſt, vir probatiſſimæ vitæ, ob quam familiaris factus ſanctæ Hildegardi piæ Moniali, ab eadem plures literas accepit.

Baronius *in Annalibus tom. 12.* Miræus & alij.



OCTAVO CALEND. DECEMBRIS.

Vigesimo quarto Novembris.

Vita ejus & Monumenta Pôtigniaci.

IN Gallia translatio corporis sancti Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis è Prioratu de Solciaco, ubi obierat, in Pontigniacum, uti vivens promiserat Monachis hac die ad eos se rediturum.

Monumenta domûs.

Apud Armoricos Dedicatio B. Mariæ de Villanova, præsentibus cunctis Britanniæ minoris Episcopis, Nannetensi scilicet Diœcesano, Corisopitensi; Trecorensi, Venetensi, Redonensi, Macloviensi & Leonensi, ac ipsa Ducissa constantia ejusdem Ecclesiæ insigni Fundatrice.

Seguinus *in Catalogo SS. Ord.* Cantipratanus *lib. 2. apum cap. 1. parte 13.*

In Belgio beatus Nicolaus Monachus, qui in pauperes largus, iisdem quicquid habere poterat erogabat. Cùm autem aliquando per agrum Christum Dominum egeni habitu obvium habuisset, eum benignè pavit & suscepit, pro virtute in Menologio ad hanc diem annotatus.

Brittus *tom. 1. Chron. lib. 5. cap. 33.* Henriqueus *in suo Men. ad hanc diem*

In Lusitania Venerabilis Antonia Nunnez Monialis sancti Benedicti de Castris, quæ speciali cultu Beatam Virginem colens, proximum ardenter diligebat; & piè Deo serviens, extitit cunctis illustris. Visionibus verò clara, reliquit post se suavem suæ sanctitatis odorem, cujus vitam scripsit Brittus.

SEPTIMO CALEND. DECEMBRIS.

Vigesimo quinto Novembris.

Calendarium SS. Ord. Salamanticæ excusum. Cæsarius *lib. 1. miraculorum cap. 34. & alii.*

IN Germania & Cœnobio Heysterbacensi beatus Conradus Monachus; qui ab adolescentia sua sæculo renuntians, sæculi quoque deposuit actus; factus autem ibidem Monachus, piam morum integritatem servavit per multos annos, quibus in Ordine fervens extitit, ac plusquám centenarius, ex hac mortali vita discessit, sanctis operi-

bus celebris, præsignato priùs obitu & futura felicitate Lamberto hujus loci Monacho.

In Aquitania venerandus Guillelmus Cuti Bolbonæ Monachus & Doctor insignis, qui pro vitæ merito ad Cardinalis purpuram promotus, in Ecclesiis construendis & pauperibus alendis redditus suos insumpsit. Vndè quod piè inchoaverat ejus Avunculus Benedictus summus Pontifex in Collegio Bernarditarum Parisiensium, perficere tentavit: sed in brevi consummatus, opus adhuc & fabricam imperfectam reliquit, ascriptus in Menologio ad hanc diem Novembris.

Genebrardus *lib. 4. Chronologia.* Seguinus *de Archiep. Ord. cap. 1.* & alii.

SEXTO CALEND. DECEMBRIS.

Vigesimo sexto Novembris.

IN Hispania beati Martyres milites de Alcantara, de Avisia, de Christo & de Montesia, qui pro pulsandis Saracenis ab Hispania viriliter pugnantes, sanctè & piè occubuerunt, memorati ad hanc diem in Menologio.

Annales Hisp.

In ditione Leodiensi & Cœnobio de Alna beatus Vualterus Prior, qui ex Canonico sancti Lamberti Ecclesiæ Leodiensis in Claravalle, Monachus factus sub S. P. Bernardi magisterio, ibidem sanctè vixit: & virtute grandior & fortior existens, in natale solum transmissus est, ut Alnense Cœnobium ad leges Cistercienses reformaret. Factus itaque Prior hujus loci, multis gratiarum carismatibus enituit, & totus in Deum pergens, dissolvi corpore & esse cum Christo multùm peroptavit. Solitus verò inter orandum in hæc amoris verba prorumpere, ***quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*** cùm de more in hac voce persisteret, è cælo meruit pluries hoc responsum accipere: ***Regem in decore suo videbunt oculi tui.*** Quo oraculo confortatus, horam ultimam & diem desideratam pacato & tranquillo animo expectavit, & omni virtutum ornamento ditatus & paratus, feliciter expiravit. In cujus morte illius felicitatis prænuntia stella, per mediam diem super locum ubi sanctum cada-

Calendarium SS. Ord. Cæsarius *lib. 1. histor. cap. 6.*

ver jacebat, apparuit. Sicque merito Vualterus ascriptus nunet ad hanc diem Novembris in Calendario Ordinis.

Brittus tom. 1. Chron. lib. 5. c. 33. Henriquens in Menologio ad 15. hujus mensis diem.

In Lusitania beata Catharina Perez sancti Benedicti de Castris Monialis, quæ Christi Domini cruentam mortem & pœnas animo plerumque revolvens, facta est eorumdem dolorum particeps. Nam miraculosè in pede percussa, dolorem per reliquam vitam patienter tulit: ac prævisa sui finis hora, pia morte quievit, & ejus vitam Lusitano idiomate scripsit Brittus.

QVINTO CALEND. DECEMBRIS.

Vigesimo septimo Novembris.

Chronicon hujus Cœnobii.

VIllarii in Brabantia beatus Fastradus Abbas & S. P. Bernardi discipulus, vir magni meriti & sanctimoniæ eximiæ: qui habitu Ordinis suscepto apud Claramvallem, cum Laurentio primo Villarii Cœnobiarcha & aliis Monachis transmissus est in illam eremum Villariensem, ubi in magna pauperie, animi demissione & vitæ austeritate vixit. Cedente verò Laurentio propter senium, in ejus locum subrogatus est Fastradus: quam tamen dignitatem non diu administravit, mortuus in senectute bona, ut suorum laborum præmium susciperet.

Brittus tom. 1. Chronicorum lib. 4. cap. 33. Manriquens Laurea Evangelica lib. 3. disc. 7. c. 9.

In Gallia beatus Guillelmus, qui ex Abbate sancti Albini Benedictini Instituti pro strictiori observantia suscipienda factus est humilis Monachus in Claravalle sub sancto Patre Bernardo: ubi pluribus virtutibus & visionibus clarus, victor sui in omnibus evasit. Hora verò mortis sibi è cælo præmonstrata, consummatus ad superos transivit, memoratus ad hanc diem inter Ordinis Sanctos.



QVARTO

QVARTO CALEND. DECEMBRIS.

Vigesimo octavo Novembris.

CIstercii in Gallia beatus Guillelmus Abbas qui Cadomi natus in Neustria, habitum Ordinis suscepit apud Savigniacum: ubi temporis successu Abbas electus ob insignia merita, has regiones mira virtute illustravit. Vnde fama facta sanctitatis ejus per Ordinem, Bernardo tertio decimo Cistercii Abbate fatis functo, electus est in supremum Ordinis moderatorem. In qua quidem dignitate, non solùm apud suos claruit, sed etiam pluribus negotiis Ecclesiæ destinatus & deputatus à summo Pontifice cuncta cum laude gessit, imò ad Grandimontenses Monachos inter se dissidentes, transmissus magna cum laude eos compescuit & plures ex illis hospitii charitate suscepit, ac sic plenus bonis operibus, ad patres hac die est appositus & inter sanctos Cistercii Abbates antecessores suos sepultus, quorum vivens fuerat æmulator.

Calendaria Ordinis. Barnabas de Montalbo *in Chronicis tom. 2. lib. 2.*

In Saxonia beati Luxenses Monachi, qui sub Ordinis primordiis tanto cum zelo justitiam & vitæ probitatem coluerunt, ut per carnis macerationem cruci affixi visi fuerint à Radulpho Monacho, hac de re meritò annotati in Menologio inter Ordinis beatos ad hanc diem.

Cæsarius *lib. 8. miraculorum cap. 18.* Calendaria Ordinis.

Apud Bellum-gradum Dedicatio Ecclesiæ à Roberto Omolucensi Episcopo ad annum Domini ducentesimum vigesimum quartum supra millesimum facta.

TERTIO CALEND. DECEMBRIS.

Vigesimo nono Novembris.

IN Belgio Cœnobio de Rameya beata Ida Sanctimonialis, quæ Nivellæ nata primo apud Aquiriam Ordinis habitum suscepit. Sed cum linguam Teutonicam, qua ibi-

Molanus *in Natalibus sanctorum in 11. Decemb. & in additionibus ad*

Guardum ad hanc diem & plures alii.

dem utebantur Moniales, penitùs ignoraret, & plurium rerum hac de causa inopia laboraret, coacta ex hoc de loco secedere, aliud Cœnobium fidelium eleemosinis, quod Rameyam nominavit, erexit: ubi sanctissimam agens vitam, miraculorum gratia & spirituum discretione decorata est. Facta verò per pias orationes Beatæ Virgini familiaris, plura ab eadem obtinuit gratiarum carismata, extra se etiam plerumque rapta cælestium rerum attenta meditatione, insolitos radios è vultu emittere visa est. Cúmque decem & sex annis ac novem mensibus piè perseverasset in arrepta virtutis semita, mortis suæ hora præscia, terram liquit ut cælum capesseret, ætatis suæ trigesimo primo hac præsenti die; corpusque ejus posteà effossum & positum in sacello sancti Ioannis intra Criptam, ab omnibus veneratur & singulis annis memoria de Superiorum consensu recolebatur, ut refertur, sacro celebrato in honorem omnium Sanctorum cum oratione seu collecta ex communi officio Virginum desumpta, ac duabus aliis peculiaribus antiphonis & orationibus recitatis. Ejus vita ea die ibidem in Rameya legebatur in Refectorio, & nomen ejus in Litaniis Sanctorum recitabatur. Quæ quidem omnia sanctitatis ejus certa sunt indicia, imó & narrantur plura miracula ad ejusdem Virginis tumulum patrata.

Exordium magnum Cistercicnse lib. 3. cap. 9. & 10. Barnabas de Montalbo tom. 1. lib. 2. cap. 39.

In Galliis beatus Robertus Nepos sancti P. Bernardi, qui emissis votis apud Cistercium paulò post seductus, ad Cluniacenses transivit, inconsultis Superioribus. Revocatus tamen à sancto Patre per Epistolam in imbris medio scriptam & nullo modo madefactam, Claramvallem redit; ubi per pœnitentiam noxas delens, magna sanctitate claruit. Factus verò Abbas Domus-Dei in Bituria, idem Cœnobium piè & sanctè regens beato fine quievit, ascriptus inter Ordinis beatos in Menologio ad hanc Novembris diem.



PRIDIE CALEND. DECEMBRIS.

Trigesimo Novembris.

FEstum sancti Andreæ Apostoli per Ordinem sub duodecim Lectionibus duplici sacro & solenniori ritu celebrandum. Cujus quidem Apostoli memoria celebris est, & in Monasterio sancti Andreæ de Gouferno in Neustria, & sancti Andreæ de Ianua in Italia, ac Cœnobio de Albiniaco in Bituria.

Parisiis obiit piæ memoriæ serenissima Blanca Franciæ Regina & uxor Ludovici VIII. Regis ex quo sanctum Ludovicum Regem, Petrum Alenconii & Robertum Comitem Artesiæ suscepit, eosque piè educavit; & præsertim Ludovicum primogenitum, cui dicere solebat, malle ipsum mortuum ante se videre, quàm lethali crimine infectum. Ipsa autem post rectè administratum regnum in absentia Ludovici filii, post duo Sanctimonialium Ordinis Cœnobia constructa, Malodunum scilicet juxta Pontisaram in diœcesi Parisiensi, & Lilium juxta Melodunum in diœcesi Senonensi, & post pia alia opera, morti proxima, Parisiis Sanctimonialis velum & Ordinis habitum ab Abbatissa Maloduni alio nomine S. Mariæ Regalis suscepit. Emissis autem Religionis votis in præsentia ejusdem Abbatissæ & susceptis Sacramentis Ecclesiasticis, piè & sanctè obiit, delata in prædictum Partenonem Maloduni brachiis nobilium & curiæ primatum in throno seu cathedra aurea in qua cum habitu & Ordinis mantello residebat: ubi sepulta est in medio chori hujus loci Basilicæ sub sepulchro & effigie ænea. Ejus autem Reginæ actus eleganti stilo nuper editi sunt à quodam hujus ævi authore nobili & in pluribus Menologiis Franciscanorum & aliorum beata nominatur.

Galliæ Annal. Monumenta B. Mariæ Regalis & infiniti authores.

Cistercii in Burgundia venerandus Ruffinus primò Firmitatis & posteà Cistercii Abbas; qui multis virtutibus insignis, nonnisi pium & sanctum regimen Ordini præ-

Monumenta Cisterci. Calendaria Ordinis.

buit: mortuus in senectute bona, & ascriptus in Calendario Ordinis.

Chronicon Villarii lib. 1. Henriquens in Menol. ad 29. Novemb. & in fasciculo lib. 1. dist. 4. cap. 30.

In Brabantia Guillelmus septimus Abbas Villarii, qui postquam piè Prioris & Abbatis munus obiisset, sancto fine quievit, celebris propter suam erga pauperes charitatem & ad hanc diem annotatus inter sanctos & beatos Ordinis.

Barnabas de Montalbo Chronic. tom. 1. lib. 2.

In Claravalle beatus Bernardus Conversus, admirandæ humilitatis & mansuetudinis vir: qui per magisterium divinæ gratiæ didicerat esse mitis & humilis corde. Huic cæteri fratres testimonium perhibebant, quòd nunquam visus fuisset irasci, nunquam, quibuslibet injuriis provocatus, ad impatientiam prorumpere. Hic, inspirante Domino, statuerat firmiter in animo suo, ut quoties à quibuslibet fratribus justè vel injustè proclamaretur, toties pro illis oraret. Porrò sanctus hic Conversus fuit unus ex primis sanctissimi P. N. Bernardi Abbatis discipulis, qui tandem visionibus illustratus, ac in sancto Religionis proposito diu perseverans, vocante Domino collectus est ad Patres suos, & hac die in Menologio Ordinis ascriptus.



MENSIS DECEMBRIS.

CALENDIS DECEMBRIS.

Primo Decembris.



OMÆ apud sanctorum Vincentii & Anastasii seu Trium fontium Monasterium extra urbem ad aquas Salvias, B. Hugo hujus Cœnobii Abbas, qui in Deum pius, in suos providus, in ægros misericors, & ubique sanctitate celebris, factus est ab Eugenio III. Cardinalis & Episcopus Ostiensis. Qui sic promotus, pro zelo suo in nefarios Ecclesiæ hostes Hæreticos & præsertim Henricianos sævrit, & meruit pro virtute plura gravis momenti negotia sui animi sagacitate & prudentia componere ac promovere. Multasque à S. P. Bernardo suo Magistro in Claravalle Epistolas, tam pro Odone Sandionisiano Abbate juxta Parisios; quàm pro Episcopo Cœnomano à suo Clero vexato, ac pro aliis urgentibus rebus in Galliis suscepit, & multis encomiis & laudibus ab eodem Patre illustrari in Epistola ad Ildephonsum sancti Ægidii Comitem, utpote vir qui magna fecerat in Israël, & per quem victoriam suæ Ecclesiæ dederat in multis Deus. Sicque post multos annos probatissimæ vitæ, post eruditos quamplures ad

Ioannes Abbas in Catalogo Sanctorum Ordinis. Robertus Rusca in suo Compendio.

pietatem domesticos & familiares, inter quos Adrianus IV. extitit, sancto fine quievit, plenus meritis & signis prima Decembris anno salutis centesimo quinquagesimo octavo supra millesimum sub eodem Adriano IV. summo Pontifice miraculis, ut dicitur, clarus, hacque de re ascriptus Calendario Ordinis Sanctorum.

Barnabas de Montalbô tom. 1. Chronicorum l. 2. cap. 9. Henriquez ad hanc diem in Menologio & in Fasciculo lib. 2. dist. 31.

In Hispania venerabilis Pater Marcus de Villalba Superior generalis Regularis observantiæ Cisterciensis Reformationis pro merito electus, & postmodum Abbas Fiteriensis, vir pluribus donis & gratiis illustratus, & illustris Regibus & Principibus clarus & piis operibus plenus; cujus corpus longè post mortem inter calcis vivæ cumulos incorruptum inventum est.

QVARTO NONAS DECEMBRIS.

Secundo Decembris.

Vita MM. Arnoldus. Molanus & alii.

IN Leodio apud Alnam depositio beati Vuerrici Prioris hujus Cœnobii, qui in pauperes propensus, propriam aliquando vestem exuit, ut nudum quemdam in via obvium indueret, instar S. Martini Turonensis. Tantæ etiam austeritatis fuit, ut sæpè sæpiùs è choro exiens, clam virgis & funibus corpus suum dilacerarer in Capitulo; nec penso Divini officii diurno & nocturno solito contentus, adhuc Psalterium in Ecclesia ex integro retro majus altare latens piè recitabat, dum omnes pausabant in Dormitorio. Tandem spiritu prophetico & miraculis clarus, reddita plerisque ægris sanitate, dum ipsi inter missarum solennia beati viri ablutiones bibebant, solutus est hoc mortali corpore ipsa die anno ducentesimo decimo septimo supra millesimum, sepultusque fuit in claustro lectionis, lectionis amator.

Seguinus lib. 3. SS. Ordinis c. 31. ubi citatur Cæsarius in dialog. dist. 7. cap. 15.

In Germania beatus Anselmus Hemmerodensis Monachus, mira morum integritate ornatus, & B. Virgini ob specialem in eam cultum gratus; qui Diaconi fungens officio, visus est, columba de cælo delapsa designari omnibus propter sanctitatem, & sic hac die sancto fine obiit.

TERTIO NONAS DECEMBRIS.

Tertio Decembris.

SEnis in Tuſcia Cluſdino oppido ſeu caſtro agri Senenſis ſanctus Galganus Anachoreta, qui ex parentibus ſterilibus natus temporibus Eugenii III. liberiorem quàm par erat duxit vitam in adoleſcentia. Patre autem ſuo orbatus, & triſtis ex illius morte factus, à Michaële Archangelo bis & tertiò per ſomnium eſt monitus, ut Chriſti fieret miles in monte Sepio, nunc ſancti Galgani dicto. Vocationi tamen aſſenſum non præbens, imò patris ac propinquorum humanis conſiliis detentus ac depravatus, uxorem quæſivit ducendam. Sed cùm ad illam, quam elegerat, pergeret, ſic repentè in medio itinere ſubſtitit equus, ut calcaribus progredi coactus, locutus fuiſſe dicitur, ſibi ab Angelo prohibitum ulteriùs progredi. Quo quidem prodigio ad pœnitentiam convictus & in alium mutatus, non ampliùs de ſponſa ducenda, ſed de ſolitudine aggredienda cogitavit. Imò ſponſam ſibi à parentibus oblatam, ad virginitatem ſervandam induxit, vitamque Monaſticam ſub ritibus Ciſtercienſibus ſuſcipiendam. Galganus verò pluribus dæmonum ſuperatis illuſionibus ac tentamentis, miraculorum donum accepit. Spiritu quoque prophetico illuſtratus, abſentia declarabat ac futura prædicebat; ſathanam ab obſeſſis corporibus per miraculum arcebat; ægris ſanitatem reſtituebat; panis ei veneno infectus, per impietatem datus, non nocuit. Sicque plenus virtutibus & meritis, ad æternam requiem pervenit. Nec mirum ſi poſt mortem ejus nomen Ordinis tabulis inſertum reperiatur, cùm univerſalis Eccleſia eundem Sanctum in ſuo Martyrologio declaraverit. Ejus enim morti aſtantes quidam Ordinis Abbates, creduntur eidem Ordinis habitum dediſſe: conſervatque Ordo Ciſtercienſis ejuſdem Sancti oſſa in Eccleſia & Monaſterio ſui nominis, in eo loco ubi vixit conſtructo. Martyrologium Romanum cum Baronio, & aliis.

In Hiſpania B. Robertus de Mataplanâ Abbas, qui vitæ ſan- Monumenta domûs.

Manriquez SS. Ordinis lib. 3.

ctimonia clarus, mira egit; mortuusque miraculis refulsit. Cujus ossa reposita sunt sub altari, & venerata ab incolis loci, qui beati viri opem adversus locustas grana devorantes reclamant.

In Portugallia & diœcesi Braccarensi Dedicatio Beatæ Mariæ de Bonrio.

PRIDIE NONAS DECEMBRIS.

Quarto Decembris.

Guido Clareval-lis *in Historia virorum illustrium Ordinis.* Manriquez *in Catalogo SS. Ordinis c. 5.* & alii.

IN Lubania Poloniæ Provincia beatus Christianus Monachus, qui zelo Apostolico succensus, primus omnium ad Evangelii semen & Dei verbum prædicandum in istam Poloniæ regionem perrexit. Cùm autem eos duræ cervicis & obstinatæ mentis viros esse adverteret, vicinos Principes Christianos excitavit: sed præsertim Silesiæ ducem aliosque Monarchas, quorum fines illi Lubaniæ populi turbare solebant, ut arrepto gladio, eos cogerent ad Evangelii publicationem permittendam. Quo quidem modo faciles & dociles facti, Christiana dogmata susceperunt: primusque hac de re Episcopus nominatur. Labore potius quàm reddituum acquisitione Ecclesiam ibidem plantavit ac formavit. Sicque virtutibus plenus, hominem exuit hac die, ascriptus in Ordinis Calendario.

Monumenta domûs Bellopratensis. Arnoldus de Raisse *in Auctuario ad Molanum hac die.*

In Belgio beata Ioanna Conversa Sanctimonialis, quæ tanto cum animi ardore vilia tractabat, quantò alii alta solent ambire. Vndè post obitum gloriosa apparuit cum gemma in manu, annotata apud Arnoldum & Henriqueum ad quartam Decembris.



NONIS

NONIS DECEMBRIS.

Quinto Decembris.

CAroliloci in Gallia venerabilis Godefridus Silvanectensis Episcopus, qui ut Christo liberius vacaret, abdicato præsulatu factus est Monachus seu hospes in isto Monasterio, ubi piè vixit & obiit. Memoratus apud Seguinum & Henriquecum ad hanc diem, & sepultus circa altare Basilicæ.

Seguinus *cap. 1. tractatus de Episc.* Ioannes Chenu *in Chronologia Episc. Galliæ.*

In Belgio Cœnobio Marchetensi Illustris Ioanna Flandriæ Comitissa hujus loci Fundatrix & familiaris Ordinis, ibidem post piam vitam sepulta.

Flandriæ annal.

OCTAVO IDVS DECEMBRIS.

Sexto Decembris.

IN Belgio beatus Nicolaus Valcellarum Abbas tertius, vir omni virtutum decore conspicuus; qui postquàm munus sibi impositum laudabiliter obiisset, mortuus cum sanctitatis opinione, specialem cultum apud fideles sibi promeruit, ossibus ejus è terra effossis, & in decentiori loco positus authoritate Concilii Lateranensis.

Aubertus Miræus *in Chronic. Ordinis ad ann. 1149.* Arnoldus de Raisse *in Auctuario ad natales SS. 30. Martii.*

In Claravalle beatus Godefridus Monachus, qui post longam virtutis probationem, in Leodium transmissus à S. P. Bernardo, & Alnensi Cœnobio præfectus Prior, multis verbo & exemplo profuit, & post plura pia opera mortuus est.

Cæsarius *lib. 1. Historiarum c. 6.* Barnabas de Môtalbo *in annal. tom. 1. lib. 4. cap. 58.*

SEPTIMO IDVS DECEM[BRIS]

Septimo Decembris.

IN Campania Dedicatio antiquæ Basilicæ [...]nis, nunc fulgure ac tonitru eversæ hoc tam[...] pore cum novo splendore restauratæ.

Vincentius Bel'. in speculo lib. 29. cap. 31. Liber illustrium Ordinis dist. 2. cap. 27. & 28. & alibi, & plures alii.

Apud Claramvallem beatus Gerardus Abba[s ...] tione Longobardus, Ordinis habitum induit in F[...] intra Italiam: ubi posteà electus Abbas, suæ virt[...] ne ubique refulsit. Cognitus enim in Galliis, in [...] Clarævallis est assumptus anno salutis millesimo c[...] septuagesimo secundo, post promotionem beati [...] Claravalle ad sedem Episcopalem Clarimontis. In [...] dem dignitate Abbatiali oves sibi creditas pavit & r[...] ctique P. Bernardi nuper defuncti, publicam in [...] sanctitatis denunciationem & Canonisationem pro[...] sicut & novæ Basilicæ Claræval[l]is consecrationem [...] mediocriter suorum sibi conciliavit affectum. Gr[...] autem per Gallias fame, largus eleemosinis in paupe[...] ctus est, nec tamen Cœnobii quotidiana annona di[...] est, imò crescente tritico miraculosè in horreis, ad[...] ipsos egenos profusior factus est. Nec tantum Galli[...] præerat Abbas illuxit, sed & Germaniæ, ubi Cœnob[...] lineæ perlustrans, dubius an præfecturam abdicare meli[...] bi esset & Deo gratius, an non, pius ad tumulum Sanct[...] Eucharii, Valerii & Materni recurrit: oransque respo[...] accepit ab ipsis, quòd præfecturam minimè deferer[...] beret; & admonitus de instante sibi morte & bravio in[...] vi recipiendo, in Galliam rediit. Cúmque in procinctu [...] set, adhuc suæ filiationis Monasteria iterùm lustrare, à [...] viro, (cui Deus malum imminens Girardo nomine re[...] laverat) rogatus, ne iter quod proposuerat prosequeret[...] supplicationi non annuit. Imò coronæ futuræ immort[...] tatis avidus, ut suo muneri satisfaceret Igniacum venit, [...] à quodam pseudomonacho gladio confossus est, & jugu[...]

tus dum ad divina officia in Ecclesiam descenderet : effusoque sanguine super Ecclesiæ pavimento, pius ipse martyr in Infirmitorium est delatus; ubi per biduum supervivens animum ab oratione non relaxavit. Imò pro persequutore preces fundens, miræ charitatis exemplum ad mortem usque dedit, post quam à multis gloria refulgens visus est, sed præsertim à beato Petro Monoculo tunc Igniaci Abbate. Qui cùm in Claramvallem corpus reduxisset, ac inter celebrandum de tanti viri nece contristaretur, de illius beati gloria revelationem accepit. Quæ quidem gloria posteà multis miraculis est comprobata, pristina valetudine duobus languidis restituta, & visu cæco reddito ad Sancti viri sepulchrum.

SEXTO IDVS DECEMBRIS.

Octavo Decembris.

Conceptio immaculata Beatissimæ Virginis, in sterilibus Beatæ Annæ visceribus facta; cujus quidem Conceptionis memoria & festum, B. Petro Villariensi Monacho à Beata Virgine commendatum est, antequàm & in Ecclesia Occidentali & in Ordine celebraretur. Verùm posteà in Hispania ad commendationem tantæ solennitatis, novus Ordo ex Cisterciensibus Virginibus institutus est à Beatrice de Silva Ordinis Cisterciensis Sanctimoniali, in honorem ipsius purissimæ Conceptionis anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo nono. Chronicon Villarii *lib.* 10.

In Gallia apud Valles-Cernaii depositio beati Theobaldi Abbatis; qui ex nobilibus parentibus Bucardo Mommorenciaco patre & Matilde matre ex Courtenca gente natus in agro Parisiensi apud Pagum de Marliaco non longè ab eo sancti Germani in Laya, adolescentiam militiæ dedit. Cúmque aliquando Parisiis ad palæstram militarem exercitii causâ properaret, audita campana ad missam, sacro illicò in honorem Beatæ Virginis (cui pius erat) celebrato, interfuit, Vita ejus manuscripta & jam typis mandata.

& alteri adhuc imò & tertio sequentibus. Intr
pus absens à sociis, visus est in palæstra inter a
dimicans & vincens, non sine sociorum admirat
posteà resciens Theobaldus à domesticis, co
compunctus tanto miraculo Ecclesiam adivit:
beneficii gratiarum actionem sanctæ religionis h
cipiendi votum fecit, & hac de causa parentibus i
perans in Cœnobium de Vallibus Cernaii, no
Marliaco, ibidem post plures preces & instantias
Novitius, famulos & domesticos remisit. Persever
per annum probationis in sancto suo proposito, v
nia emisit, & tanta sanctitate in brevi claruit, ut
quot annos à professione, institutus fuerit prim
posteà verò Abbas. In qua quidem dignitate mira
ac humilitatis signa dedit; Regulam enim ad amu
servabat & magno animi ardore Deiparam colebat.
gustissima Triadis & Eucharistiæ Sacramenti Myst
nerabatur; humilis quoque in omnibus, Ecclesiæ &
mitorii lampades accendebat; & in ipsas oleum in
bat ac eas componebat; Fratrum calceos detergebat
mis etiam aliquando pro domûs fabrica famulabatur
de re cæteri Patres Abbates apud Cistercium in ge
Capitulo conquerentes, tanquam de nimia dignitatis
batialis demissione, paucis illos verbis ad silentium co
Solitudinis amator ægrè exibat è Monasterio, & pro
cessitate egressus, quàm citò redibat: & ne amplius r
externis ab interiori vita evocaretur, orationi plerum
insistebat; ingressusque in cellam peculiarem, quant
potuit ibi mansit, solitarius pane & aqua sola ibidē victita
sicque corpore castigato & mortificato, animum prompt
ad Deum ferebat. Sanctimoniales B. Mariæ de Thesau
ex officio lustrans, spiritualibus exercitiis informabat. Po
rò totus internus factus, ita spiritali vitæ mansit addictu
ut quicquid exterius cerneret, eundem ad interiorem fece
sum moveret. Imò cùm aliquando sanctum Ludovicum R
gem Galliæ pro Monasterii negotiis inviseret, à Dei atten
tione nec citharœdæ moduli nec aliæ Curiæ Regiæ illecebra
animum ejus evocare potuerunt. Sancto autem fine con

summatus, continuis posteà claruit miraculis, ejusque sepulchrum ita à peregrinis est visitatum & frequentatum, ut post quatuor & decem annos à morte effossum sit corpus, & translatum è Capitulo in sacellum Infirmitorii ac tandem in Ecclesiam, ubi nunc adhuc cultu ejus ossa venerantur, officio Ecclesiastico his temporibus honorato, dum quotidie plura sacra & missæ sub ejus invocatione celebrantur. Venit etiam & ad tumulum sancti viri aliquando Margareta Franciæ Regina & uxor S. Ludovici cum Philippo filio Rege, non sine speciali pietatis sensu.

Apud Belgas in Aureæ-vallis Cœnobio, depositio piæ memoriæ Constantini S. P. Bernardi discipuli & Triumfontium Monachi ac Cantoris; qui in Belgium missus & ex Aurea-valle ejectis Canonicis & Benedictinis, præfectus est, Cistercienfibus ibidem succedentibus: ubi tanta virtute refulsit, ut Principibus carus, suis carior & Deo carissimus extitit. Ornata verò domo pluribus Sanctorum reliquiis, quas ab Episcopo accepit, & Monachis regularibus disciplinis informatis, plenus operibus bonis, obiit anno salutis millesimo centesimo quadragesimo hac præsenti die. Monumenta domûs. Miræus *in Chron. Ordinis ad annum 1141.*

In Lusitania beata Ioanna Abbatissa sancti Benedicti de Castris, quæ zelo Dei succensa, quosdam arguens milites multorum eorum scelerum, ab iisdem gladio percussa est, & pro fide ac castitate tuenda Martyr occubuit ad annum trecentesimum octuagesimum tertium supra millesimum. Mortua verò Moniales sibi subditas ab eorundem militum rabie magno miraculo præservavit, ascripta Menologio ad hanc Decembris diem. Bernardus Brito *in Chronicis tom. 1. lib. 5. cap. 32.* Monumenta domûs.

QVINTO IDVS DECEMBRIS.

Nono Decembris.

IN Hispania memoria venerabilis Patris Laurentii Gonzales, qui sanctæ Reformationis habitu suscepto apud Vallem-bonam, ibidem posteà factus est Abbas: ubi tantis Henriquens *in suo Men. hac die* & in fasciculo *l. 2. dist. 34. cap. 2.*

sanctimoniæ operibus claruit, ut meritò tanq
fuerit existimatus. Cúmque jam ultimum exh
tum, flexis genibus oculisque ac manibus ad ca
tis, hilari vultu jam gloriam Dei sese prospice
asserens, in ipso momento meruit in eam ingredi.

QVARTO IDVS DECEMBR

Decimo Decembris.

Barnabas de Montalbo lib. 2. cap. 39. Edmundus à Cruce in Catalogo SS. Ord.

IN Hispania & Monasterio Caraceti beatus F
Abbas, egregiis sanctitatis titulis conspicuus; q
nedictino Monacho Cisterciensis factus, Monasteri
ad strictiorem observantiam reduxit: ejusque piet
moria apud posteros celebris, ad hanc diem usqu
cum honore recolitur; ascriptus Calendario Ordi
die.

Carta Clarimontis.

In Armoricis apud Rhedones moritur beatus H
Rhedonensis Episcopus, qui sub primis Ordinis temp
piè in Claravalle educatus, Clarimontis in Cenoman
bas est designatus, ac posteà ad Episcopatum Rhed
sem ob excelsa merita erectus est anno Domini cent
octogesimo quarto supra millesimum mense Iulio. De
post pium regimen, mortuus hac die anno salutis mill
centesimo nonagesimo octavo, sepultus est in chor
Basilicæ ubi miraculis claruisse dicitur.

TERTIO IDVS DECEMBRIS.

Vndecimo Decembris.

Cæsarius lib. 1. miraculorum cap. 4. lib. 2. cap. 55. Ioannes Abbas in Catalogo SS. Ordinis & multi alii.

IN Germania & Cœnobio Hemmerodensi depositio b
ti Davidis hujus loci insignis sanctitatis Monachi, cu
acta supra retulimus, quamvis hac undecima die Dece
bris obierit; sepultus in Capitulo cum Abbatibus Monas
rii ac posteà hinc translatus.

In Lusitania & Cœnobio sancti Benedicti de Castris beata Mencia Priorissa, quæ inter cæteras virtutes quibus excelluit, silentium summoperè coluit corpusque suum continuis jejuniis, ciliciis, & disciplinis rigidè castigans horam obitûs sui divina revelatione meruit cognoscere. Quam, Ecclesiæ Sacramentis munita, avidè expectavit, & inter cælestes spiritus, animam reddidit Creatori. Super cujus tumulum per multos dies miræ claritatis splendores apparuerunt, & multis aliis signis ejus gloria omnibus innotuit. Ascripta post mortem in Menologio Ordinis ad 13. Decembris.

Bernardus de Britto *Chronic. tom. 1. lib. 4. cap. 33.* Henriquens *in Menol. ad 13. Decemb.*

PRIDIE IDVS DECEMBRIS.

Duodecimo Decembris.

APud Igniacum in diœcesi Remensi moritur B. Guerricus Abbas, doctrina & vitæ probitate celebris. Qui ex Canonico Tornacensi Claræuallis Monachus factus, & sub S. P. Bernardi Abbatis magisterio educatus, magna sanctitate floruit. In cujus signum visus est aliquando à quibusdam piis viris candidissima veste donari ab Angelo quodam præsente delata. Electus autem Guerricus ob excelsa merita Igniaci Abbas, post beati Humberti primi Abbatis cessionem, miro exemplo omnibus præluxit. Multis verò morbis & infirmitatibus pressus, magnam animi patientiam exhibuit, ac tandem libris & concionibus multis editis utiliter & evulgatis, ad extrema devenit; ubi Statuti cujusdam Capituli generali memor, quo vetabatur ne ullus ederet librum inconsulto Capitulo, quasi magnum piaculum commisisset, quòd quosdam libros conscripsisset, eosdem flammis dari voluit vir humilis & obediens. Sed quibusdam piè à fratribus reservatis, adhuc apud nos his temporibus perseverant quædam volumina ad fidelium utilitatem & doctrinam.

Exordium Cisterciense *lib. 3. cap. 7. & 8.* Ioannes Abbas *in Catalogo sanctorum Ordinis.* & multi alii.

Villarii in Brabantia beatus Franco Monachus, qui ex nobili Archennensium Equitum genere ortus, domi jam

Chronicon Villariense lib. 2.

Miræus in fastis Belgicis. Arnoldus de Raisse in Auctuario ad Molanum, & alii.

& militiæ clarus, Villarium sua sanctitate adh
Nam cùm in Siriam pro bello sacro profectus e
filii ejus pro fide sanguinem fudissent, ipse in pa
Monasticam vitam apud Villarium est professu
ducens vitam lethali morbo correptus est, & ul
ctè effudit spiritum, hac hora laudis canticum
& sic feliciter mortuus, post mortem inter Ord
ascriptus est.

Catt & M S.

In Anglia venerabilis Eufredus Abbas Varden
na & pietate celebris, qui postquàm multos ad
convertisset suis concionibus & monitis, ac plure
pietatem utiles edidisset, pio fine quievit; relatus
ctos Ordinis in Menologio.

IDIBVS DECEMBRIS.

Decimo tertio Decembris.

Henriquez in suo Menologio ad hanc diem.

IN Sicilia beatus Nicolaus Ordinis Monachus &
bii Netini Professus seu sanctæ Mariæ de Arcu, q
innocentia conspicuus, totam Siciliam suis exemplis
tutibus illustravit: meruitque post obitum inter O
Beatos ascribi.

Carolus à S. Maria in Catalogo illustrium Fuliens.

Romæ Dionysius à sancto Bernardo Congregation
liensis frater donatus, natione Helvetius, simplicit
silentii & austeritatis vitæ amator, mortuus postquàn
minum remissionem è cælo resciviffet.

DECIMO NONO CAL. IANVARI

Decimo quarto Decembris.

Manriquez in Calendario sanctorum Ordinis ad hanc diem.

IN Germania passio sexaginta quatuor Monachorum
die trucidatorum in odium fidei à nephariis ortodo
religionis hostibus, qui quidem in diversis locis & Cœn
bi

biis Ordinis occisi videntur, cùm Authores Monasteria taceant, sicut & Ordinis Calendaria, nullius nomine expresso, nec Monachorum nec Cœnobiorum.

Henriqueus *in suo Menol. ad hanc diem.*

DECIMO OCTAVO CAL. IANUARII.

Decimo quinto Decembris.

IN Monte sanctæ Vualburgis Sanctimonialium olim Ordinis Cœnobio, nunc, ut creditur, Iesuitarum Domo, floruit beata Christina de Volmunsteyne ibidem Monialis, quæ post piam vitam & morum innocentiam, per felicem mortem ad immaculati sponsi sui thalamum pervenit, ascripto ejus nomine ad Calendarium Ordinis.

Cæsarius *dialogorum lib. 7. cap. 21. & lib. 8. cap. 3. 15. & 45.* Barnabas de Montalbo *tom. 1. Chronicorum lib. 2.*

In Galliis venerabilis Philippus de Ottiburch ex Scholastico Monachus in Bonavalle, ac posteà Abbas, vir admodùm pius, & pluribus sanctis operibus cumulatus, mortuus est in senectute bona & ascriptus Calendario Beatorum Ordinis ad hanc diem.

Cæsarius *lib. 4. cap. 55. & alibi.* Henriqueus *in suo Menologio ad hanc diem.*

In Claravalle venerabilis Bonaventura Lucensis Episcopus in Italia, qui ex Monacho Ordinis ob vitæ meritum ad Episcopatum promotus, multos labores pro libertatis Ecclesiasticæ defensione est perpessus, & tandem cedere coactus, in Galliam venit, & Claramvallem se recepit: ubi exul cum suavi virtutum & opinione è vita discessit. Annotatus inter Ordinis viros illustres ad hanc diem.

MS. Dunense. Liber sepulchrorum Claræval-lis. Henriqueus *in suo Menologio ad hanc diem.*

DECIMO SEPTIMO CALEND. IANUARII.

Decimo sexto Decembris.

IN Ordine & in Italia depositio sanctæ Barbaræ Virginis ut creditur, Cisterciensis; quæ in Tuscia sagittis transfixa in odium fidei, Martyr pro Christo sponso, in fide constans occubuit. Ejusque Virginis martyrii actus reperiuntur in Cœnobio de Misericordia-Dei Diœcesis Pictaviensis.

M S. Cœnobii Misericordiæ Dei.

Manriquens *in Annalibus.*

In Germania beatus Martinus Abbas Por
post bellum sacrum promulgatum contra infid
metanos, in Palestina mira gessit, sub Balduino
re: & reversus in Germaniam cum pluribus San
liquiis, in pace quievit. De quo plura Manriqu
dinis Annalibus.

DECIMO SEXTO CALEND. IANV

Decimo septimo Decembris.

Monumenta hujus domûs. Cæsarius *lib. 8. Dialog. c. 92.*

IN Germania Rodolphus Heysterbacensis Co
qui cordis munditia insignis, Patrum sanctorum
vestigiis: celebrisque ob sanctitatem, quievit fel
pace, ad hanc diem memoratus.

Cantipratanus *lib. 2. apum cap. 25.* Arnoldus de Raisse *in Auctuario ad Molanum.*

In Hannonia beatus Lambertus Valcellarum Mo
qui vitæ probitatem ab adolescentia colens, eande
nectute sibi retinuit, dictusque vulgari verbo, *Pate*
ob charitatem, omnibus gratus extitit, insignis pro
ricordia erga pauperes, imò miraculis clarus, obiit
nectute bona, memoratus in pluribus Calendariis, se
cipuè in Cisterciensi ad hanc diem.

Bernardus Britto *tom. 1. Chronic. lib. 6. cap. 38.* Calendarium Gallicum Ordinis *ad hanc diem.*

In Monasterio Sabaudiæ de Altacumba dicto, dep
pii viri Humberti Comitis Sabaudiæ & Mauritaniæ; q
gni sceptro & sæculi delitiis calcatis, post plures ducta
gitimè uxores, & Religionis propositum in dies dilat
tandem habitum Ordinis apud Altæcumbæ Monasteri
se constructum suscepit: ibique vitæ probitate clarus,
plures annos ad Christum meruit pervenire; ascriptus
die Ordinis Calendario.



DECIMO QVINTO CAL. IANVARII.

Decimo octavo Decembris.

IN Catalonia & Cœnobio de Populeto beatus Bartholomæus Conillæus hujus loci insignis Abbas, qui olim medicus Hispaniarum Regis, ob vitam probatissimam ex sæculari postulatus, & ab Eugenio Papa IV. compulsus ad regimen suscipiendum, (cùm nec serenissimæ Blanchæ Reginæ, nec aliorum Principum precibus acquiesceret) piissimam vitam duxit ac miracula fecit. mam ad vitam suscitasse mortuum legitur, & suis monitis Petrum Marginetum ex Monacho apostata ad pœnitentiam adductum, benignè suscepit, & eum sanctitate illustrem posteà discipulum habuit.. Sicque clarus signis & virtutibus, hac die sancto fine quievit, post decimum quartum regiminis annum, & salutis humanæ quadringentesimum quinquagesimum sextum supra millesimum.

Monumenta domûs. Barnabas de Montalbo *tom. 1. lib. 2. cap. 41.* & alii.

In Belgio & Cœnobio de Nazareth propè Liram beatus Vuicbertus Conversus magnæ virtutis, qui post susceptos labores plurimos pro Ordinis negotiis, egregiis operibus clarus migravit ad Christum; cujus gloria revelata est pio viro Bartholomæo Patri suo & ejusdem Cœnobii Converso, & nomen ejus ascriptum est ad hanc diem.

Vita S. Beatricis hujus domûs Priorissæ. Henriquez *in Menologio ad hanc diem.*

DECIMO QVARTO CALEND. IANVARII.

Decimo nono Decembris.

ATtrebati in Artesia beatus Petrus Episcopus, qui à juventute in Ordine susceptus, multis virtutibus emicuit; factus verò ob excelsa sua merita Abbas Cistercii, non dictu facile est quantum Ordini profuerit. Verùm ad alias dignitates raptus, & ad sedem Attrebatensem sublimatus ad annum millesimum centesimum octogesimum tertium,

Meyerus *in Annal. Flandriæ ad ann. 1193.* Miræus *in Chronic. Cisterc.* & *in Auctuario ad Sigebertum.*

adhuc splendidiores radios emisit; & multis exa
ribus pro sua Ecclesia ab oppressione sublevand
ne quievit, in dignitate Episcopali successorem
Petrum alium Pontigniaci Abbatem pari piet
tem.

Cæsarius *Historiarum lib. 11. cap. 11.* Calendarium Ordinis.

In Germania & Cœnobio de Claustro beatus
hujus loci Conversus miræ humilitatis & simplic
cùm vilia culinæ ópera per plures annos exercuisse
plenus virtutibus & piis operibus, suavi morte
sumptus visus est. Excitatus tamen posteà & quasi
ab Isambardo Sacrista Gisilberti Abbatis jussu,
futura vita retulit cum magno astantium stupore.
tandem, ascriptus est Calendario Ordinis ad hanc

DECIMO TERTIO CALEND. IANVA

Vigesimo Decembris.

Scriptores Ecclesiæ. Barnabas de Montalbo *tom. 1. Chronicorum Ordinis lib. 5.*

AVenione eligitur in summum Pontificem Io
Furnerius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis
Monachus Bolbonæ, Abbas Fontis-frigidi Ordinis
sterciensis, ac Episcopus Mirapicensis & Apamiensis, q
supremo Pontificatu sibi nomen Benedicti XII. fecit.
ex humili loco natus, primò Bolbonæ habitum Or
sumpsit: posteà Parisios transmissus ad studia, Doctor Th
logus tandem evasit. Via verò sibi facta ad dignitates su
dictas Ecclesiasticas, ubique clarus & conspicuus vir
extitit. Humilis namque factus in Præsulatu, suos ditio
facere noluit: imò ex duplici Canonicatu quo gaude
frater ejus, uno ei ablato, unicum illi reliquit: matrem
rò suam non nisi in humili veste pauperiem redolente vid
re voluit, exiguo illi reditu assignato, illum Davidis versu
sæpè apud se revolvens, *Si mei non fuerint dominati, tu
immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.*

Bernardus Britto *tom. 1. lib. 5. cap. 33.*

In Lusitania venerabilis mater Maria Bernardez M
nialis in Eboracensi Cœnobio, quæ ubique humilitate, pa

tientia & charitate claruit: ac poſt innocentiſſimam vitam hilari vultu tanquam de ſalute certa & ſecura expiravit.

Henriquez *ad hanc diem in ſuo Menologio.*

DVODECIMO CALEND. IANVARII.

Vigeſimo primo Decembris.

FEſtum ſancti Thomæ Apoſtoli ſub ſolenni ritu per Ordinem celebratur.

In Germania beatus Thomas Monachus de Arnsburg, qui ſanctitatis titulo inſignis & beatæ Virginis eximius cultor, plura gratiarum dona ejuſdem Virginis meritis accepit: aſcriptus poſt mortem in Ordinis Menologio ad hanc diem.

Cæſarius *lib. 7. Hiſtoriarum c. 22.* Seguinus *in Catalogo ſanctorum Ordinis.*

In Vaſconia & Cœnobio Grandiſilvæ, beatus Ioannes Converſus, vir quidem illiteratus, ſed qui divino ſpiritu inſtructus & Deiparæ Virginis ſingulari cultui intentus, plerumque ſalutationem Angelicam repetebat. In cujus obſequii remunerationem, dicitur ex ejus ore poſt mortem lilium candidiſſimum prodiiſſe, hæc eadem verba Angelicæ Salutationis, quæ vivens tam ſæpè dixerat, ſuis foliis aureis caracteribus referens. Quod etſi non ita certum, cùm de pluribus aliis idem referatur, de ipſius tamen probitate non licet ambigere; & hac de re in Calendario Sanctorum Ordinis ad hanc diem aſcribitur.

Ioannes Abbas *in Catalogo ſanctorum Ordinis,* Robertus Ruſca *in ſuo Compendio.*

VNDECIMO CALEND. IANVARII.

Vigeſimo ſecundo Decembris.

IN Saxonia & Cœnobio de Luka beatus Adam Monachus, qui ab infantia beatæ Virginis cultui & obſequio deditus, ſibi multa gratiarum fluenta cumulavit. Factus verò Monachus, eandem Virginem habuit per viſiones familiarem, & ſanatus ab ea aliquando à dolore capitis,

Cæſarius *Hiſtor. lib. 7. cap. 25. & l. 8. c. 74.* Henriquez *in Calendario SS. Ordinis.*

hanc in cælum translatus habuit propitiam ; in
hanc die in Calendario Ordinis.

Seguinus *in Catalogo SS. Ordinis.* Cæsarius *lib. 6. miraculorum cap. 10.*

Tulpeti in Germania beatus Engilbertus Con
nativitate cæcus. Interiùs autem illustratus, plur
ſæ Saxoniæ & aliis ipſum conſultantibus prædixit,
ſanitatem quam per novem annos perdiderat, reſtit
& auxilio Beatæ Virginis : ac tandem piè obiit. Cuj
ria beatæ Aſzelinæ revelata eſt.

Monumenta domûs. Seguinus.

Caroliloci in Gallia depoſitio Roberti Silvane
Epiſcopi Diœceſani ac ibidem hoſpitis ſeu familiaris
intra murum Presbyterii ſub fornice ſepultus eſt, m
ratus à Seguino inter illuſtres Ordinis.

DECIMO CALEND. IANVARII.

Vigeſimo tertio Decembris.

Bernardus Britto *Chronic. tom. 1. l. 3. cap. & alib.* Manriqueus *in Laurea Evangelica lib. 5.*

IN Luſitania beatus Ioannes Cirita Monachus & Abba
qui poſtquàm in juventute arma tuliſſet ſub ſæcula
militia mancipatus, Anachoreta factus piè vixit in eremo
Cognitus tamen à vicinis & frequentatus ab ægris pro ſanitate recuperanda, in alium locum ſecretiorem ſeceſſit, nihil ita reſpuens, quàm vanum hominum plauſum. Cùm autem aliquando dæmon varias mulierum formas aſſumeret, ut in eo luxuriæ incentiva ſuſcitaret, extemplò vir Dei zelo inſolito pulſus, manum igni admovit, & eam flammis dedit, ut ſic dolore ignis luxuriæ focos extingueret & compeſceret. Fugato verò hac arte dæmone, evanuit tentatio. Ipſe autem ſpiritu Prophetico clarus, multa futura prædixit, & multos ſuo exemplo à ſæculi delitiis, ad clauſtri ſolitudinem adduxit. Divinitùs præmonitus, Ciſtercienſes Monachos è Claravalle in Luſitaniam miſſos à S. P. Bernardo ſuſcepit, ac illis pro novo conſtruendo Cœnobio locum obtinuit. Quibus tandem aggregatus, cum ſuis Ciſtercienſe Inſtitutum eſt amplexus. Verùm è Cœnobio ſancti Chriſtophori ; cui primò præfectus erat, ſucceſſu temporis in Cœnobium de Tarouca tranſlatus, ibi

pium regimen egit: ficque regula magis exemplo quàm verbo cæteris factus, Ordinem Ciftercienfem per totam Lufitaniam, novis adhuc erectis Cœnobiis, dilatavit. Pane & aqua corpus fuum reficiens, & bis per hebdomadam tantùm comedens, omnes in fui admirationem rapuit. Regulam Militibus Avifiæ Militiæ confcripfit. Cúmque pluribus virtutibus clarus per vitam extitiffet, infirmitate preffus ad ultima devenit: & jam morti proximus, Hymnum *Te Deum laudamus*, fuaviffimè cecinit; quo expleto, placido vultu fratribus valedixit, & in Domino obdormivit. Poft cujus obitum, miracula plura viri fancti puritatem comprobarunt.

Savigniaci in Normania depofitio beati Petri Monachi fanctitate illuftris, & beati Aymonis Cœnobitæ hujus loci focii: qui per totam vitam fanctorum Patrum veftigia æmulatus, ad tantam morum fanctimoniam devenit, ut poft mortem gloriofus vifus fuerit ab ipfo Aymone. Ejus autem beati Petri vita manufcripta affervatur apud Savigniacum: mors verò annotatur hac Decembris die in Necrologio Barberii apud Normanos.

Manufcripta Savigniaci & Barberii. Seguinus *lib* 9. *SS. Ordinis cap.* 68.

In Germania venerabilis Godefridus Monachus Heyfterbacenfis, qui fub Priore Cæfario apud Heyfterbacum habitum Ordinis fufcepit, ex Doctore Theologo humilis difcipulus factus ætate fenex & moribus optimus, obiit non diù poft emiffionem votorum.

Cæfarius *lib.* 4. *Hiftoriarum cap.* 49. Henriqueus *in Menologio ad hanc diem.*

NONO CALEND. IANVARII.

Vigefimo quarto Decembris.

Vigilia Nativitatis Iefu Chrifti Domini noftri fecundum carnem.

In Germania & Cœnobio Hemmerodenfi beatus Hertuvicus Prior, difciplinæ Monafticæ fervens æmulator, & primorum Patrum Ordinis fedulus imitator: qui poft fanctos mores & piam vitam ad mortem ægrotus, inter medias preces pro agonifantibus defignatas, non adhuc fe hac

Cæfarius *lib.* 11. *miraculorum cap.* 10. Mantiqueus *in Calendario Ordinis ad* 24. *Decemb.*

diem moriturum asseruit, sed crastina luce a[illegible]
ram ex hac vita se transiturum prædixit. Sicq[illegible]
die ipsa hora præsignata, spiritum reddidit ab [illegible]
ceptum, audita eorundem melodia paulò post ej[illegible]
legitur verò nomen Hertuvici hac die in Catalo[illegible]
rum Ordinis.

Gillemanus *in Hagiologio SS. cap. 5.* Henriquens *in Menologio ad hanc diem.*

In Belgio beata Anastasia virgo Monialis [illegible] meyam, quæ post multa pro Christo sponso patie[illegible] pessa, animam exhalavit. Vndè post mortem illa in[illegible] tyres collocata, beatæ Idæ Nivellensi veste rube[illegible] apparuit, quatuor gemmis perornata in signum s[illegible] titudinis.

OCTAVO CALEND. IANVARI[I]

Vigesimo quinto Decembris.

Vita S. Bernardi *lib. 1. cap. 2.*

NATIVITAS Iesu Christi Domini *nostri secun*[illegible] carnem, quæ sancto P. Bernardo, dum *adhuc* a[illegible] Castellionem Scholasticus existens, & *paulisper dormit*[illegible] ipsa nocte Nativitatis vigiliarum horam *expectaret*, *spec*[illegible] li gratia per revelationem & visionem *est* ostensa, *ita* [illegible] infantem quasi recenter natum, pannis *involutum*, *ips*[illegible] hora noctis qua Verbum caro factum ex Virginali *uter*[illegible] prodiit, sine ullo pudoris damno videre *meruerit*. *Vndè* mellifluum illum stylum quo posteà Theodidacta *opera* edidit, hausisse videtur.

Arnoldus Vrion *in Annalibus.* Petrus de Vallibus *in Historia Albigensium*, & alii.

In Vasconia beatus Fulco Massiliensis *Episcopus*, *qui* factus Monachus apud Grandemsilvam, Floragiæ *primò* seu Toroneti Abbas præfectus dicitur: hincque pro merito translatus in Grandemsilvam, mira est operatus, & *nota* ejus probitate per Provinciam, in Archipræsulem *Tolosanum* est electus. In qua quidem dignitate *magna cum animi* constantia Hæreticorum Albigensium iis *temporibus* pullulantium conatibus sese opposuit, sicut & Raymundo Comiti eorundem fautori. Quem cùm reprimere *non* posset, anathemate percussit. Sed ab eodem Comite posteà

exilio

exilio pulsus, Leodium & cæteras adjacentes Provincias invisit, suisque Concionibus & exemplis illustravit, nostramque præcipuè Galliam. Ecclesiæ autem suæ data pace, & Raymundo Comite de scelere pœnitente, eundem Raymundum Comitem reconciliavit. Manifestata verò Fulconis sanctitas, columba super eum candidissima visa est inter Missarum solennia. Pluribus tandem & admirandis signis illustris, sancto fine quievit anno millesimo ducentesimo trigesimo primo: relatus post mortem in suum Grandisilvæ Cœnobium & ibidem sepultus.

SEPTIMO CALEND. IANVARII.

Vigesimo sexto Decembris.

FEstum sancti Protomartyris Stephani per Ordinem celebratur, ejusque memoria quotidie agitur apud Valles-Sernaii. *Cæsarius lib. 11. Historiarum cap. 6. Et Calendaria ad 25. Decemb.*

In Germania & Cœnobio Hemmerodensi beatus Obertus Conversus, qui per triginta annos Cellæ infirmorum ex officio inserviens, eisdem charitate promptissimum exhibuit famulatum. Ipse verò posteà infirmitate tactus, ac labore, jejuniis & vigiliis fractus, per alios viginti annos gravissimis afflictus doloribus longum traxit Martyrium. Tandem ad extrema positus, cùm de more in ecstasim raperetur, Angelorum choris interfuisse dicitur: quorum cælesti melodia recreatus, mira posteà ad se reversus de futura vita astantibus renunciavit, suæque dissolutionis imminere diem indicavit: & hac sancti Stephani die sese moriturum prædicens, serena facie & hilari mente obdormivit in Domino.

Ipsa die in Anglia fertur occisus in sua Cantuariensi Ecclesia sanctus Archiepiscopus Thomas, dum post vespertinas preces suis sacrilegis carnificibus Ecclesiæ portas à Clericis reseratas aperiri jussit; & flexis genibus ac commendata anima simul cum Populo sibi subdito, Deo, sancto Dionysio Ecclesiæ Patrono, & aliis sanctis tutelaribus Angliæ, sanguinem fudit & vitam. *Traditio & vita ipsius.*

Chronicon Villarii *lib. 2.* Henriquez *in suo Menologio ad hanc diem.*

In Brabantia Daniel Villarii Monachus, qui c
fieri vellet ante monachatum, gravi morbo corr
to facto religionis sanatus est. Factus autem Monac
Villarium, multis refulsit virtutibus: electus verò
rarium, ritè munus obivit omnibus carus. Mortu
que meruit pro virtute ascribi inter viros illustres er
lariensis ad hanc diem.

SEXTO CALEND. IANVARII

Vigesimo septimo Decembris.

Festum sancti Ioannis Apostoli & Evangelistæ, cuj
moria quotidiè agitur in Laudibus & Vesperis
Fulcardimontem, quòd Ecclesia hujus loci sit con
sub nomine ejusdem Sancti.

Ioannes Abbas in *Catalogo SS. Ordinis.* Barnabas de Montalbo *tom. 1. lib. 2. cap. 41.* & alii.

In Germania & Cœnobio Beatæ Mariæ de Porta
beatus Hugo Monachus omni virtute conspicuus, ac i
vinis scripturis non modicum versatus; qui sæculi va
tem fugiens, soli Christo adhæsit, eumque se scire cr
xum profitebatur, non solùm verbo, sed & opere. Sic
magna meritorum copia cumulatus, felici morte tra
ad cælos, ascriptus hac die in Calendario Sanctorum
dinis.

Monumenta domûs.

Item in Germania & diœcesi Coloniensi Dedicatio
silicæ Loci sanctæ-Mariæ vulgò Mariſtadensis Abbatiæ,
Henrico Archiepiscopo facta anno Domini millesimo t
centesimo trigesimo quarto, astantibus quam pluribus
ris sub Vuigando Abbate: ad cujus instantiam anniver
rium Dedicationis per has regiones celebre transpositu
est.

Chronicon hujus domûs. Henriquez *in suo Menologio ad hanc diem* & in *fasciculo lib. 2. dist. 40. cap. 7.*

Ipsa die in Belgio & loco sancti Bernardi juxta Antuer
piam obdormitio pii Patris Gozuini Abbatis, qui post pii
simum regimen & perpessa à quibusdam ex suis, pro justitia
& observantia regulari, injuria, coactus est dignitatem de-
ponere, ægrè ferentibus Superioribus calumniam tanto
viro illatam. Mortuusque hac die anno salutis millesimo

trecentesimo quinquagesimo tertio, magnum sibi nomen apud posteros fecit, ut videre licet in archivis hujus loci, ubi vir Religiosus timore Domini præcipuus fidelis dispensator tam in temporalibus quàm in spiritualibus nominatur.

QVINTO CALEND. IANVARII.

Vigesimo octavo Decembris.

FEstum sanctorum Innocentium pro Christo Domino ab impio Herode occisorum à bimatu & infra: quorum quidem sanctorum Infantium sacra ossa quam plurima nostras ornant Ecclesias.

In Anglia beata Margareta, quæ nata Hierosolymis ex Patre Hulnone & matre Sybilla, qui illuc pietatis causâ profecti fuerant, rediit in patriam: ubi facta Ordinis Monialis seu familiaris, multa signa sanctitatis dedit. Qua de causa mortua in senectute bona, habuit post mortem suæ vitæ scribam illustrem Thomam Frigidi montis Monachum & fratrem germanum.

Vita MM Henriquez *in Menologio ad hanc diem.*

In Gallecia beatus Vitalis Abbas illuc missus à sancto Bernardo in Meyrense Cœnobium, ubi primus Abbas fuit, multis virtutibus præclarus per vitam, & in morte meritis dives.

Monuméta Cœnobii Meyrensis. Henriquez *ad 29. Decemb.* & in suo fasciculo *l. 1. dist. 4 cap. 29.*

QVARTO CALEND IANVARII.

Vigesimo nono Decembris.

FEstivitas sancti Thomæ Cantuariensis Archipræsulis, Ordinis Cisterciensis olim hospitis apud Pontigniacum; qui natione Anglus Beketus dictus & piè à parentibus educatus, primò Cancellarius Regis factus est, tum propter animi dexteritatem, tum propter vitæ probitatem. Cui cùm aliquando Angliæ Rex de eo promovendo ad di-

Martyrologium Romanum cum Baronio & aliis.

gnitates Ecclesiasticas loqueretur, Regi respondisse f
illud nec sibi nec Regi expedire pro pace. Paulò post q
quasi invitus electus, & à Rege nominatus in Archiep
pum Cantuariensem, non diu Regem amicum habuit
enim libertates Ecclesiasticas infringere conanti resist
eundem infensum habuit. Vndè ab eo vexatus Thom
ac post multa probra & improperia perpessa, cùm non
plius dignitatem sustinere valeret, & Ecclesiæ suæ jura
ri, aliis Angliæ Episcopis conniventibus & Regi ceden
tibus: coactus est cum duobus Clericis & Monachis Cist
ciensibus clam è regno exire, & ad Alexandrum III. Su
mum Pontificem tunc in Galliis versantem recurrere. Cúm
que per viam adhuc de Dei voluntate ambigeret, an scil
cet vel fugere vel in Ecclesia sua persistere deberet, aperte
sacræ scripturæ loco à ministris suis in mensa, *Historiæ im*
piæ Iezraëlis Dei Vatem persequentis, & *sancti Stepha-*
ni protomartyris à Iudæis oppressi legendæ occurrerunt.
Qua lectione in proposito firmatus Thomas, ac de civita-
te in civitatem fugiens, juxta Domini consilium, tandem
in Gallias venit, ubi susceptus & ab Alexandro Papa & à
Ludovico VII. Rege, ab ipsis Pontigniacum est transmis-
sus hospitii gratiâ, data ei cuculla à Pontifice benedicta, &
literis commendatitiis à Rege ad Abbatem. Cúmque in-
duisset sanctus Thomas habitum Monasticum, & nimis an-
gusta esset cuculla, data est ei alia ab Abbate Pontigniaci,
quam per duos aut circiter annos exilii sui *ibidem* gessit, &
omnes Cistercienses ritus & leges strictè & piè observavit.
Magna autem cum vitæ austeritate sic degens, aliquando
in fluvium Cœnobio vicinum sese per hiemis tempus im-
mergebat, & duris verberibus ad sanguinem usque corporis
membra domabat. Accepta verò è cælo martyrii sui reve-
latione, dum in quodam Basilicæ sacello oraret, & audito
quod Rex Angliæ sui causâ Cistercienses omnes è regno
pellere minaretur, propter hospitalitatem *sibi à Ponti-*
gniacensibus datam: ipse pacis amator exire è *Monaste-*
rio & per varia Galliæ loca divagari maluit. *Primò* quidem
Senonis mansit in Monasterio sanctæ Columbæ, ubi *sacel-*
lum ejus seu camera in sacellum conversa visitur adhuc.

Hinc Pontisara transiens, apud Vallem Beatæ Mariæ Cisterciensium, nunc Fuliensium Cœnobium, sacravit sacellum. Deinde verò Crespeyum Valesiæ oppidum pergens, ut anathema in Regem Angliæ sub Picardiæ finibus proferret, cùm ibi nova construeretur Ecclesia ab Eleonora Comitissa, rogatus est à suis sub cujus Sancti invocatione ædes illa sacra dedicaretur. Quibus respondisse fertur, sacrandam esse primo Martyri. Quod quidem vaticinium posteà impletum est. Nam hæc Ecclesia non protomartyri Stephano sacrata est, ut verba Sancti prima fronte innuere videbantur, sed ipsi sancto Thomæ Cantuariensi Martyri dedicata est. Reversus autem sanctus Thomas in Angliam, pace à Rege simulata, cum ipso non diu ibidem permansit securus. Quidã enim Regis satellites ut ipsius Regis sibi conciliarent gratiam, è Normania in Angliam transierunt. Hinc verò Cantuariam pergentes, eundem sanctum Præsulem sacrilegè in Ecclesia occiderunt, apertis Ecclesiæ janues quas claudi curarant Clerici ut sanctum Præsulem custodirent. Ipse verò cum cuculla Cisterciensi, quam, ut notarunt authores, diu gesserat, in propria Ecclesia sepultus cum cilicio vermibus penitùs scaturiente, multis miraculis clarus, in numerum Sanctorum eundem retulit Alexander Papa, injuncta pœnitentia salutari Henrico Regi per Cardinales Legatos, hac de re transmissos in Angliam, ut de nece sancti Præsulis inquirerent. Cæterùm effossum posteà sanctum cadaver, flammis datum est ab impio Henrico VIII. Rege paucis per Galliam reservatis reliquiis: inter quas caput illius asservatum est apud Regalem-montem.

In Hibernia beatus Marnochus à quibusdam sanctus appellatus, Monachus & Abbas Cisterciensis Ordinis miraculis clarus; cujus vita adhuc restat manuscripta in Monasterio Dublinensi, quo ex oppido Portmanor translatum fuerat beati viri corpus: ubi adhuc sub suo nomine peculiare habetur sacellum, inscriptumque est nomen ejus ad hanc diem inter Ordinis Sanctos.

TERTIO CALEND. IANVARII.

Trigesimo Decembris.

Ioannes Abbas in Catalogo Sanctorum Ordinis. Molanus in natalibus Sanctorum Belgii ad hanc diem.

IN Frisia Cœnobio Aldvertensi juxta Groningam B. ...chardus Monachus, qui totum Belgium lumine suæ san... tatis illustravit, & posteritati suæ plura humilitatis, obedie... tiæ, pietatis, & patientiæ exẽpla reliquit imitanda. Tand... cum hujus vitæ cursum laudabiliter complesset, de pericul... so hoc exilio ad cælestem domum feliciter commigravit, n... mine ejus inscripto inter Sanctos Ordinis ad trigesima... diem Ianuarii.

Miræus in Chronico Cisterciensi ad annum 1131. Arnoldus de Raisse in Auctuario ad Molanum.

Apud Valcellas in Hannonia, depositio beati Radulph... hujus loci primi Abbatis, qui natione Anglus, Deo & hominibus carus ob specialem vitæ sanctimoniam extitit; Philippo videlicet Galliarum Regis filio Radulpho Viromanensi Comiti, Nicolao Cameracensi Episcopo, ac cæteris Magnatibus, qui eum ut patrem colebant, & ut Sanctum venerabantur. Choro astrictus, aut nunquam aut raró à Canonicis horis aberat, etsi aliquando externis occupatus esset. Silentio deditus, quavis causa occurrente, nisi urgentissima, silentii nocturni leges nunquam infringebat, nec etiam aliis loqui permittebat. Pius in benefactores Monasterii, continuè pro eis orabat, & plura sacra fieri pro iisdem curabat. Sæpè prostratus, Litanias Sanctorum recitabat. Cùm extra Monasterium ire cogeretur, nunquam extra comedebat, si eadem die in Cœnobium esset rediturus. Zelo Dei succensus, liberè Principes arguebat, uti aliquando Radulphum Viromanensem Comitem, imò & Hugonem Orsiaci Monasterii sui fundatorem. Vbertatis tempore, quantum poterat frumenti reservabat, ut famis tempore abundantiùs pauperibus erogaret. Constitutiones & Ordinis Statuta ad literam observabat. Patiens in adversis, multa sibi merita accumulavit. Sicque plenus virtutibus cùm ad extrema devenisset, veniam á fratribus petiit, & susceptis Ecclesiæ Sacramentis, feria ipsa sexta anno Do-

mini millesimo centesimo quinquagesimo primo obdormivit in Domino, post viginti annos pii regiminis hac trigesima Decembris die. Sepultum verò in Capitulo ejus corpus, posteà è terra effossum est, & cum decenti honore elevatum. Multis autem per vitam claruisse miraculis dicitur; inter quæ illud est celebre, quod quinque pauperum millia modico frumenti abundè sustentavit.

In Germania venerabilis Albertus primus Abbas Portensis, vir Monasticarum traditionum æmulator, qui pro virtute piam sui memoriam post mortem reliquit, ascriptus Sanctorum Ordinis dipticis.

Monumenta domûs. Paulus Langius in Chronico Cisterciensi.

PRIDIE CALEND. IANVARII.

Trigesimo primo Decembris.

IN Germania & Cœnobio Hemmerodensi beatus Remigius Conversus, corpore quidem cæcus, sed animo illustratus; qui piis suis operibus factus dæmonibus terribilis, eosdem fortiter superavit. E contra verò familiaris ac carus beatis spiritibus, & pluribus ab iisdem illustrationibus decoratus, cum iis post obitum glorificatus est; à Cæsario & multis aliis Ordinis authoribus memoratus.

Cæsarius lib. 11. Miraculorum c. 7. Seguinus in Catalogo SS. Ordinis.

In Gallia beatus Thomas sancti Thomæ Cantuariensis in tribulationibus & exilio individuus comes & socius, Frigidimontis in Picardia Monachus, doctrina & pietate celebris, natus ex Hulnone patre & Sybilla matre, ac germanus Beatus Margaretæ Ierosolymitanæ, per vitam virtutibus præclarus, & post mortem Sanctis associatus.

Calendarium Belgicum SS. Ord. Henriquez in Menologio ad hanc diem.

HI sunt, RR. Patres & dilectissimi Fratres, qui contempto sæculo, carnis voluptatibus spretis, & dæmone conculcato, sub Cisterciensis Instituti vexillis victores gloriosissimè

evaſerunt. Hi ſunt, qui poſt miſerrimum præſentis vitæ exilium, poſt multas tribulationes & ærumnas, æternæ felicitatis gloriam adepti ſunt. Hi tandem, qui nobis non verbis tantùm, ſed vitæ exemplo viam, quà tuti pergere poſſimus, oſtenderunt. Mementote, quoniam filii Sanctorum ſumus, eorum veſtigiis firmiter adhæreamus, non declinantes à dextris nec à ſiniſtris, nec transgredientes terminos antiquos, quos poſuerunt Patres noſtri. Excitemus noſmetipſos, tantorum virorum exemplo provocati: quia nec delicatiores, nec debiliores illis ſumus, & ad eam, quam ipſi conſecuti ſunt, perfectionem anhelemus.

AD MAIOREM DEI BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, ET SANCTORVM OMNIVM, ORDINIS CISTERCIENSIS GLORIAM.



INDEX NOMINVM SANCTORVM, BEATORVM, & solennitatum,

QVÆ IN HAC SANCTORVM SERIE CONTINENTVR.

A

Eee

B

C

D

L

S

Stepha

F I N I S.

